F. VIII. e
18

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30531275_0001

JOAN. BAPTISTÆ
BIANCHI

Med. Doct. & in Taurinenſi Univerſitate Anatomiæ Profeſſoris;

HISTORIA HEPATICA,

In hâc tertiâ Editione, numeris tandem omnibus abſoluta.

ſeu

THEORIA ac PRAXIS omnium Morborum HEPATIS, & BILIS, cum ejusdem Viſceris ANATOME pluribus in partibus novâ:

Adjectis DISSERTATIONIBUS aliquot; ÆNEIS TABULIS; accuratis earum Explicationibus, & ANIMADVERSIONIBUS ad hocce explendum Opus facientibus; Ampliſque omnium rerum INDICIBUS.

TOMUS PRIMUS.

THEORIAM, PRAXIM, & ANATOMEN complectens.



GENEVÆ,

Apud GABRIELEM DE TOURNES ET FILIOS.

M. DCC. XXV.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

AMPLISSIMO REI LITERARIÆ
CONSESSUI;

EXCELLENTISSIMO DOMINO
D. NICOLAO PENSABENE,
PRÆSIDI, ATQUE STUDIORUM CONSERVATORI;

ILLUSTRISSIMIS DD. REFORMATORIBUS;

D. ABBATI F. MARIA FERRERIO,
A LABRIANO;

D. COMITI NICOLAO COARDIO,
A QUARTO;

D. COMITI IOS. IOH. PROVANA,
A COLLEGIO;

D. FRANCISCO DE AGUIRRE,
REGIO ADVOCATO ET CENSORI;

D. ABBATI ALEXIO DE RUBEIS,
REFORMATORI SUPRA NUMERUM;

D. AMEDEO PHIL. DE MELLAREDE,
STUDIORUM RECTORI;

JOANNES BAPTISTA BIANCHI
felicitatem.

QUÆ Typis eduntur literariæ res, cùm Viris ſapientiâ, & dignitate præſtantibus meritò nuncupari ſoleant; haud diu mihi fuit ambigendum, PATRES AMPLISSIMI, quos ad hanc meam de re medicâ, atque anatomicâ conſcriptam, noviſſiméque abſolutam Hiſtoriam, Fautores potiſſimùm, atque Patronos compararem. Vos enim obtutibus meis ſtatim obverſabamini; quorum etiam ſi cætera decora, atque ornamenta ſileantur, magnum illud profectò & præclariſſimum eſt, à providentiſſimô PRINCIPE, quô in præclariorum Virorum meritis expendendis, æſtimandiſque neminem eſſe mortalium accuratiorem, prudentioremque dignovimus, adlectos fuiſſe, eâque prærogativâ cohoneſtatos, ut excolendis, augendiſque literis præficeremini. Quare ut opus hoc meum Vobis dedicarem; Cùm ſatis fuiſſet me vobis publicô hôc nomine obſtrictum eſſe, tum maximè privata me ſtudia hortabantur, atque impellebant. Ab hâc enim Regiâ Univerſitate inſtauratâ quintus jam annus excurrit, ex quô me tantâ, ac ſingulari benevolentiâ fuiſtis complexi, ut ſummopere gaudeam, optatiſſimam mihi occaſionem contigiſſe, quâ in hôc literariô munuſculô Veſtra erga me beneficia commemorarem, Vobiſque, & probis omnibus palam facerem, me à perenni erga Vos obſequiô ullo unquam tempore, neque diſtrahi, neque divelli poſſe. Quòd ſi mihi Superi ſic arriſerint, ut has vobis inſcriptas lucubrationes æquis animis excipiatis, non illud tantùm præſtabitis, ut me inſumpti laboris nequaquam

quam

quam pœniteat; Verùm etiam acriores ſtimulos ad majora quędam ſuſcipienda adjicietis. Valete Taurinenſis Academiæ ſplendidiſſima lumina; diutiſſiméque Bonarum Artium, ac Liberalium Diſciplinarum incremento, tum Veſtræ, & omnium felicitati incolumes vivite.

*3 AUCTOR

AUCTOR
LECTORI SUO.

TAndem aliquando expeditam atque abſolutam Hepaticam Hiſtoriam habes, Amice Lector; quam ipſe eâ fortè de cauſsâ ſollicitè præſtolatus fueras, quòd dudum ego pollicitus evulgationem, hanc de anno in annum, interjectâ morâ, protraxiſſem. Ita porrò evenit, ut quæ ante ſeptem hoſce poſtremos annos novæ hujus Editionis inſederat cura, crebrò vel ipſô plurium menſium, imò & annorum ſpatiô fuerit intermiſſa: iis præcipuè temporibus, quibus ad Bononienſem Cathedram evectus, dein ad hanc Taurinenſem aſſumptus, penſis aliis graviſſimis operam dare ſum coactus: quare cùm ſucciſivas plerumque, nec non à praxi atque Academiâ feriantes horas, impendere mihi relictum eſſet, ſeriùs id negocii perfeci, noviſſimarum uſus opportunitate vacationum, quæ ut alieno commodo tantiſper vacare poſſem, effecerunt. En igitur promiſſam fidem exolvo, non exili, ut puto, earum omnium induciarum uſurâ, ubere ſcilicet Practicarum, Anatomicarum, atque Theoricarum Rerum; Apologeticarum præterea, aliorumque inſtituto facientium ſupellectile refusâ, quam tibi ſiſto dicoque: Quòd ſi in tantâ diſparium ferè diſquiſitionum congerie, à me candidè poſtulas, quæ illa ſint, quibus te cau-

cautiùs, atque diligentiùs admoveri conducat; Laudo illicò res practicas, cæteriſque tutiùs antefero: Eóque lubentiùs practicis hiſce lucubrationibus potiſſimum ſtudium impendas velim, quò mihi pro re nata perſuadeo, fore te intellecturum, reliquas hujuſce Hiſtoriæ partes, ad hanc unam diligentiùs attingendam fuiſſe perductas, atque hanc noſtram morborum Hepatis, & Bilis Therapeiam ab optimis fontibus, & accuratiſſimis obſervationibus eſſe derivatam. Noveram enim vel à Praxeos tirocinio recentiores propè omnes hujuſmodi Facultatis Scriptores deſciviſſe à ſublimi illâ, ſolidâque majeſtate perfusâ, antiquorum Medicinæ Parentum, obſervandi ratione; omiſiſſe, aut neglexiſſe principia, & fundamenta diagnoſeos, ac prognoſeos; rectamque curandi methodum, ad hæc pertinentem; atque valedictâ Rationalium doctrinâ in Methodicorum, ſeu *Hypotheticorum* claſſem incautè declinaſſe. Naturam nempe Medicinæ Parentem, & adminiſtram ſuis in officiis, ac viribus haudquaquam perſequentes, aut attendentes; ſed ad propria auctoranda commenta, pro innata libidine, diſtrahentes, ac veluti in alios mores cogentes. Ita noveram neque ſatis ampliùs prænoſci morbos, neque eorum eventus, ac ſucceſſiones prędici; non criſium molimina, non tempora, non circuitus diligenti operâ diſtingui; non ſanitatis, aut necis prænuntios veteri illô ſtudiô perpendi; ut nihil, ſi ſuperis placet, hôc ævô fallax magis & incertum à vulgô dijudicari videatur hôcce Medentium judiciô, atque prognoſi. Ita etiam dignoveram in Diſciplinâ Medicâ, quæſtus ex unâ parte gliſcere, ex aliâ verò jacturas irrepere: Lucrari nos Theoreticos flores ab experimentali, & corpuſculari Phyſicâ, ab Anatome, Chimicâque Arte decerptos; ſimulque conſtantes ex ægritudinum obſervatione fructus amittere, & deſerere. His quidem meditationibus adductus, redeundum eſſe ad primos Medicinæ Legislatores, atque in primis ad Hippocratem, è limine meorum ſtudiorum ſanciebam; mihique idcirco ab Hippocrate ſcepticam illam cogitandi, obſervandique normam comparare conſtitui; quâ ille quidem è manifeſtis Humani corporis partibus abditiores Naturæ motus aperiens, Naturam medico cuilibet ratio-

cinio

cinio Magiſtram adhibet. Quid enim dicendæ fortè eſſent *Paracelſicæ* illæ, Helmontianæ, Sylvianæ, Williſianæ, aliæque nuperæ Hypotheſes, niſi tot diſſidentium ſectarum præjudicia, quibus quidem non morborum leges perpenduntur, ut firmior indè Theoria eruatur; ſed priùs in animo effingatur Theoria, ut indè quæ per praxim contingunt, eadem plurimò ingenii luſû ad eandem quomodolibet revocentur? Porrò quid aliud eſt celebre illud, noſtrâque hâc ætate acceptiſſimum Mechanicorum Syſtema, niſi vetuſtiſſimum Theſſali Methodicorum Principis placitum *ſtricti*, *laxique*?

Ante Hippocratis ætatem nihil medicis in rebus invaluit, quod ſcientiam reverà ſaperet. Remedia caſu inventa, atque indiſcriminatim uſurpata: Nullum in cauſſis ac ſucceſſionibus morborum ratiocinium aderat. Divinus verò Senex medicæ ſcientiæ fundamenta jacuit, eamque rationalem effecit. Atque cùm talis tantuſque Vir ex anatomicis diſquiſitionibus, pro temporum ſuperſtitione & incuriâ, vix quidpiam ſibi comparaſſet, in practicâ ſtetit obſervatione; in quâ tam altè excelluit, ut nemo vel priſcis illis ætatibus inficias iverit, medicam Diſciplinam ab Hippocraticâ induſtriâ ad ſuæ perfectionis vicinitatem jam propè fuiſſe redactam. Et ſanè ſi Coæ obſervandi ſcribendique ſolertiæ ſuam indè omnes adjeciſſent operam, miniméque aberrantes, inſignia lumina ab humani corporis fabricâ improbis deinde laboribus elicita, cum illius ratione ſedulò, candidéque contuliſſent, an noſtris his diebus tam adhuc imperfecta jaceret hæc ſcientia, quæ cùm nihil ab Hippocratis ævo ad nos uſque profecerit; imò non modicum detrimentum ſit paſſa, confuſaque, & jactata maneat; nihil forſan à ſemet ipsâ depreſſius in orbe terrarum recognoſcit? Quippe ſi ſucceſſores Hippocratis ſuper illa tam firmè jacta fundamenta ſolidum extuliſſent ædificium, atque ab his per ſimiles obſervationum aditus Theoreticis quidem facibus illuſtratos, itum fuiſſet; quid jam ſupereſſet infectum?

Verùm enim verò fatalis quædam propriæ æſtimationis cupiditas Scriptorum animos plerumque adorta, atque ad famoſiora venditanda commenta etiam atque etiam accendens, id fermè molita

eſt,

eſt, ut Theoricæ invaleſcentes doctrinæ, ad abſtruſiora procreanda, erigendaque ſyſtemata abreptæ certatim fuerint: Ad quæ indè phænomenis omnibus ac ſingulis obſervationibus ſummâ vi quâdam contortis, atque devinctis, plerique Scriptorum, rationali deletâ ſcientiâ, methodicos inaniter ſe præſtant, in nova duntaxat, ac veluti cardinalia extruenda morborum genera; eorum qui rem expenderant diligentiùs, interverſis commentariis, ſtudiiſque peſſumdatis, velis remiſque nitentes. Ita non pauci ſingulos, aut potiſſimos morbos ad Hypochondriacæ paſſionis, aut Scorbuti familiam conantur redigere: Alii ad Convulſionem: Plurimi ad ſolas ventriculi cruditates, aut indignatum Archeum, aut torpidum, palantemve animalem ſpiritum, liquidumve nerveum, aut glandularum peccata: Nonnulli demùm quidquid præter naturam cenſendum eſt, id ſanè à ſalivæ, bilis, ſuccique pancreatici præliis, atque erroribus nanciſci originem dictitarunt. Quid dicam de *Hypothetiſtis*, adaucti ſolidorum momenti, qui ſanguini, aliiſque animalibus liquidis actionem quamlibet adimunt, denegantque; de acidi, & alcalici ſemper depræliantium Patronis, aliiſque ſimilis farinæ Methodicis? Neque inſuper in tam portentoſa medicarum Hæreſium multitudine defuêre qui ſtatus omnes morboſos & ſalubres occultis quibuſdam in quolibet animali latice nidulantibus vermiculis tribuerint. Sed pudeat innumera alia vigilantium inſomnia recenſere.

Quòd ſi procul ab his fucis atque illuſionibus, Ars noſtra poſt auream illam Hippocraticam ætatem, quôquô indè ſæculô per aſſiduas, nitidaſque conſtantium Naturæ motuum Obſervationes, atque ab ipſis duntaxat diagnoſeos, & prognoſeos argumentis, & incrementis alita, ſolidè luculenterque adoluiſſet, an non à ſuâ illa felici infantiâ, in florentem poſtea juventutem traducta, jam propè maturitatis ſplendorem attingeret? Non ergo jurè tranſactorum Medicinæ, atque præſentium in primis temporum tenebras & infortunia non dolebimus; quibus nempe tam paucos Hippocraticæ Obſervationis ſectatores deprehendimus, atque ſuſpicimus, ut tota ſimul Europa vix aliquot hujuſce ingenii Viros, rariſque non

 niſi

niſi intervallis annorum obtulerit: Italia Mercurialem, Martianum, atque Baglivium; Anglia Sydenhamium; Gallia Duretum; Hiſpania Mercatum; Germania Cratonem?

Quam ob rem cùm hæc aſſiduè ad ægrorum lectulos volutarem animo; diúque à morborum eventibus edocerer, necdum in ſcribentium codicibus genuinum illud prodiiſſe Syſtema, quod quidem univerſæ rei Practicæ commodam facem præferre queat, (quum morbus quilibet ſub unâ ſpecie comprehenſus, atque recognitus diſſimilibus ſemper, juxta varios ægrotantium ſtatus, antecedentibus, comitantibus, ac inſequentibus circumſtantiis ſtipetur, diſparemque idcircò obſervandi rationem inducat;) mecumque ſollicitè reputarem, non ſolùm Medico ſummopere conducere, in Theoreticâ parte, exemplô Hippocratis ſyſtematum præjudiciis expertem eſſe; ac leges mechanices, circuitus ſanguinis, virium percuſſionis, elaterii aëris, & ſolidorum, tum reliquam medicæ cogitationis ſuppellectilem nudæ ſimplicique clinicæ obſervationi poſt habendas eſſe (quandoquidem abſque hiſce meditationibus Hippocrates, eique addictiores Diſcipuli in adjuvanda ægrorum valetudine tam ſtrenuè valuere) verùm etiam ad rectè enucleanda, diſcernendaque, Divini Senis more, morborum genera, ac retegenda, adhibendaque opportunè remedia, ad manifeſtas humorum claſſes, per morbos in humano corpore delinquentium, confugiendum eſſe.

Ad præcipuum igitur morborum eruendum fontem, ſeu ad Hepatis & Bilis morbos tam altè diligenterque ab Antiquis perpenſos, atque deſcriptos, per accuratam diagnoſim inveſtigandos, à reliquarum partium, humorumque affectionibus diſcriminandos, ſaniori prognoſi, ac remediorum adminiſtratione excipiendos, moderandoſque, præſertim etiam à Nuperorum commentis vindicandos, improbo ſatis, diuturnôque labore me converti. Porrò cùm ejuſmodi Praxim hujus voluminis caput, ac princeps inſtitutum fecerim, theoreticas atque anatomicas diſquiſitiones, vel ſicciori pede tranſegi, vel disjunctis, divulſiſque veluti partibus ſubrogavi, ut fermè jam mihi plurimus ſperandi locus ſit, *Amice Lector*, fore

ut

ut in variis hujus Operis partibus à memet ipſo diverſus tibi videar. In primâ videlicet, & alterâ Hiſtoriȩ parte notabis forſitan juvenem Profeſſorem, animique fervore abreptum; in tertiâ verò maturiorem ſolidiorique usû rerum cogitantem, atque ſcribentem. Cùm enim illæ partes ante hos quindecim annos curſim ſcriptæ, rapidéque compilatæ fuerint, conſentaneum fuit, ſcribendi modum vividioris ætatis indoli, atque impatientiæ reſpondere. Hinc vitio mihi nequaquam vertendum duco, ſi, quòd à te nonnunquam argui poſſim inconſtantiȩ, facilem veniam deprecer.

Quâ verò fortunâ Hepaticorum hoc atque Biliarium morborum Opus expleverim tu ipſe etiam videris, candidumque judicium proferes. Atque ſi me mihi blandiri datum ſit, inſtauratam hanc biliariorum præcipuè morborum Doctrinam, atque conſtabilita Hippocratica de hujus principalis humoris erroribus fundamenta, inani illo Chimicorum ſuperducto olim ædificio feliciter, ſi ſuperis placet, demolito, cordatis Practicis nequaquam improbandum confido: Præcipuè cùm viderim, reſtitutam à cl. Musgravio Anglo lib. *de Arthritide ſymptomatica* Antiquorum Pituitæ ingenitam in creberrimis morbis poteſtatem placuiſſe, plurimùm, plurimúmque ſanctiorem Praxim adjuvaſſe. Sed & illud ſpero fore, ut Atræ bilis genuinȩ affectiones in bonum lumen aliquando reddantur, accuratioribuſque Recentiorum placitis aptè congruant: ad hæc ſanguinis morborum pertractatio à Veterum ſcriptis minimè diſſentiat: quo quidem pacto ſanioris, feliciorisque Medicinæ proſpectum Poſteri tandem noſtri reviſant.

Totius Operis ordinem in appoſito Elencho perſpicies. Cur verò Prodromum Practicæ parti prætulerim, deinde ab ejuſdem inſtituto deſciverim, in Prȩfatione, quæ quidem eidem Parti præponitur, omniumque practicarum rerum ordinem aperit, facilè animadvertes. Initio ejusdem proloquii leges Hæc; *Ante hos tres annos, & quod excurrit, primas me Hepaticæ Hiſtoriæ ampliatas partes typis fuiſſe largitum*: Quæ quidem antea docearis velim; ea nimirum ante hos quatuor poſtremos annos à me conſcripta fuiſſe typisque conſignata. Fuſam accuratamque Præclariſſimi Guideti Diſſertationem, Tertiæ

hujus Partis caput eſſe perſpicies, quam ſanè Commentariis noſtris per univerſam eandem partem perductis proſequi utile ſimul ac volupe fuit. Guidetus is eſt mei amantiſſimus, qui non tantùm ornatiſſimo hoc Opere noſtram ditabat Hiſtoriam, verum etiam in noſtris *annotinis* bilioſis Conſtitutionibus ordinandis, quum ſuperiori anno propter Anatomici Curſus labores per nos haud aſſiduè liceret, comem operam inſumpſit; locupletem adhæc totius Operis indicem, quæ humanitas eſt, ac ſingularis in nos benevolentia, collegit, ſummôque ſtudiô digeſſit.

De cætero ad edendas, ac ferè ſingulis noſtrarum Iconum explicationibus interſerendas, multiplicandas inſuper, ac longiùs protrahendas Animadverſiones, non eò ſolùm, Amice Lector, adductus ſum, ut jacta in meam priorum editionum Hepaticam Hiſtoriam acerrima Cenſorum jacula, veluti ex objectis veritatis clypeis repellerem, atque retunderem; ſed maximè ut aliquibus locis preſsè quidem nimiùm in prima Parte propoſitis ſupplementa aliquot adjicerem, iiſque etiam planiora facerem. Cùm autem mihi ut jam indicavi, è veſtigio inſtituerim practicum opus complecti, & in hôc mihi publicæ utilitatis honeſtum propoſitum facere, idcircò non verbis, ſed rebus ſtudens, conatus ſum genuinam illam ſimplicemque rationem Medici ſcriptoris attingere, tempore utens in colligendis illis, depromendiſque obſervationibus, quibus Tirones noſtri doctiores, ac peritiores evadant, non verò inutiliter projiciens in radendâ ab optimis Latinæ Linguæ cultoribus ſermonis illâ elegantiâ, quâ quidem diſertior, atque eloquentior evaderem, aut ſaltem evaſiſſe viderer. Quid enim hoc ſtudium in medicis rebus præſtare poſſet? An verbis curantur ægritudines? An medici plerique Scriptores, qui ſeligendis vocibus tam avidè incumbunt, ut neque literulam ſcribere latinè audeant, quam in Calepinis, & Nizoliis (quos ſemper in manibus verſant) non conſuluerint, utiliora Poſterorum memoriæ committunt? Cùm enim Latinam linguam, quæ mortua jam dudum jacet, neminem funditùs callere putandum ſit, delibare autem ex ea quidpiam nemo valeat, niſi per diuturnas vigilias, & acerrimas antiquorum codicum perveſti-

gationes,

gationes, ut longâ tandem ac ſeneſcente patientiâ in locutionem Ciceronis, Cæſaris, Terentii, Livii, aut cujuslibet priſcorum aurei ſæculi eleganter loquentium inquirere, eamque imitari videatur; Quorſum nobis tantum iſtud ligandi verba artificium, tantique laboris longævitas? Quid mihi aut medicis Tironibus proficere poſſe cenſuiſſem, ſi quod ſtudium Medicis diſquiſitionibus vertendum eſſe ſtatueram, idem totum aut plurimum elimandæ, volutandæque diutiùs elocutioni, ac ſeligendis voculis impendiſſem? Scripſi igitur Hepaticam Hiſtoriam calamo non quidem à Dictionariis libris, ſed ab accurata mentis contentione perducto: Hinc Barbariſmos, alioſque latini ſermonis errores, quibus fortè quilibet in Philoſophicis curriculis imbui facilè ſolet, in hanc ubertim irrepſiſſe non diffiteor. Atque cùm ante hos ſeptem annos plurima Genevenſium Bibliopolarum in primis hujus Hiſtoriæ recudendis partibus feſtinatio orta ſit; Vix ad quędam earum amplianda ſolemniora loca me contuli: Nihil verò de perpoliendo ſermone cogitavi: Fortè etiam invaleſcentem noſtræ hujus ætatis pro latina elegantia pruriginem non adhuc ſatis adverteram. Hinc binæ iſtæ Partes, quæ quidem cum Tertia publici nunc juris evadunt, demiſſiùs adhuc, barbaréque loquuntur. Hujuſce tamen meæ me modò non pœnitet negligentiæ. Quippe cùm nobis in præſens incumbat penſum eaſdem has partes à Cenſoribus aliquot ante annos eruptis tueri, gaviſus valde ſum, eaſdem vel in ipſis ortographiæ mendis fuiſſe ſibi religiosè relictas; ut hoc pacto loca ab Adverſariis impugnata, neque immutatâ literulâ, recognoſci undequaque poſſint; atque obtrudendi locus non ſit, me voculas Hiſtoriæ mutando, ſenſa etiam quoquomodo immutaſſe. Sed demum luculentum animi ſolamen eſt, me quidem non fugere, Doctos, Cordatoſque Viros, Medicorum Auctorum ſignificationes, & ratiocinia, non verò ſtylum, atque grammaticas tricas attendere. Quamquam verò tertiam digerens Partem conferendis dictionibus nonnihil plus dederim; tanto interea inanique mancipio nunquam me adeò ſubmittere valui, ut plurimi in adverbiis, aliiſque locutionis membris errores, præcipuè in hujus partis principium, non adhuc effugerint. Verumtamen eſt

errata aliqua, fortè etiam non pauca, per ſingulas hujus Hiſtoriæ partes diſperſa referenda eſſe noſtræ à Typorum loco abſentiæ, atque diſtantiæ, ut eorum correctionibus commodus vacandi locus non fuerit. Ita de hujus generis erratis ad calcem operis monitum haberi curavimus. Sed alterius generis errores, quorum quidem uberiorem ineſſe copiam fatemur, tu ipſe, ſi lubeat, operæque ſit pretium, emendato. In hoc interea prolixo Opere ingenuum meum tibi totique medicæ juvandi Reipublicæ complectere animum, meiſque in laboribus profice. Neque, deprecor, prehendat te amarulentia, atque vulgaris illa cacoëtes lacerandi ea, quæ in publicum commodum lucubrata, ſunt & conſcripta. Irrue, ſi lubet, in locutionem, quam imperfectam, imò ob varia ſcribendi tempora deformem iterum ſanè condemno. (quandoque enim prudentiæ eſt, leve quidpiam & ferè inane detractioni, & invidiæ concedere, ut ab earum morſibus ſolidiora ſerventur,) Neque certè de hac tam dulci literatorum Hominum mentis ægritudine laborabo. Sed caveas ratiocinia noſtra, Practicas, imò & Anatomicas obſervationes, aliaque ad Medicæ ſcientiæ illuſtrationem ſpectantia, adoriaris, & rodas. Vererer enim fædum illum tuum adversùs artis noſtræ Reipublicæque utilitatem pervicacem æſtum latè nimiùm patere poſſe. Jamque in æternum vale, atque pro certo habeas, me eorum omnium, quæ in prima hujus Hiſtoriæ editione præfatus fueram, ſimulque pollicitus, memorem eſſe, & ſollicitum. Dabimus enim aliquando, ſi me diligant Superi, univerſalem Humani corporis Hiſtoriam. Stationales Taurinenſis cœli promiſſos morbos; in biliofis noſtris plurium annorum Conſtitutionibus indicaſſe nunc ſatis exiſtimo; quanquam in his biliares affectus conſultò perſequar, curſimque & obiter cæteros. Deſponſas præterea cùm theoreticas alias, tùm practicas diſquiſitiones digerere tandem luculenter poſſe, & abſolvere non diffido. Quandoquidem literaria Opera, quò plurimus provectis annis rerum uſus invaluit, eò meliora fiunt, ac ſelectiora: Atque dictante Tulpio *Nihil conſiliis medicis tam inimicum eſt, quàm Celeritas.*

ELENCHUS

ELENCHUS TOTIUS OPERIS.

HISTORIÆ HEPATICÆ

PARS PRIMA

Colligens quæ ad Hepatis Theoriam ſpectant.

CAPUT PRIMUM. Neceſſitas naturalis in Animali ſecretionis humorum. Pag. 1
Cap. II. Diverſitas fluidorum, quæ ſecernuntur in Animali 3
Cap. III. Variæ ſecretionis Animalis Hypotheſes 7
Cap. IV. Rejicitur opinio Fermentiſtarum 9
Cap. V. Confutatur Poriſtarum ſententia 11
Cap. VI. Conſideratur Hepar ſecundùm partes externas 16
Cap. VII. Deſcribuntur Vaſa Hepatis lymphatica, & Nervi 18
Cap. VIII. Deſcribuntur cætera Hepatis Vaſa 22
Cap. IX. Deſcribitur Hepatis ſtructura interna, ſeu ejus Parenchima 28
Cap. X. Exponitur ſecretio liquidi à liquido in Inanimatis 32
Cap. XI. Secretio liquidi à liquido in Vegetabilibus 34
Cap. XII. Secretio liquidi à liquido in Animalibus in genere 40
Cap. XIII. Secretio in Animali liquidi bilioſi in ſpecie, & obiter de alio-

aliorum liquidorum ſecretionibus 50
Cap. XIV. Quid ideò bilis ſit: quomodo fiat in animali: an in ſolo Hepate generetur: An priùs in ſanguine generata jam ſit, & confecta? 71
Cap. XV. An bilis ex ſe ſe tenuior ſit toto ſanguine ſimul ſumpto; an æqualis conſiſtentiæ; an craſſior 78
Cap. XVI. Bilis uſus poſt ultimam à ſanguine ſecretionem ſuam in hepate 85
Cap. XVII. Exponitur ſtructura, & uſus cyſtis felleæ 99
Cap. XVIII. Exponitur modus influxus bilis in cyſtim 102
Cap. XIX. Exponitur modus effluxûs bilis ex cyſti 106
Cap. XX. Vaſa cyſtis propria, eorumque uſus 111
Cap. XXI. Quantitas bilis, quę in hominis hepate naturaliter excernitur 116
Cap. XXII. Alter hepatis uſus præter ſecretionem bilis 120
Cap. XXIII. Tertius hepatis uſus 123

HISTORIÆ HEPATICÆ PARS SECUNDA

Complectens quæ ad Hepatis morbos pertinent.

Cap. I. & Præliminare. DIVISIO MORBORUM 125
Cap. II. Morbi Hepatis à toto ſolido 130
Cap. III. Morbi Hepatis à ſolido Vaſculari 137
Cap. IV. Morbi Hepatis à ſolido Nerveo 140
Cap. V. Morbi Hepatis à fluido 143
Cap. VI. Morbi à ſecretione Hepatis aucta 161
Cap. VII. Morbi à ſecretione Hepatis diminuta 165
Cap. VIII. Morbi à ſecretione Hepatis abolita 166
Cap. IX. Morbi à ſecretione Hepatis depravata 167
Cap. X. Morbi à ſecretione Hepatis ad alia etiam organa translata 179
Cap. XI. Morbi Hepatis à corpore extraneo 187
Cap. XII. Prodromus ad Praxim morborum biliariorum 195

HISTO-

HISTORIÆ HEPATICÆ

PARS TERTIA

Aperiens ea, quæ morborum Hepatis, præcipuè biliariorum Therapeiam, ſeu curationem adimplent.

AUCTOR Lectori ſuo in hanc Partem introducendo Pag. 206

JO. THOMÆ L. GUIDETI de Bilioſis Affectionibus, & præſertim de Bilioſa Pleuritide Diſſertatio Epiſtolaris ad Ampliſſimum Virum JO. BAPTISTAM BIANCHI 213

De vera inquirenda Medicina. Canones Practici 215

De Primis cauſarum internarum in morbis hominum generibus ſecundùm ſententiam Hippocraticam 218

De Febribus bilioſis ſtationariis, acutis, & pernicioſis, vulgò etiam malignis nuncupatis. Canones Practici 224

De vario Pleuritidis genere & ſignatim de biliosâ Pleuritide Tractatus 232

De Tertianis Vernalibus. Canones Practici 277

De Ingreſſu Tertianę Biliaris pernicioſæ, ejuſque indicatione. Canones Practici 280

De Bilis naturalis in febriferam mutatione. Canones Theoretico-Practici 290

De occaſione Emetici in bilioſis affectibus. Canones Practici 293

De occaſione Fotuum in bilioſis Affectibus. Canones Practici 295

De occaſione hauſtuum diluentium in febribus bilioſis, & inſuper anodynorum, clyſterum, cardiacorum, cucurbitularum, frictionum, ſudoriferorum, diureticorum, & veſicantium. Canones Practici 298

Tractatus de morbis ex Bile in Hepate, aut extra Hepar particularibus. 311

De Iċtero. Canones Practici Pag. 313

De obſtructione Hepatis, & obiter de Scirrho, aliiſque in hoc viſcere morboſis congeſtionibus. Canones Practici 322

De Hepatis Phlegmone. Canones Practici 332

De Hepatis Abſceſſu, atque Ulcere: & primùm de Abſceſſu. Canones Practici 355

Hiſtoriæ Abſceſſuum, & Vomicæ Hepatis 367

Ulcus Hepatis. Canones Practici. 370

Hiſtoriæ hepaticæ exulcerationis ſecundi generis, morbis aliis copulatæ 375

De Hepatitide. Canones Practici 377

Appendix ad Hepatitidem. De Hepaticis Hypochondriacis, ſeu Hypochondriacâ bilioſa Paſſione, ab Hippocrate ſub nomine Reſiccatorii morbi deſcriptâ 417

De eryſipelate Hepatis. Canones Practici 422

Hiſtoria Hepaticæ Phlegmonis non ſuppuratæ, citiúſque idcircò lethalis; ſeu Obſervatio LXIX Caroli Piſonis lib. de morbis à ſeroſâ colluvie ortis 435

Dolor Hepatis ſpaſmoticus, arthriticus, & flatuoſus. Canones Practici 436

Hepatis Vulnus, ejuſque contuſio, & ſciſſura. Canones Practici. 444

De fluxu Hepatico. Canones Practici 455

De felleæ Veſiculæ morbis Appendix, atque in hac Canones Practici 471

De Bilioſâ Phrenitide, & Perfunctoriè de aliis Capitis pariter bilioſis, ſeu à primogenio bilis vitio ſympathicis Affectibus. Canones Practici. 492

Appendix de Bilioſo Capitis dolore, ſeu Cephalalgiâ, Cephalæâ, & Hemicraniâ bilioſis; de bilioſâ inſuper vertigine, & tandem de Mania, quæ à bile eſt. Canones Practici. 506

De Bilioſo Vomitu; & obiter de Ventriculi æſtu, ardore, ſeu Sodâ, Cardialgiâ, Singultu, aliiſque ejuſdem morbis à Bile productis. Canones Practici 515

De Bilioſâ Diarrhœâ. Canones Practici Pag. 531
De Bilioſâ Dyſenteriâ. Canones Practici 539
Hiſtoria Bilioſæ Dyſenteriæ à bile viridi è cyſti manante, unde Ilei, & Coli inteſtini corruptio 561
De Bilioſo Teneſmo. Canones Practici 562
De Bilioſâ Colicâ Affectione. Canones Practici 565
Hiſtoriæ aliquot Bilioſæ colicæ 585
De Colica Pictonum. Appendicula 592
De Cholera morbo. Canones Practici 595
Hiſtoriæ cujuslibet Cholerici morbi ſpeciei 612
Hiſtoria I. Legitimam ex flava, ſed coloratiori Bile cholericam paſſionem exhibens ex Hipp. V. Epid. ibid.
Hiſtoria II. Cholera morbus porraceæ Bilis à veneno progenitus, & ab Authore feliciter curatus 613
Hiſtoria III. ſeu Obſervationes Choleræ morbi ab æruginosâ Bile 617
Hiſtoria IV. Cholera morbus ex Bile atra lethalis ibid.
Hiſtoria V. Cholera mortifera Vitellinæ Bilis ab Hypercatharſi in Gravida 618
Hiſtoria VI. De Cholera humida, ſeu ſpuria, & VII. de Cholerâ ſiccâ 619
De Bilioſa Lipyriâ. Canones Practici 621
Hiſtoria Bilioſæ legitimæ Leipyriæ 627
Hiſtoria Bilioſæ ſpuriæ, ſeu imperfectæ Leipyriæ 628
Scholia XXVIII. reliquis Guidetianæ Diſſertationis numeris reſpondentia, quorum primum 631
ultimum 699
Hiſtoriæ aliquot Bilioſarum Pleuritidum anni 1722. Emetico remedio facilè curatarum, aut ſine emetico lethalium. 682
Epidemicæ Bilioſæ Conſtitutiones 709
Introductio ad Conſtitutiones epidemicas 711
Conſtitutio anni 1711. 717
Conſtitutio anni 1712. 718
Conſtitutio anni 1713. 720

Conſtitutio anni 1714. 722
Conſtitutio anni 1715. 724
Conſtitutio anni 1716. 731
Conſtitutio anni 1717. 734
Conſtitutio anni 1718. 736
Conſtitutio anni 1719. 757
Admonitio pro anno 1720. 759
Conſtitutio Pleuritica anni 1721. ibid.
Conſtitutio anni 1722. 765
Conſtitutio anni 1723. 768
Appendix Conſtitutionis anni 1724. ad uſque Vernum ejus tempus 778
JACOBI VERCELLONI De Bile acutâ, & imminutâ ad Illuſt^um^. Virum D. JO. BAPTISTAM BIANCHI 785
Scholium Auctoris, De bile hominum peſte denatorum, aliorumque ab aliis morboſis affectionibus correptorum 803
Epiſtola D. D. CAROLI RICHA ad Ampliſſ^um^. AUCTOREM 807
De Impedimentis Circuitus ſanguinis in genere, Epiſtolica cum figuris Diſſertatio I. Auctoris ad Clar. D. *Paulum Hieronymum Bimium* Mediolanenſem 811
De Febris Natura & effectibus in genere, Epiſtolica Diſſertatio II. cum figuris, ſive Epiſtola Geometrico-practica Auctoris ad Amiciſſimum Virum D. *Antonium Paterium* Medicum atque Philoſophum Præſtantiſſimum 844
Ichnographia Hepatica novem Tabulis ad vivum inciſa, Decimâ ad inſtituti complementum additâ Tabulâ 881
Ordo Tabularum Ichnographiæ Hepaticæ 882
Tabula Prima cum explicatione, Hepar gibbum, ejus Lymphatica, ligamenta, Tunicam, partes, & principales habitudines exhibens 883
Tabula II. cum explicatione, Hepar Cavum, ejus Vaſa, & præcipuas habitudines oſtendens 893
Animadverſio I. ex hac Tabulâ elicita. De genuina trunci Portæ ſede

ſede in Cavâ Jecoris regione Pag. 899

Animadverſio II. De loco trajectus venæ Cavæ, ejuſque ramorum per hepatis ſubſtantiam 900

Tabula III. Cavi hepatis lymphatica; Capſulam in ſitu, aliorumque vaſorum Hepatis, atque in primis minorum arteriarum habitudinem ſignificans; cum explicatione 901

Animadverſio I. ex hac Tabulâ elicita. De commercio Lymphaticorum Hepatis cum conglobatis glandulis, ejus cavæ regioni aſcititiis 912

Animadverſio II. De Lymphaticorum origine in genere; atque de ſpecialium Hepatis, & folliculi fellei itineribus 917

Animadverſio III. De ſpeciali lymphaticorum Ductuum per Hepatis ſubſtantiam progreſſu. 922

Animadverſio IV. De Arteriæ in Hepate habitudine, & termino 925

Animadverſio V. De ratione Glandularum Lumbarium cum chylari ciſternâ in Homine 929

Tabula IV. Hepatis Nervos, eorumque Hepaticum Plexum demonſtrans; ejuſdemque Tabulæ explicatio 930

Animadverſio I. in hanc Tab. IV. de Hepaticorum nervorum diſtributione, atque cum finitimis aliis nervis conſenſu ex Williſio, & Vieuſſenio 933

Animadverſio II. in Tab. IV. De ratione vaſcularis ſtructuræ in Nervis 937

Tabula V. Vaſa Hepatis biliaria, præſertim hepati-cyſtica, & cyſt-hepatica complectens 940

Animadverſio in Tabulam V. ubi evertuntur effictæ objectiones in expoſitos ductus Hepati-cyſticos, & Cyſt-hepaticos &c. 944

Tabula VI. Vaſa hepati-cyſtica in Hepate morboſo, confirmans ex communicatione epiſtolica ſolertiſſimi Anatomici Bononienſis *Caietani Tacconi* 962

Ejuſdem Tab. VI. explicatio 966

Tabula VII. cum explicatione, Veſiculas aliquot felleas humanas

extra Hepar ad Tabulam appoſitas &c. exhibens, quibus accedunt organa biliaria Salamandtę aquatilis, atque inſuper Figura extra ordinem reticulatæ, ac *celluloſæ* Hepatis fabricæ Pag. 967
Animadverſio I. ad fig. I. Tab. VII. De variâ cyſticæ cervicis, cyſticique ductus interiori ſuperficie, atque habitudine, ejuſque uſu; tum de ſuppoſito felleæ veſicæ ſphinctere 969
Animadverſio II. ad fig. III. ejuſdem Tab. de genuina ſede Muſcularis Tunicæ in Animalium Veſicis 980
Animadverſio III. ad figuras ejuſdem Tab. De Bilis ab Hepatico Ductu per cyſticum in felleum folliculum Ingreſſu 990
Animadverſio IV. ad figuras ejuſdem Tab. De cauſſa Bilis egreſſus è propriâ Cyſti 999
Animadverſio V. in omnes hujus Tab. VII. expoſitas figuras De ratione fundi, cervicis, & colli in felleis folliculis &c. 1019
Animadverſio VI. ad eandem Tab. VII. De Bilis, in primis Cyſticæ functione, uſuque in inteſtino; & obiter de ejuſdem principiis &c. 1026
Tabula VIII. cum explicatione, exponens Truncum Portæ tribus figuris à Jecoris Parenchymate expeditum, ut varię ejuſdem habitudines diligentiùs oſtendantur 1053
Animadverſio ad Fig. I. Tab. VIII. De Muſculari Gliſſonianæ capſulæ naturâ 1055
Animadverſio I. ad Fig. II. Tab. VIII. De variis venæ Portæ per varia abdominis viſcera diſtributionum modis 1067
Animadverſio II. ad Fig. II. Tab. VIII. de altera ex cauſſis ſecretionis humorum in homine, & bilis nominatim; ſeu tarditate in devehentibus vaſis inducta 1069
Animadverſio III. ad Fig. II. Tab. VIII. De commentitia Bilis in felleo folliculo ſecretione 1085
Animadverſio ad Fig. III. Tab. VIII. De vero in hac figurâ Auctoris Bartholomæi Euſtachii ſenſu 1098
Tabula IX. Ultimò cogitabiles vaſorum Portæ, Cavæ, & pori biliarii per totam Jecoris ſubſtantiam concurſus: Addito
Ani-

Animalis in genere ſecretionis ſchemate. Cum explicatione Tabulæ Pag. 1101
Clariſſimi Viri D. JOSEPHI ANTONII PATERII explicatio figuræ Secretionis in genere per Propoſitionem XVI. decerptam &c. 1107
Animadverſio I. in figuras Tab. IX. De glanduloſis Acinis Malpighii 1118
Animadverſio II. in explicat. Tab. IX. Urinæ colorem à bile potiſſimum eſſe 1124
Animadverſio III. In omnes figuras atque explicationes Tab. IX. quædam recolligens circa concurſus Portæ, Cavæ, & biliferorum ductuum in Hepatico viſcere; ac circa modum bilioſæ Secretionis &c. 1129
Epiſtola D. Præſulis LANCISII ad Auctorem pro abigendis Diſſentionibus inter Literatos Viros 1133
Animadverſio ultima. In quædam loca Primæ, & Alterius Partis hujus Hiſtoriæ hepaticæ 1134
Epiſtola laudati Præſulis LANCISII quaſdam Auctori exponens difficultates in hepaticam Hiſtoriam primæ editionis anni 1711.
Tabula X. explicat in genere Impedimenta circuitus Sanguinis, atque Febris naturam, & effectus 1158
Explicatio Figuræ extra ordinem ad VII. Tabulam poſitæ, atque Hepatis lobum, ejuſque abditiorem fabricam exprimentis 1159.

INDEX

INDEX AUCTORUM

Quibus Hiſtoria Hepatica illuſtratur, ſive, qui ad Operis inſtitutum ſuis locis citantur.

ABrah. Georgi
Ægineta *Paulus*
Aëtius
Alexandrinus *Julius*
Amſtelodamenſes
Andry
Aquapendens
Ariſtoteles
Arniſæus Henningus
Aſſelinæus *Petrus*
Auctor Diarii Gallici
Backius
Baco
Baglivius
Ballonius
Barbette
Barnerus
Bartholinus *Th.*
Bauhinus
de Beck *David*
Beckerus
Bellini
Benivenius
Bergerus
Bertinus
Bidlous
Bilſius
Binningerus
Binoſquius
Blancardus
Blaſius
Boerhaavius
Boirel
Bohnius
Bonetus
Bontius
Borelli
Borrichius
Boyle
Braſavolus
Brunnerus
Butler
Campolongus
Caldeſius
Carceus
Cardanus
Celſus
Ceſvin
Charletonus
Charriere

Chartades
Cheſeldenius
Citeſius Pictavienſis
Columbus Realdus
Cokburn
Cornelius Gemma
Cornelius *Thomas*
Coſterus *Samuel*
Cowperus
Courtial Toloſanus
Curtius
Czaſchelius *Tobias*
Davinus
Democritus
Deſiderius
Deuſingius
Diemerbroeck
Dodoneus
Drelincurtius
Duretus

Entius
Ephemerid. Germ.
Eraſtus
Ettmullerus
Euſtachius
Fallopius
Fantonus *Jo: Baptiſta*
Fantonus *Joannes*
Fehr *Jo: Mich.*
Fernelius
Florentinus *Nicolaus*
Fonſeca *Rodericus*
Fontanus *Nicol.*
Foreſtus
Fortis *Raym. Jo:*
Frantzenau
Fribe *Melchior*

Galenus
Gemma
Georgi Albiganenſis
Gerbeſius
Gladbachius
Glandorpius
Gliſſonius
de Grad. *Matth.*
Graaf *Regnerus*
Grandi *Jac.*
Greaume
Greulichius
Grewius *Nehemias*
Guarinonius

Harderus
Hecquet
Heiſterus
Helvetius
Helvich.
Henen
Henningerus
Hermannus
Higmorus
Hildanus
Hippocrates
Hoëferus
Hoffmannus
Hollerius
Horſtius
Hovius
Huldenreich

Jacotius
Janus de Burgo
Jaſolinus
Jolivius
Jordanus *Th.*
Journal des Scavans
Junkenius

Kerkringius

Lamoniere
Lanciſius
Lanzoni
Laurentius
Lentilius
Litrius
Loſpichlerus
Loſſius

Malpighius
Mangetus
Marchettus *Petrus*
Marchettus *Antonius*
Martianus
Martius *Jeremias*
Matthæus de Gradibus
Meeckren
Menjotius
Mercklinus
Mercurialis
Mery
Mermannus
Michaelis *Jo:*
Moëbius
Moinichen
Montuus
Morton
Munnickius
Muſgravius

Needham
Nenterus
Newtonus
Nicolaus Florentinus
Nuckius
Offredi *Carolus*
Olaus Wormius
Olligerus Jacobæus
Paiſenius
Panarolus
Papinius
Pareus
Pawius
Pechlinus
Perault
Petrus à Caſtro
Pigreus
Piſo
Pitcarnius
Platerus
Plempius
Protoſpatharius
Pruttenius *Daniel* in Miſcel. Curios.
Raygerus
Reies
Riolanus
Riverius
Riverius reformatus à Calmette
Redulphus Camerarius
Rudbeckius

Ruel-

Ruellius
Ruyſchius
Rumlerus
Sacchus
Sala
Salmuthus
Salzmannus
Saxonia
Sbaralea
Schelhammerus
Schenkius
Schneiderus
Schraderus
Schröckius
Schuiltus
Scultetus
Segerus
Seneca
Sennertus
Septalius
Simoni
Sinibaldus
Sladus
Slegelius
Spigelius
Steno
Stierus
Strigelius
Swamerdamus
Sylvius de le Boë.
Tachenius
Tackius
Tavernierius
Taury
Teichmeyerus
Torti
Tozzi
Tulpius
Valleriola
Valleſius
Valliſnerius
Valſalva
VanHorne
Velſchius
Verheyenius
Verna *Jo: Baptiſta*
Verneri *Abrah.*
Verulamius
Veſalius
Veslingius
Vieuſſenius
Vogli *Hyac.*
Volcherus
Warthonus
Wedelius
Wierus
Willis
Wium *Petr. Eduardus*
Woodwartius
Wolfartius
Wolfius
Zacutus
Zerbus
Zodiacus medico Gallicus
Præter alios eruditiſſimos Doctores, qui in Rerum Indice celebrantur.

HISTORIÆ HEPATICÆ
PARS PRIMA.
Colligens quæ ad Hepatis Theoriam ſpectant.

CAPUT PRIMUM.

Neceſſitas naturalis in Animali Secretionis humorum.

§. I.

A*NIMAL eſt fabrica ſe ipſam movens, liquidis, mollibus, & duris partibus conſtructa.* Liquidæ, & molles movent invicem, & moventur; Duræ, motus ſuſtinent, & fulciunt. Motuum perennitas, vita eſt. Moventium, & motarum partium reciproca attritio abſque mutua etiam deperditione non venit. Quoniam itaque per motuum vitalium neceſſitates continua fit per totum animal ſubſtantiæ integrantis jactura, continua etiam in animali reparatio depoſcitur. Reparari in animali, quod naturaliter deperditur, nutritio eſt: Reparans, alimentum dicitur. Cùm ideo introduci in nutriendum animal alimentum debeat, hinc variè, ut variæ in eodem ſunt nutriendæ partes, diſtribui patet jam naturalis in animali neceſſitas ſecretionis alibilium.

§. II.

Quoniam autem alimenta, quæ, ut ultimos adeant partium

A nutrien-

nutriendarum ſinus, reducuntur ad humoris naturam in organis animalis chilificantibus; indè per commune vehiculum, ſeu ſanguinem, ad eaſdem omnes tranata, particulas non omnes ſuas deferunt in eundem ſanguinem ad nutritionem conformes; tum quia earum plures reduci non poſſunt ad parvitatem, nutritionis operi idoneam; ſeu (quod idem eſt) in tantam exilitatem non veniunt, quanta exilitas fuerat in deperditis particulis; Tum quia earum plurimæ conformis naturæ non ſunt cum partium animalis natura: ſic jam conſtat ulteriùs naturalis in animali neceſſitas ſecretionis, non tantùm alibilium humorum, ſed & aliorum inſuper; quos ideò ab hac nutriendi incongruitate, non alibiles vocamus, ſed recrementitios, aut excrementitios: Primos adhuc utiles, alteros omnino inutiles.

§. III.

Rurſus: Licet omnes alimenti chilificati particulæ congruæ forent nutritionis officio, extra dubium tamen eſt, earum non paucas ſanguinis fluento innatantes variiſque, per ejuſdem curſus, ſolidorum, & liquidorum motibus impetitas, ſolutas, attritas, eis ſenſim exui figurâ, magnitudine, locatione, quas exigit nutritionis negotium. Cùmque in horum motuum vigore vitæ jura ſerventur; patet jam, formari naturaliter debere in ſanguine ex nutritiis corpuſculis, corpuſcula ad nutritionem inepta: Ea idcirco ex humoris nutritii, ejuſque vehiculi, ſeu ſanguinis gremio naturaliter repudianda. Et ecce nova neceſſitas ſecretionis fluidorum à ſanguine.

§. IV.

Inſuper, poſthabitis hiſce ſecretionis naturalis exigentiis, adhuc tamen alimentares maſſulæ congeri in ſanguine poſſunt copiâ revera majori, quàm poſcat hæmatoſeos penus, & nutritionis; ſicque ex renovatis perenniter congeſtionibus plus, magiſque redundantes, & inutiles fieri: Hoc ideo vel ſolo de nomine foras à maſſa abigendæ. Addite, concretas jam ſolidorum compaginem, exutâ liquoris formâ, per multas alimentarias partes, abradi in dies, eliquari, abripique à ſanguine, earumdem partium aditus omnes trajiciente, & in ejus mixturam noviter

vitèr reaffundi: Quæ tamen, tamquam ſupervacaneæ, vel nocuæ, abejus mixturâ removendæ ſunt. Et jam confirmata neceſſitas naturalis in animali ſecretionis fluidorum à ſanguine.

CAP. II.

Diverſitas fluidorum, quæ ſecernuntur in animali.

§. I.

REi noſtræ inſtitutum recrementitiorum potiùs, quàm alibilium humorum mentionem poſtulat. Duplicis familiæ ſunt hujus generis fluida, quæ dictis de cauſis ſeparantur à ſanguine: Palpabilia prima, ſeu ſenſibilia, proprio humorum nomine inſignita: Impalpabilia altera, ſeu inſenſibilia, quæ adhuc, à variis acquiſitæ tenuitatis gradibus, effluvia, fuligines, aut flatus noncupantur. Prima compararem cum cineribus à deflagrante corpore reſiduis; aut fecibus à variis liquoribus naturaliter ſubſidentibus: Aſſimilarem altera cum halitibus à liquore aliquo ebulliente, aut fuliginibus ab igne accenſo, aut vaporibus à ſimplici fluido, exhalantibus.

§. II.

Quià ſanguis per vaſa denſis parietibus circumtexta pererrat in animali; Primi generis fluida ab ejus complexu ſecedere nequeunt ordinariò, niſi illis in partibus, ubi idem appellens cruor, ampliora, quàm ſint per vaſorum hactenùs peragratorum parietes, oſtia reperit, molibus ſcilicèt partium ſecernendarum tranſcolandis conformia. Haſce partes parenchimata vocarunt antiqui; eodem indè ab eiſdem extenſo nomine ad alias omnes corporis animalis, quæ ſubſtantiâ molli, & non fibroſâ, ſeu in ſe ipſam non contractili componuntur: Recentiores autèm inverſo ſolùm vocabulo, non magis elucidatâ ſtructurâ, glandulas, eaſque ordinariò conglomeratas appellant. Alterius generis fluida ſecretorio hoc in partibus artificio non indigent: Et reverà, quoniàm corporaturâ dotantur ultrà conceptum omnem exi-

liſſima, facilè per inſenſibilia etiàm tunicarum vaſa cingentium ſpiracula fugiunt à maſſa communi; indéque per poroſam undiqué partium omnium ſubſtantiam tranſmeando, breviores propriis excurſibus comparant vias uſquè ad ſeceſſum è corpore. Sic *in ſect. 3. anatomiæ noſtræ generalis* oſtendam tranſpirationis inſenſilis materiem, glandularum cutanearum miniſterio non fungi ad ſui fugam è corpore; prò ut hæc glandularum hujuſmodi eludens occurſus, per quamcunque partium ſoliditatem exhalare poteſt. Nèc aſſerto deneganda fides; Dum certiſſima eſt, & decantata hujus etiàm materiæ per pulmonis telas trajectio; ubi tamén nullis aſſidentibus glandulis, tranſmiſſionem per ſolidam ejuſdem viſceris ſubſtantiam celebrari, quiſque fatebitur. Sic eodem privilegio flatus per omnes corporis tractus expatiantur, nullo ſecernentium glandularum commercio.

§. III.

Dixi, fluida ſenſibilia in glandulis, ſeu colatoriis, *ut aiunt*, à maſſa generali ordinariò ablegari, ac per diverſas vias ferri. Aſſertio hæc non excludit, liquida alia etiam palpabilia ſequeſtrari à ſanguine, abſque glandulari interventu. Succi nutritii ad alimoniam partium ſecedunt à ſanguine per lateralem tranſudationem. Siquidem in animali quidquid eſt, liquidorum, & canalium complexus eſt: Quidquid ideò nutritur, paries canalis eſt. Sanguis igitur ad principem hanc viventium functionem aſpirans fiſtulas omnes, molles, aut duras perfluit. In ultimis harum finibus patula ſunt lateralia millena foraminula, ſuccis alibilibus admittendis conformia. Ex hiſce ad replendos loculos recta via eſt. Hinc in canalibus gracileſcentibus inveſtientes tunicæ paulatim deponuntur. In ultimis tractibus tenuiſſima ſolùm tunica, & tamquam aranearum tela, rara, & poroſa circumvenit. Limpha etiam ab humorum volumine ubique in animali ſejungitur abſque organorum ſecernentium munere. Non loquor de aliis ulteriùs ſecretionibus, tum in ſtatu naturali, tum in præternaturali; in quo ultimo varii ſecernuntur latices per ſimplices vaſorum aperturas inſenſiles, abſque glanduloſo concurſu; ut in ſeri depluviis per partes, ſeu fluxionibus, *ut aiunt communiter*:

Inſuper

Inſuper in orgaſmo, in metaſtaſi &c. ſed de rebus morboſis non fluit hîc ſermo.

§. IV.

Fluida in glandulis ſecerni ſolita, duplicis claſſis occurrunt; Alia ſcilicèt, quæ tenuioris ordinariò ſunt conſiſtentiæ, quàm ſit in vaſis maſſa ipſa communis; Alia, quæ craſſioris. Et equidém, quoniàm univerſus cruor non tantùm elementis componitur quampluribus diverſiſſimè figuratis, & quantis; ſed inſupèr & totâ naturâ diſparibus, ità ut ex eis quædam congruis ab agentibus comminuta, & diviſa, ſi à dictis removeantur agentibus, inſito niſu vel intèr ſe ſe, vel cum attiguis aliis corporibus in mutuos amplexus redeant, & coaleſcant; non ſecùs ac impuræ naturalibus olei, aut mercurii particulæ; Alia autém in fragmentulis attrita, & diſſociata, facilè maneant in tali diſſolutione; non minùs ac in rebus ordinariis lapidum in pollinem attritorum portiunculæ: Quod patet in ſanguine ab animali extracto, & in aqua ſoluto, cujus particulæ aliquæ invicem in filamentula nectuntur, aliis in totali liquamine diſgregatis; Hínc ſequitur, fluida poſt varias motuum ſanguinis actiones, ut ſuprà, colliſa, & immutata, ideòque ab ejuſdem ſinu in colatoriis ſejuncta, ſpiſſiorem, ultrà ſanguinem totum, conſiſtentiam induere poſſe, quotieſcunque eorundem integrantia niſum ad mutuam inter ſe ſe, aut cum aliis corporibus adherentiam conſervent; non minùs ac ſub tenuioris texturæ ſpecie repræſentari, ſi componentia trahant contraria indole prædita.

§. V.

Adnumerantur inter liquida tenuia à ſanguinis alveo ſejuncta, Urina, Saliva, Succus pancreaticus, Sudor, Lacrimæ &c. quæ ex particulis coagmentantur tùm ex cibariis ſanguificationi, & nutritioni incongruis, tùm congruis quidem, ſed copioſioribus quàm deceat, tùm præcipuè jam pridem omni calculo ſanguinis maſſæ idoneis, & utilibus, ſed à variis ſensím machinæ motionibus, immutatis, & ineptis redditis, ut ſuprá; præcipué tamen mutuæ implicationi, & concretioni non facilibus. Veniunt inter craſſiora Bilis, Semen, Mucus inteſtinalis, naſa-

lis, faucialis &c. quæ componentibus extruuntur prædicto charactere præditis, ſed præſertím intricabilibus invicèm facillimè; quæque ideò ramoſa communitèr, ſeù viſcida vocitantur.

§. VI.

Intèr ſecreta à ſanguine craſſiora fluida, alia ſunt, quæ à cauſæ extinſecæ actione fortiùs indè craſſeſcunt, prætèr intimam ſuam ad craſſeſcendum diſpoſitionem; ut mucus narium, materia excreatûs &c. quæ licèt in ſecretione mediocritèr tenuia, concreſcunt indè notabilitèr ab aëris reſpiratorii contactu; vel quòd aër ſubtiliores rapiendo, mobilioreſque particulas, in ſtrictiori cæteras attiguitate relinquat; vel quòd nitroſitate ſua utraſque figat, & vinciat: quod modò non eſt ad rem determinare. Alia autèm, quæ ob intimam habitudinem ſuam abſquè cauſæ extrinſecæ concurſu incraſſantur; ut bilis, de qua impræsèns, quæ jàm craſſiuſculam notabilitèr corporaturam ducit in vaſis ſuis; quæque ideò implicabilibus, ſeù ramoſis invicèm partibus coadunari apùd omnes decantatur. Sic Neoterici Chimicis vocabulis ſanguinis principia indicantes, omnemque ramoſitatem plicabilem ſoli tribuentes ſulphuri, bilem deprædicant: *Contextum quoddam ex duobus ſulphureis, ſeu oleoſis principiis, uno à ſanguine, altero immediatè ab alimento; Quibus ſalia lixivioſa, acidaque mediocria implicantur; & ſerum in maſſa veteraſcens pro vehiculo concurrit.* Quibus Principiis addit famigeratiſſimus inter modernos Profeſſor, *Franciſcus De le Boe Silvius, & ſpiritûs volatilis, & terræ portionem.*

§. VII.

Colligimus ex dictis liquida per varia corporis colatoria è ſanguine in diem ſecreta, eſſentialia non eſſe ejuſdem maſſæ conſtitutiva, ſeù ad cruoris ſubſtantiam propriâ naturâ, intimaque præſentia non adeò concurrere, ut ſanguis non niſi mera congregatio ſit ex eiſdem particulis bilioſis v. g., urinoſis, ſalivalibus, pancreaticis &c. quæ indé ſpecialibus in incerniculis ab eodem ſucceſſivè tranſcolentur. Et equidém ea ideò ſecerni vidimus, quia ſanguini aùt illicò, aùt poſt moras in eo contractas informia; aùt quia nimia, & redundantia, ideòque nec ad intimam ejus compoſitionem facientia. Loquor de partibus humorum

humorum ſecretorum eſſentialibus; per quas videlicèt differunt inter ſe ſe, non de communi eorum vehiculo, ſeù ſero, quod maſſæ ſanguineæ naturale, & neceſſarium componens, ſicque cribrationi in eadem jam forma prævium, illis indiſpenſabilitèr impertitur à ſanguine ad debitam fluiditatem concinnandam. Obſcuriſſimus autèm omnium hùcuſque ætatum, & ſcholarum ſcopulus, modus eſt ſecretionis fluidorum hujuſmodi à ſanguine; qui tamen, quantùm noſtra dictitet tenuitas, dilucidè explicandus veniat supér ſecretionis hepaticæ exemplum: Quod ut fælicitèr aſſequatur, perpendantur primò ſupèr hac re authorum placita.

CAP. III.

Variæ ſecretionis Animalis Hypotheſes:

§. I.

OBſoletis jàm, ſuprà rectrices partium ſecernentium intelligentias, ſeù facultates inanibus veterum commentis, duas hodiè in ſententias generales dirimitur moderniorum popellus circà cauſam ſecretionis fluidorum in glandulis. Primi Chimicis phaſibus auſcultantes, humanoque accommodantes corpori, liquida quædam tenuiſſima, ſummèque energetica in incerniculis corporis omnibus ſtabiliunt à vitæ primordiis inſita; fermentaque vocant, quæ innata indè vi fluida quædam ſpecifica à ſanguine ibidèm præterfluente ſecernere poſſint continuò, & debeant. Sed in modo explicando diſſentiunt inter ſe ſe.

§. II.

Quidam per excentrationem fermentum agere autumant; latentes ſcilicèt, confuſaſque cum aliis particulas ſpeciales è maſſa laxata extricando, & colligendo; non minùs ac ignis humidas extrahat partes à ligno; aùt coagulum vitulinum lacti immerſum caſeoſa præcipitet principia: hoc ritu aſſerunt Fautores billioſas v. g. particulas cum humoribus cruoris cæteris ſtrictè implicatas,

intimèque

intimèque demerſas, à fermentitiis ſubſtantiis hepati inquilinis electivè impeti; à quibus ideò tanquàm textura difformibus in motum vindicatæ, tali expanſivo cieantur nixu, ut à maſſa communi divelli debeant, & extrudi, in ſe ſe invicém aglomeratæ.

§. III.

Sylvius De le Boë. Alii per generationem, & aſſimilationem; partes ſcilicèt propriè ſanguineas in diverſæ naturæ alias convertendo, ſimiles videlicèt ſibi; non ſecùs ac vini cantharum infuſum in dolio aceti, convertitur in acetum. Et hoc de nomine volunt, Bilem jàm in exemplum vſurpatam conflari ex ſanguineis propriè partibus, quæ ad hepar delatæ, ibidèmque cum bile indigena commixtæ, facilè in ejuſdem naturæ fluidum transformentur.

§. IV.

Gliſſonius. Cokburn. & alii. Plures tandèm per naturæ familiaritatem, & identitatem; partes ſcilicèt ſolùm eas electivè alliciendo, ſeque ipſis conſociando; quæ totali ſimboleitate congruunt; eiſque affines ſunt in pondere, figura, conſiſtentia &c. cæteras diverſæ dotis abigendo. Sic bilem tranſcolari in hepate, quià ſimillima bile à primordiis intincto; non in renibus v. g. urinæ ſolùm ſecretioni deſtinatis, quià ſola vrina omni tempore imbibitis; non ſecùs ac, facto experimento, paginæ chartaceæ dimidia, urina priùs imbuta, urinam tantùm tranſmittit, non bilem; altera verò pars bile priùs madefacta, bili tantùm trajectionem permittit, non urinæ. Hoſce omnes Fermentiſtas appello.

§. V.

Alteri autèm mechanicis in re vivente quaquaverſùm affectatis, varias corporis glandulas, vt totidem cribriformes machinulas reſpiciunt: Et ſicuti commune cribri inſtrumentum corpora appoſita varia inter ſe ſe ſeiungit, quia quibuſdam determinatæ figuræ, & magnitudinis foraminulis pertuſum, per eadem trajicit illa ſolùm corpora ex traditis in ſinu ſuo quamplurimis, quæ magnitudine ſua, & figura cum dictis foraminulis concernunt; cætera dictis de titulis improportionata, à tranſitu prohibet: Sic cùm ex particulis copioſiſſimis mole, & figura diſparibus

bus conſarcinetur & ſanguis, eandem & proportionaliter varietatem ſtabiliunt in inſenſibilibus glandularum meatibus; qua de re appellens ad eos cruor, varias in eiſdem inſtituat fluidorum ſecretiones; prò ut ſcilicet diversè in meatuum ſuorum textura excavata eſt glandula, aut congeries glandularum una, quàm ſit alia; adeò ut magnitudo v. g. & figura meatuum in glandulis hepaticis, correſpondens ſolùm ſit bilioſis moleculis trajiciendis, quæ ſunt in ratione dictarum diſpoſitionum conformi, non autem percolandis partibus v. g. urinoſis, quæ ſunt in ratione difformi. Sic viciſſim dicendum de glandulis renalibus non ad bilioſas, ſed urinoſas ſolùm partes quadrantibus. Et quia cribrorum communium operationem promovet admotum agens, ea, aut receptas ſecernendas ſubſtantias, aut utraque commovens; Eâdem analogiâ ſuffulti aſſerunt, in cribris animalibus liquorum ſecretiones urgeri à circuitûs impulſu, fluida quatiente, dictaſque impellente ad partes, concuſſas pariter. Nec hanc reciprocam magnitudinis, & figuræ conſonantiam ſtabiliunt ſolùm inter fluidum ſecernendum, & ſolidum glanduloſum ſecernens; ſed inſuper & inter maſſam ſanguinis communem, & idem ſolidum; adeò ut qui reſiduus eſt in glandula à ſucci peculiaris ſecretione ſanguis, ibidemque ab arteriæ termino eructatus, per eandem figuræ & magnitudinis proportionem inter particulas ſuas, & ſolidi porulos, venæ orificio accommodari debeat, eamque ad circulum perennandum ſubire. Hos poriſtas nuncupor. Cæteræ aliæ de ſecretione animali hucuſque ſtrepitantes hypotheſes, ad binas haſce reducuntur omnes, licèt apparentes ducant diverſitates.

CAP. IV.

Rejicitur opinio Fermentiſtarum.

§. I.

SI leviter titillas fermentiſtarum ſententiam, fugacem illicò ſentis, aut fatuam. Et equidem ſolutio ſanguinis, ſeu in

ejuſdem partibus cohæſionum mutatio, fermento glanduloſo imputata, abundantiùs exequitur à motibus ordinariis ejusdem fluidi, & ſolidorum præcipuè; à cordis impulſu validiſſimo; à vegeto arteriarum elatere, à vi partium omnium oſcillatoria; ab aëre pulmonico, à textura canalium, variiſque tandem potentiis eiſdem circumpoſitis. Datâ cæterum in glandulis inſiti fermenti operatione in obvium ſanguinem, ſolutione ſcilicet, ejuſdemque particularum ſecretione, adhuc petitur in pororum conformatione varietas; per quos ſcilicet aliquos ſecretus à reliquis derivetur ſuccus, per alios reſiduus cruor; quæ tamen pororum proportio in glandulis ad ſecretiones ineundas, confutabitur inferiùs.

§. I I.

Si ſpecifica glandularum fermenta riganti eas ſanguini non immiſcentur, jam non exercetur ſecretio; Si autem miſcentur, vi ſtatim circuitûs ad omnes corporis partes eis tranari continget; Sicque non erunt ampliùs glandularum peculiarium indigena; eorumque ſic actio ſecretoria inſtituetur per omnes indifferenter partes, ad quas promiſcuè rapientur.

§. I I I.

Abſurdiſſima eſt, quia legibus circuitûs ex diametro oppoſita ſtabilis mora, & immota in organis inhærentia, quam tribuunt fautores fermentis glandularum incolis. In fluidorum omnium motu locali, recto, curvo, circulari, aliove, vita animalis eſt: Hæc interim ſuccorum fermentantium quies in partibus, & à circuitu divortium, neceſſariò admittenda veniunt à fermentiſtis, à quibus immò & ſtabiliendum eſt, ſanguinem ipſum circumeuntem in glandulis omninò morari, & ſtagnare, quouſque ab inſito alteretur fermento: Quæ omnia animalem ideò veritatem ingravant magnopere.

§. I V.

Inſuper glandularum ſubſtantia, ut ſolidarum partium omnium in animali, canalicularis eſt, per quam intimè, continuò, & rapidè trajiciens cruor, brevi abſtergeret, & verreret liquidum ibidem fermentitium totum; cujus inde nova à ſanguine

ſecretio

ſecretio, & ad eandem ſedem reſtitutio ſecretionem jam fieri poſſe convinceret abſque prævio fermento.

§. V.

Et ecquidem, cùm fermenta non ſint glandularum partes ſolidæ, ſed & fluida naſcente ſanguine ab eodem ſecreta, ac in peculiaribus glanduloſis ſubſtantiis tanquam congruentibus domiciliis locata, ecce jam ſecretionem ſuccorum à ſanguine abſque iis præviis eſſe ſemel factam, & ſemper idcircò fieri poſſe, nullâ iis habitâ gratiâ. Quod ſi ad hanc fermenti ſecretionem aliud concurrere fermentum aſſerunt propugnatores, ecce jam decernendum fermenti fermentum ad uſque infinitudinem fermentorum. Sed hæc, & conſimilia quamplurima apertiſſimam fermentorum fallaciam exhibentia, apud recentiores non paucos videnda linquo: Tanta nos hîc attulimus, quæ demonſtrare ſufficerent fermentum in glandulis peculiare liquido ſecernendo ſimile, aut diſſimile tanquam in promptuariis ſtabulari omnino non poſſe, multoque minus ad ſecretionis ibidem perpetrandum negotium appellentem in ſanguinem agere. Abundè ſatis, ut fermentorum idola à ſanctiori medicina exulent.

Pitcarnius differt. de circul. ſang.

Laur. Bellini oper. de ferment.

CAP. V.

Confutatur Poriſtarum ſententia.

§. I.

NEc firmiori ſtant talo, quæ de varietate pororum in glandulis decantantur, ad varias ſecretionum regulas explicandas. Hæc hypotheſis licèt communiùs accepta, quia fermentorum commento ſimplicior, naturalique ideò rerum ordini conformior, multiplici tamen involvitur, eaque indiſſolubili difficultate; quam variis in punctis diviſam breviter exhibeo.

§. II.

Et ecquidem primò, cribrationis ratio ſtare ſolùm poteſt re-

ſpectu ad corpora cribro adpoſita jam diſiuncta inter ſe ſe, & ſolùm liberè attigua, ut eſt ex. gr. tritici granorum, aliarumque ſimul rerum acervus, non autem ad partes intimè unitas, & implicatas, quales occurrunt in animali particulæ ſanguinis; quo in ſtatu adhuc reſtat inquirendum agens à cribro diſtinctum, haſce partes ab intima cohæſione ſejungens. Sic v. g. humor quiſcunque morboſus ſanguini immixtus ſecerni à maſſa non poteſt in colatorium aliquod, licèt pluries per diem varia in colatoria pertranſeat, niſi prius vel ſponte, vel per remediorum actionem ſolutus fuerit à maſſa [quod concoqui dicitur] quo ſtatu unà cum ſanguine per varia indè hæc colatoria trajiciens, in uno exinde eorum aut pluribus, corpulentiæ ſuæ omnino, aut aliqualiter proportionatis, derivatur à ſanguine.

§ III.

Ex ſtabilita etiam in glandularum poris amplitudinis, & figuræ proportione cum ſecernendorum corporum mole, & figura; non exinde plus lucis effulget medicis rebus, quàm ex implantata per antiquos in colatoriis ſingulis ignotæ virtutis præſentia, aut ex fermentorum peculiarium excubiis mox expoſitis, ad dictas partes, per modernos locatis. Latet omnibus adhuc poſt acceptam hujuſmodi ſententiam, ſpecifica componentium cujuſque fluidi configuratio; per conſequens & peculiaris partium cujuſvis colatorii ſtructura; adeò ut toto hoc ſyſtemate, nec bilioſarum v. g. particularum figuras genuinas & moles attingere unquam poſſimus, nec colatorii ſui ſtructuram intimam, ejuſque meatuum habitudinem.

§ IV.

Prætereà, ſanguis, donec in animalis canalibus naturaliter oberrat, veram fluidi naturam ſervat in omnibus elementis ſuis: Et porrò cùm per minutiſſima, ſenſumque omnem longè effugientia vaſculorum capillamenta liberè ſecundùm ſe totum derivetur, cogita jam quàm incredibilis in ſingulis ejus partibus tenuitas ſit; quænam ſuper alia fluida naturalia excedens in ſe toto fluiditas? nulla igitur ejus, minutiſſima licèt, pars, & quacunque partium poroſitate minor excogitanda venit, quæ non ſit fluida

fluida; pro ut fluidum omne legitimum tanquam infinita partium parvitate pollens cenſeri debet, ita ut, licèt partes ſanguinis plurimæ naturalem trahant implicationis indolem, quouſque tamen per orbitam animalem tranantur, ſumme expeditæ ſint inter ſe ſe, & ſolutæ. Atqui perſpicuum eſt (ut benè adnotat Clar. * modernus) fluida non depoſcere figuram ullam propriam, & conſtantem, cùm ea cuivis figuræ accomodent ſe ſe, & in quodcunque orificium penetrent, modò vires impellentes eæ ſint, quæ cohæſionem partium fluentium ad occurſum orificii ſuperent (& hæ auſpicantur facilè in animali à magno cordis impulſu) ſequitur idcircò quod, ſi fluida omnia ab animalis ſanguine in ſtatu fluido ſecernuntur, ut venit de facto, neceſſaria non eſt peculiaris figura in orificio excipiente, ſeu poro ſecretorio.

** Citatus Pitcarn. eodem loco.*

§. V.

Sed datâ etiam in minimis ſanguinis inſitâ habitudine ſpecificæ configurationis & magnitudinis, à quarum diverſitate, detur & in eiſdem varietas: licèt facilimè concipiamus proportionem inter particulas ſucci alicujus ſecernendi ſphæricâ circumſcriptas figurâ, ac ſphæricos itidem ſecernentis partis, ſeu colatorii meatus, facilemque indè ſecretionem; difficilimam tamen, immò penè impoſſibilem percipimus congruentiam eandem in datis diverſæ figuræ aliis fluidorum particulis. Et ſiquidem ſuppoſitâ v. g. moleculâ cubicâ in quadratum meatûs glanduloſi orificium intromittendâ, non tantùm requiritur, ut particulæ diameter æqualis ſit diametro orificii, ejuſdemque trajiciendi corpuſculi ſectio in axe per planum orificio paralellum facta, æqualis ſit & ſimilis figuræ orificii; ſed inſuper exigitur precipuè, ut quo ad latera & angulos ſint ſimiliter & unitiſſimè poſita orificium & particula: Sic ſi quadrato orificio cubica occurrat particula, latus non obvertens orificio ſimile & paralellum; ſimiliterque poſitum, adeò ut eorum latus lateri, angulusque angulo exactè non congruant, ſed latus angulo diversè impingat, angulus lateri; aditu per dictum orificium non donabitur. Unico itaque tantùm modo, unicoque tantùm

Ex citato Authore eodem loco.

caſu cogruere poſſunt, & in juſta locatione correſpondere ſecernenda particula, & porus ſecretorius; dum innumeris modis, & caſibus in prædicta improportione occurrent invicem, ut patet; & conſequenter per totidem innumeras vices aplicabitur orificio particula congruæ molis & figuræ, trajicienda; quæ tamen nullomodo trajicietur. Quod de cubicis dicimus ſucci tranſcolandi particulis, id & habere de aliter quomodocunque figuratis: Sic à tranſitu per ſpecificum incerniculi ſui orificium prohibebitur corpus figuræ v. g. oblongæ, ut cilindriacæ, ac naturaliter & ſolùm per exactam cilindri ſui baſim, aut apicem permeabile, quotieſcunque ejuſdem pori aperturæ diversâ offeratur poſitione; quæ tamen longè frequentior eſſe poteſt, quàm ordinaria; ut pariter patet.

§. VI.

Ex eodem citato loco.

Immò non tantum difficilimè, & rariſſimè liquidorum figuratæ particulæ loculos ſubibunt congrui colatorii ſui; ſed facilè, & frequenter in aliud incongruum, diverſèque figuratum trajici poterunt, mutata ſolum leviter poſitione: Sic idem conus v. g. pro diverſo ſitu ſuo intrabit porum figuræ circularis, parabolicæ, elipticæ, hyperbolicæ, triangularis &c. Quippe ſub eiſdem, aliiſque innumeris figurarum modis diverſis, & æque eidem facilibus offerri dictis orificiis poteſt; pro ut data poſituræ mutatione, totidem figurarum ſpecies emergere poſſunt ex coni dati ſectionibus, plano orificii paralellis.

§. VII.

Denique non tantùm manifeſtè conſtat, corpuſcula liquidorum circulantium cujuſcunque ſint figuræ & poſitionis in orificiis pororum ſphæricis liberè trajici poſſe, ſi ſimilibus gaudeant utraque diametris; ſed inſuper per cujuſcunque figuræ orificia tranſvehi debere quomodocunque poſitas ſuccorum particulas, quarum major diameter minor ſit, aut ſaltem æqualis diametro orificii minori: ſeu, quod idem eſt, quarum figura diverſa comprehenditur in figura particularum humoris ordinariò ſecreti; ſeu earum talis ſit diameter, ut major, minor ſit, aut ſaltem æqualis diametro minori partium liquidi, ordinariò ſecreti.

Hinc

Hinc ſequitur variorum ſuccorum ſecretiones per eaſdem glandulas fieri poſſe; præcipuè verò cujuſcunque naturæ& habitudinis humores ſecerni debere in illis glandulis, quæ fluida craſſiora ex naturali inſtituto ſequeſtrantes à maſſa, grandioribus hoc de nomine ditantur poris ſecretoriis; *Sic* in hepate v. g. craſſioris fluidi, ſeu bilis colatorio, cujuſcunque & generis fluidorum particulas trajici debere, pro ut omnes bilis componentibus minores, aut ſaltem non majores; Sic per conſequens partes liquidi nervei (ſi detur) urinoſi, ſalivalis, pancreatici &c. per idem viſcus naturaliter philtrari; Quod tamen omnimodè rei veritati repugnat. Dixi naturaliter; quia cæterum frequens eſt, & manifeſtum, in ſtatu animalis præternaturali, fluida in glandulis variis ſecerni, cum quibus nullam habent molis & figuræ proportionem. Sic in febre v. g. acuta per glandulas ſæpè cutaneas particulæ variæ eliminantur morboſæ ſub forma ſudoris, quæ de facto à materia ibidem naturaliter excernenda differunt naturâ & texturâ.

§. VIII.

Nullum itaque ſtabile fundamentum concedi poteſt viſcerum ſecernentium poris, ad tot ineundas fluidorum ſecretiones, licèt pori hujuſmodi, ſtabiles, & ſibi ſemper æquales ſupponantur: Quid, ſi poros inſtabiles, & ſibimet ipſis varios eſſe, ſeu figuras ſuppoſitas ſuas naturaliter non ſervantes demonſtrari poſſet? Nec hoc difficilè demonſtratur. Colatoria molles ſunt partes, ſeu carneæ; non oſſeæ, non aliâ quacunque ſubſtantiâ, ſoliditatem intimam ſuam immutabiliter ſervante, efformata: Facillimè ideo flexilia, contractilia, diſtractilia, uno verbo ad motus quoſcunque mutabilia: Loculi inſuper in colatoriis ad ſecretionis operam deſtinatis ſunt molles membranulæ, cuicunque motui cedentes. Creberrimæ autem, quin imo inceſſantes, naturaliter ſunt cauſæ, quæ partes hujuſmodi, & loca in eis ſecretoria immutant. Fiunt nempe, vel à corporis totius motionibus, & flexuris variis; vel à novitatibus, & varietatibus impulſuum, curſuum, & molium liquidorum; vel tandem à diverſitate oſcillationum, & momenti ſiſtaltici in fibris motricibus innumeris,

quæ

quæ intima omnia viſcerum occupant, præcingunt, & preſſuris alternis alterant. Ex tanta, & tam varia principiorum immutantium actione inceſſanti deducite jam, quàm ſæpiùs per vitæ ſtadia cedentes colatoriorum configurationes intimæ mutari debeant; quam ideo frequenter in figuris ſuis naturaliter novitatem inducent pori ſecretorii ſuppoſiti, ut nullam unquam ſervare poſſint conſtantem formam: Quàm vana in conſequens, & inſtabilis fundatio ſtabilis officii ſecretorii ſuper figuras pororum internorum viſcerum, qui omni certè vitæ momento naturaliter mutabiles ſunt.

§. IX.

Hæc omnia falſitatis ream arguunt poriſtarum ſententiam, eorumque placita in miſeris contradictionum abſurdis projiciunt abſque reffugio. Sed exſurgendo jam ex hac impugnationum divagatione, quam, ut penitùs exuerem ſuper hac re recentiorum præjudicia, ſat extenſe protrahere operæ pretium duxi; Undè-nam hoc ſecretionis principium? Evidens, mirabile, & ſimplex vobis ſtatim ſub oculis objiciendum deſpondeo, ſi priùs animalis colatorii compoſitionem aliquantiſper perluſtremus. Et quia in præſentanei laboris ſcopum hepar deſtinavimus; id ipſum in ſcenam prodeat; Cujus textura, ut exactiùs reluceat nobis, præfixo quoddam ordine exponenda. Primò itaque hepatis partes externas conſiderabimus; ſecundò, vaſa ejuſdem limphatica, & nervos; tertiò, vaſa cætera; quartò, ſtructuram ejus internam enucleabimus, ſeu propriè parenchima, ſit igitur.

CAP. VI.

Conſideratur Hepar ſecundùm partes externas.

§. I.

HEpar igitur; quod tanquam colatorium in animali, facilè princeps, in ſecretionis explicandæ prototypon hic meritò præponitur; ab omnium ætatum authoribus ſedulè, varieque exaratum

exaratum venit. Venerantur hoc viſcus antiqui, ut reipublicæ animalis præſidem ſupremum, tradito ei aimathoſeos miniſterio, pro ut ex meſeraicis liquidum nutritium per portam indè ad eum immediatè deferri, in cruorem ibidem concoquendum, autument. (quem hepatis uſum Nuperus adhùc quidam * fruſtraneis licèt auſpiciis patrocinatur) ſed licèt circa functionem decepti, quod pertinet ad ejus exteriora ſat tamen exacte delinearunt. Et equidem ipſorum deſcriptionibus debemus duas regiones hujus viſceris in dextro hypocondrio locati, gibbam ſcilicet ſeù convexam, & cavam ſeù concavam; Primam ſuperiorem, & diaphragmati contiguam, alteram inferiorem, quæ ventriculo, aliiſque abdominis viſceribus obvertitur; membranoſum indumentum à contermino peritoneo propagatum; quadruplicem connexionem cum attiguis partibus; ſuperiùs ſcilicet cum ſepto tranſverſo per validiſſimum ſuſpenſorium ligamentoſo-membranaceum ejuſdem viſceris ſubſtantiam profundè penetrans; inferiùs cum umbilico per venam umbilicalem in fœtibus pulmonalis venæ, & canalis inſuper alimentarii vices ſupplentem; ideoque immediatè portæ truncum, & medio canali venoſo ad portas hepatis producto cavam inoſculantem; natis autem in ligamentum induratam. Dextrorſum cum ampla peritonei area per plura, ac brevia ſtamina, in unum coadunata, ab ipſamet viſceris ſuccingente tunica producta: Nos connexionem hujuſmodi, dextrum hepatis ligamentum vocamus, quod aliis brevius quidem eſt, ſed latius; ac poſt tria alia hepatis ligamenta jam nota, quartum nominare ligamentum hujuſmodi conſultum duximus: Hoc cæterum ligamentum, in omnibus animalibus obvium, & neceſſarium, à nemine hucuſque adnotatum legimus. Siniſtrorſum cum xiphoide cartilagine medio robuſto quodam ligamento. Adeo ut æqualibus, & ſibi invicem oppoſitis circumquaque libratum retinaculis, ſuperiori, inferiori, dextero, & ſiniſtro, viſcus tam grande, & ponderoſum, ut ſuper alia omnia viſcera hepar eſt, de ſede ſua non deturbetur in variis corporis motionibus, poſituris, & violentis plurium animalium curſibus, ſed propriis in ponderibus immobiliter ſedeat.

* *Svvammerdam.*

§. II.

Fiſſuram inſuper eius, in quam vena umbilicalis admittitur portam inoſculatura, aliaſque minoris momenti fiſſuras & ſinulos; varias ejuſdem extantias, totidem tanquam lobos repreſentantes, quas à contracta ſimilitudine menſam nominabant, gladium, unguem, portas; haſque ultimas in dexteram & ſiniſtram à prædicta figura diſtinctas; vel apud * aliquos mutato nomine focum, menſam, cultrum, & aurigam; Lobulum inſuper * eminentiorem ab aliis disjunctum, laudatæ fiſſuræ, & juxta portas adjacentem; Venas ulteriùs, cavam & portam eidem implantatas: Primam aſſerebant ex convexa ejus parte pullulantem, ſubtiliorem ex eo ſanguinem ad cor deferre; alteram ex concava exortam, craſſiorem ſanguinem ad viſcera abdominis deorſum vehere, eodemque alveo receptum ab inteſtinis nutritium laticem ſurſum ad hepar ferre. Hæc aliaq, hepati propria exactè ſatis pro temporum caligine deſcripſerunt; noſque hîc in levem ſolum acervulum conglobavimus, pro ut ab inſtituto noſtro non nimis expetita. Caſtigatiſſima commentaria circa hepatis locationem, molem, figuram, connexionem, extenſionem, partes, aliaque omnia ad organicam ejus conſtitutionem extrinſecam facientia, eorumque cauſas, & habitudines, relucent apud Virum inter ſaniores Modernos * celeberrimum; quæ ideò rurſus, pro ut in aureo illius opere facilè obvia, libenter hîc omittuntur.

* *Protoſpatharius.*
* *Lobulus Spigelii.*
* *Gliſſonius.*

CAP. VII.

Deſcribuntur vaſa Hepatis *limphatica, & Nervi.*

§. I.

SEd præclariores de rebus jecorariis notitias debemus recentiorum indagini. Quippe circa medietatem elapſi ſeculi, eodem anno, eodem laborum prætio, eodemque quaſi ſuperûm afflatu,

afflatu, quatuor meritiſſimi * Viri diſſitarum regionum incolæ, ad eadem in hepate nobilia collimarunt inventa. In Brutis viventibus vel recenter ſtrangulatis, ſimplici ligaturæ artificio, rudimenta obſervarunt vaſculorum quorundam, num. 5. 7. aliquoties 10. immò, & interdum 20. ex hepatis cavo pullulantium; indeque eorundem ad portæ, & ductus biliarii latera prorepentium, eoſdemque canales tanquam annulatim amplexantium progreſſus; tandem & inſertionem per peritonei & meſenterii duplicaturam & anfractus in chili ciſternam, variè ſtipatis in itinere ramis portæ, variiſque ſuperatis glandulis. In homine conſpicua etiam reddiderunt hæc vaſa injectione aquæ per portam, & cæliacam dextram, ope ſiphonis copioſiùs peracta; eaque à pellucido devecto naturaliter liquido, vaſa hepatis limphatica, ſeu aquoſa noncuparunt. Dum autem majora clariſſimi homines in hujus viſceris ſtructura ruſpantur, minora determinant in ejus uſu; adeò ut explorata tandem hepatis ſervili proſapiâ, proſcriptoque roris chiloſi commercio, eum è corporis principatu deturbant, abolitâ ejuſdem ſanguificandi poteſtate; * cujus extinctæ functionis funera lepidâ ſatis inſcriptione celebrat inter eos principalior. *

* *Th. Bartholinus Danus. Rudbechk. Suecus. Bilſius Belga. Iolikvius. Anglus.*

* *Th. Bartholinus Hiſtor. nova limphaticor.*

§. II.

Clariora inſuper hiſce novitatibus ſuperſtruxit dexterrimus * inter Anatomicos Hollandos: Cultri ſiquidem ſui diligentiâ prætulit nobis vtramque hepatis faciem convexam, & concavam numeroſiſſimis coronatam limphaticis, ita ut ad convexam ſolùm partem 300. ad minimum adnumeraverit: Ex hac autem regione exurgentia proſequens hæc vaſa, propè ligamentum ſuſpenſorium unita percipit, eumque decem, vel duodecim ramificationibus perreptantia, limphis hinc ſuis ad chili reſervatorium translatis. Præcipuè autem animadvertit limphæ-ductus cyſtifelleæ à laudatis Authoribus adſcriptos, ex hepatis ſubſtantia verè egredi, ipſius tamen folliculi oram extimam ſuperſcandere, glandulæque ad ejus collum locatæ in trajectione omnes incumbere tanquam fulcro. De intimiori inſuper quam darent prædicti novatores, in hepatis corpore limphaticorum origine effari

* *Nuck. lib. de inventis novis.*

cæpit hic author; eandemque conjecturam jam antea allegaverant alii; Quod nuperrimè ampla obſervatione elucidatum fuit à Gallo quodam * Anatomico, qui vaſa limphatica in capſula Gliſſoniana contenta ad tres digitos intra hepatis ſubſtantiam ipſam inſectatur; quorum inde ductuum in hepar penetrantium originem deducit à glandulis conglobatis ad tunicam internam pori biliarii per hepar diramati intertextis, ac microſcopio patentibus in animali grandiori. Si accuratis ſuper hac re tantorum hominum perquiſitionibus ſuperaddere licet aliquid noſtrum, dicam in canibus majoribus poſt amplas comeſtiones ſtrangulatis, ac in mactatis ſuibus vaſorum horumce habitudines circa viſcera ſæpius, & hepar præcipuè, attentiſſimè inquiſiviſſe, Hinc.

** Courtial. Tolosanus lib. Obſervations ſur les os & autres maladies.*

§. III.

Obſervabam primò profundas ſatis in hepatis ſubſtantia origines agere aquæductus hujuſmodi, pro ut ſcilicet non in capſula communi, ſed ſupra ejus dorſum repentes per quinque aut ſex digitos nec ulterius, inſequebar; cultri ſcilicet & viſûs aciem eis indè omnino effugientibus: Qua de re jam elucebat mihi, nullimodè ex glandulis hepatis conglobatis ad ejus cavam ſitis, muccoſis per aliquos dictis, oriri ſeriflua hæc vaſa, ut plurimorum * eſt aſſertio: Et revera præter diverſum perſpectum principium, patet de facto non in omnibus animalibus, immò nec in omnibus ejuſdem ſpeciei individuis ad hepatis concavum glandulas ſemper inſterni conglobatas: Cùm tamen in omnibus animalibus præſentia ſint hepatis limphatica: In quibus autem obſervabiles ſunt hæ glandulæ, eaſdem ſolùm ſuperſcandi á limphaticis, non intimè penetrari, manifeſté adnotavimus.

** Steno Malpighius, aliique.*

§. IV.

Conſtabat inſuper nobis ex glandulis ipſis gracilibus in cavitate capſulæ à * quibuſdam ſuppoſitis ortum non ducere hæc vaſa; hocque tum autopſiâ, pro ut extimam ſolum ejuſdem capſulæ ſuperficiem perambulant, ut ſuprà; tum ratione, eo quod ſcilicet nullum vas limphaticum naſcatur à glandula, ſed ab ipſiſmet fibrillarum intervallis in Partibus animalis omnibus, (ut fuſius

** Courtial, & ante eum alii.*

fuſius demonſtrabimus in *Anatome noſtra generali ſect.* 15.) ideoque aſſerendum eſt ſeriflua vaſcula hepatis ſubſtantiam ſubeuntia, ex capſula declinando commiſſuris glandularum hepaticarum inoſculari, ibidemque liquidum ſuum exugere, foras indè à viſcere derivandum. Et equidem.

§. V.

Obſervabam tertiò vaſa hujuſmodi omnia denſiſſimè ab hepatis cava illa parte prodire, in qua aperitur capſula ad portæ ingreſſum, exitumque ductûs biliferi; indeque tanquam viminum ramuli ex conſtricto faſciculo quaquaverſum erumpentes, in amplius ſpatium expandi, ac tanquam in duplex diſtinctum agmen collecta, chili in receptaculum excurrere per duplicem calcatam viam; unam ſcilicet per apicem quendam pancreatis verſus hepatis cavam inclinatum, eique mediâ membranulâ connexum; & ab hac pancreatis portione per attiguum meſenterium uſque ad dictam ciſternam; alteram, per membranam quandam peritonei ſobolem, ab inteſtino duodeno uſque ad hepar inſtar iſthmi aut pontis protenſam, vaſaque hepatis majora tum devehentia tum revehentia fulcientem; & ab hâc etiam per dorſum inteſtinorum & meſenterii uſque ad reſervatorium prædictum. Quæ autem numeroſa limphatica ſuper convexam hepatis partem ſerpunt, ex ſola extimæ ejuſdem membranæ ſubſtantia ortum trahunt, non minus ac copioſa ſunt in aliis omnibus corporis tunicis; eaque vere nuckianum iter ſuperius allatum per ſuſpenſorium nempe ligamentum attingunt uſque ad glandulas lumbares. Quorum inſuper aliqua per latera ligamenti lati ſuſpenſorii aſcendentia, liquidum ſuum immediatè in cavam eructare etiam poſſunt; ut arridet Cl. *Reverhoſtio*, limphæductus cyſtis felleæ prædicti huic etiam categoriæ adnumerandi veniunt. Germanos cæterum hepatis limphaticorum aliarumque partium icones exponam in *Curſu meo anatomico*; ubi etiam *Sect.* 15. limphaticorum omnium in animali, ſicque & hepaticorum, eorumque liquoris uſum elucidabo.

§. VI.

Quod nervoſarum in hepate diramationum hiſtoriam pertinet, eam etiam duorum celebrium * Modernorum laboribus debe- * *Vuillis. Vieuſens.*

 mus.

mus. Sex ab eiſdem graphicè deſcribuntur fibræ nerveæ à plexûs intercoſtalis ſemilunari, ad diaphragmatis perforationem diramatæ; quarum tres veſiculæ felleæ ramiſque ductûs biliarii impertiuntur, fiſtuliſque eiſdem concutiendis inſervire aſſerunt; cæteræ arteriam hepaticam ad inſtar reticuli circumligant, motum laticis per eam excurrentis regentes tanquam habenæ. Ex harum indè ac fibrillarum octavi paris dextri concurſu plexus efformatur hepaticus, ad totum indè jecur diſtributus, qui fibrarum faſciculis quaquaverſum expanſis, cum plexu lineari, meſenterico, aliiſque abdominis communicat; præcipuè autem cum ſtomachico ſurſum circa pilorum, & orificium ſuperius ventriculi, denſis elatis propaginum turmis; ex quo invicem nervoſo hepatis, & ventriculi comercio mutuum & horum viſcerum conſenſum reſpectu ad affluxum bilis ex vomitu, & vomitum ex affluxu bilis, trahunt laudati authores. Sed de uſu nervorum hepatis, non minus ac partium animalis aliarum omnium, fuſius & rectius quàm hucuſque decantatum fuit, forſan diſſeremus in *Curſu noſtro anatomico. ſect.* 22.

CAP. VIII.

Deſcribuntur cætera Hepatis vaſa.

§. I.

** Gliſſonius. Malpiglius. Kerkringius.*

ALii * ad ſuæ quoque venatum gloriolæ, ulteriora hujus viſceris excutientes, in intima ejus ſtructura ſub oculum exponenda inſudarunt; cujus rei elucidationes aſſumpto noſtro plus faciunt, quàm expoſita prædicta. Dupliciter conſideranda venit intima hepatis figura, ſeù compoſitio; vel ſcilicet reſpectu ad diſtributiones & complicationes vaſorum, quibus abundanter refertum eſt totum ejus corpus; vel reſpectu ad genuinam ejus ſubſtantiam, per quam hepar eſt; aliiſque à viſceribus diſtinguitur. Primam ſuper alios omnes dexterrimus * Anglus ſpartam exornavit; qui ſcilicet, jecoris complexu variis excarnandi modis, miroque

** Gliſſonius.*

roque dexteritatis exemplo, in minutiſſimas ductuum diramationes deruncinato, habitudines ultimò ſenſibiles, & itinera exporrigit vaſorum ejuſdem viſceris ſpecialium portæ, arteriæ, ductûs excretorii, & cavæ, Nonnulla poſt doctiſſimum virum adducenda incumbunt, circa hæc vaſa.

§. II.

Venam Portæ ad arborem conferre, legitimè placuit antiquis. * Et equidem conſpicuam perhibet hoc vas radicum formam, in principiis ſuis per abdominis viſcera longe, lateque diſperſis; trunci notabilis ſtructuram, amplo eo in ſinu, quem ex coëuntibus invicem radicibus omnibus compoſitum ducit ad jecoris ingreſſum; ramorum tandem habitudinem, in quinque propaginibus à dicto ſtipite ad varias hepatis regiones pullulantibus, ſurculiſque innumeris ab eiſdem indè per ſubſtantiam viſceris, quaquaverſum dimiſſis. Retrogradam tamen diſtributionem portæ, deſcripſere majores noſtri; poſitis ſcilicet in hepate radicibus; trunco indè ex eis coalito in duos ramos inſignes, diſpar ileſque diffiſſo, ad inſtar primæ arborum diviſionis, in venam ſcilicet meſeraicam & ſplenicam; ex quibus indè rami per viſcera denſiſſime diſtribuantur: Et hanc revera diſpoſitionem aſſerere in porta tenebantur, qui ab hepate per eam ad alias abdominis partes ſanguineum exiſtimabant tranari profluens. Nos conſcii, portam per capillamenta ſua ſanguinem totum viſcerum naturalium reſiduum haurire, caudiceque indè collectum ſuo, ſuperato hepatis cavo, per ejus penetralia deferre, bilioſo ibidem immixto inquinamento ſpoliandum; præter expoſitam diſtributionis ſuæ translationem, eandem omni jure de officio atque dignitate arteriæ participantem decantare debemus; tanquam videlicet, ob vectionem ſanguinis ad hoc viſcus, venæ ordinariæ conditiones excellentem; ſed à venarum numero prorſus adimenda tamen non eſt porta, quæ ſanguinem ab arteriis in partes depoſitum ebibit aliarum venarum ritu; & ad circuitum revehit: Decernamus itaque inter venas & arterias mediam ſeu, medietatem portæ proprio arteriæ munere fungi, medietatem aliam ſolum venæ officium exequi; inferiùs ſcilicet venam eſſe, ſuperiùs arteriam. Porta ſiquidem à princi-

* *Galeno, & aſſeclis.*

principiis ſuis uſque ad truncum refert, & abducit ſanguinem à partibus, à pancreate, ventriculo, epiploo, meſenterio, & inteſtinis, ut cava in aliis partibus; per radices ſuas in trunculos ſenſim majores colligit, & tandem in truncum refert: Poſtea ex trunco ſuo receptum ſanguinem adducit, & defert ad partes per propagines ex trunco ſenſim gracileſcentes, inſtar aortæ, aut pulmonalis arteriæ: Tum aliquid indè ſeparatur à ſanguine, per propagines ſuas ad partes devecto, qui poſtea ab vaſe venoſo, ſeu vena cava excipitur; ut in aliis omnibus animalis partibus venit, reſpectu ad arterioſum ſanguinem. Porta ulteriùs, qua ejus regione vices arteriæ adimplet, tunicas in arteriæ modum craſſiores, & tanquam tendineas aſſumit. An etiam arteriarum in modum pulſet, ut nonnullorum ſententia eſt, nequaquam agnoſcitur. Ligatâ etenim arteriâ hepaticâ, nullum ampliùs per hepar, aut portam vigere pulſum, in vivis canibus experti ſumus. Inſuper ſanguis venæ portæ, colore, & conſiſtentiâ valde diſcrepat à ſanguine arterioſo, & motu præſertim progreſſivo; ut leviſſima eſſe debeat portæ cum arteria comparatio. Sed melius de hiſce omnibus inferiùs.

§. III.

Nec ſolùm reſonarunt apud antiquos vena portæ ejuſq; propagines, pro plaſtro ſanguinis ab hepate ad viſcera cætera in eorum alimoniam delati; Sed ulterius & pro communi diſſimilium humorum emporio. Poſuêre nempe; quod ab inteſtinis ad hepar per hæc viciſſim vaſa deportaretur chilus, hæmathoſim obeundus; ſuccus gaſtricus per ejuſdem venæ appendicem, ſeù vas breve, à liene in ſtomachum veheretur ad excitandam famem, melancholicus autem liquor per hæmorrhoidalem internam, ejuſdem paritèr ſobolem, ac ordinario á ramo ſplenico pullulantem ab eodem liene ad anum in execretionem divergeret. Sed confuſas haſce omnes ſuccorum ambulationes in porta circulationis authoritas delevit; edocens unanimitèr ramos portæ collectum in ceſpite ſanguinem ad hepar ducere; Sicque [rore jam chiloſo pet vias alias ad ſanguinem translato] nec melancolici humoris florem à liene ad ſtomachum ferri per vas breve; nec

nec fæculentius ab eodem viſcere per venam hæmorrhoidalem ad podicem; ſed è converſo ſanguinem per vas breve à ventriculi tunicis in ſplenicam tranari, non minùs ac ex hæmorrhoidali in eandem fiſtulam; totum inde corrivandum in hepar. Utriuſque autem vaſis in ſplenicam inſertio ſuum habet neceſſitatis pretium. Quoniam etenim totus ſanguis ab arteriis in ventriculi corpus diſperſus derivandus erat in portam, qui ad oram ventriculi dextram diſtributus fuit facilè in proximum portæ truncum exonerari poteſt per gaſtricam. Difficiliùs autem qui partes ventriculi ſiniſtras aluit; ut truncum etenim portæ appelleret, per longum iter expatiari deberet, per totam nempe dorſi ventriculi longitudinem; quo in progreſſu à digeſtoria per vices ſtomachi intumeſcentia, & gibboſitate in vaſis devehentibus ſuis comprimi poſſet, ſicque ab itineris complemento per vices obſtari & intercipi; Itaque deflexa ventriculi inhærentia ſiniſtræ regionis hic cruor, per vaſa brevia in truncum ſplenicum deſcendit, à quo inde eſt ſitu & amplitudine extra ſtomachi preſſuram poſito, tu defertur ad truncum portæ & ad hepar. Et ſic elucidata vaſis brevis utilitas in animali. Quod hæmorroidalem internam ſpectat: Quia ramuli meſenterii venoſi omnes ſenſim coaleſcunt in trunculos, hacque facie trunco portæ repreſentant ſe ſe; ideò non minùs meſenterii inferioris ſeú meſocoli venoſæ propagines in grandiorem ſenſim ramum concurrunt, hæmorrhoidalem dictum, quàm ejuſdem familiæ vaſa in meſenterio ſuperiori ſeù meſereo, quæ ramum portæ dexterum conſtituunt. Cùm autem ob naturale divortium meſerei à meſocolo, hujus ultimi vena nullum habere queat commercium cum vena meſerei, ſeu ramo portæ dextro, ſed ſolum cum ſiniſtro ſeu ſplenico, aut immediaté cum trunco; prout aſcenſum ad lævum hypocondrium meſocolum, ibidem firmè nectitur cum pancreate & omento; Hinc fulcita ab eo hæmorrhoidalis vena, vel ſplenicam inoſculabitur, vel truncum portæ immediatum; qua indè via ſuum etiam ſanguinem ad hepar diriget.

§. IV.

Nec tamen, licèt arteriæ vices adminiſtret in hepate vena Portæ,

tæ, legitima huic viſceri denegatur arteria, Et ſi quidem dexter cæliacæ ramus, pergrandis ſatis, & notabilis, jecoris cavum ſubit, ejuſque ambitum omnem diramationibus perambulat ſuis: Haſce univerſas in vaſa ſolùm hepatis, ſeù potiùs in eorum involucra unicè impendi, ibidemqne terminari, pluries oſtendi in anatomicis adminiſtrationibus meis; inſequutus per profundos hepatis tractus cæliacæ propagines, eaſque per ſolas grandiorum minutiorumque vaſorum omnium tunicas, repentes obſervatus: Falſum eſt per conſequens quod in vaſis ſolùm biliariis inſerantur arterioſæ hæ ſoboles in jecore; ut arriſit * aliquibus. Per hæc igitur vaſa devehitur competenter ſanguis ad omnes hepatis partes, congruus nutritioni, aliiſque muniis, quibus aptus natus non eſt venoſus cruor portæ; Et ſufficientem totius hepatis alimoniam ex ſola arteriarum propagatione per ejuſdem vaſorum tunicas, concipies facilè, ſi concipis nil alio donari jecoris corpus, præter vaſcularem texturam; quod inferiùs oſtendemus.

* *Vanhorne.*

§. V.

Ductus hepatis excretorius, ſeù porus biliarius, fluidum in hepate à ſanguine ſecretum excipiens foraſque à viſcere derivans, non diſſimili, ac porta gaudet divaricatione ramorum, qui ex omnibus hepatis partibus reducentes ſe ſe ad hepatis cavum, in ampliores jam ſenſim trunculos coaliti, unicum tandem ibidem conformant ſtipitem, ad duodeni indè finem, ſeù principium jejuni productum, ibidemque liquidum eructantem devectum ſuum. Si glandulis diſgregatis, aut congregatis ſcateat, aut non ſcateat, intima hujus canalis excretorii facies, aut media ſubſtantia, perito * cuidam anatomico inquirendum relinquo. Principaliora intereà hîc non affero, circa hujus vaſis habitudinem, eadem in ſequentibus ſatis expoſiturus.

* *Courtial.*

§. V I.

Sanguis tandem per totum viſcus effuſus, & àननbilioſa ſecretione reſiduus, per numeroſiſſima venarum à portæ propaginibus diſtinctarum capillamenta devehitur uſque ad aliquot ejuſdem genii trunculos, plures aut pauciores, ſecundùm diverſa animalium genera, è quibus indè aſportatur in truncum cavæ, trajicientis

cientis per hepatis foveam, ad hoc ideò opus in regione ejus ima, & poſtica, expreſsè excavatam. Vaſa hæc omnia prædictaque limphatica, & nervoſa [exceptis venoſis ductibus ab hepate ad cavam ſanguinem deportantibus] non tantùm pari paſſu, paribuſque diramationibus excurrunt; ſtrictâque invicem contiguitatis adhærentiâ perfruuntur per totum ramorum ac ramuſculorum tractum uſque ad ultima ſtamina; ſed inſuper communi tegmine, tanquam vaginâ quaquaverſum involutâ, in dicta invicem connexione firmantur. Indumentum hoc commune, ex tunica hepatis à peritoneo oriunda prognatum, primus detexit laudatus * Vir; Capſulamque ideò communem hepatis vocavit; quam rete muſculari compoſitam volunt Moderniores aliqui. Imò legitimum muſculum, ad omnes portæ, & ductûs fellei diramationes, itinera, & concurſus elongatum, & advolutum; ut non tantùm momentis ſiſtalticis ſuis, ſed & contractilibus muſcularibus ſuppleret defectui pulſationis in porta; truſiones ideò promovendo in concurſibus, & canali excretorio, reſpectu ad liquida contenta, ſecreta, & per diverſas hinc vias promovenda.

* *Gliſſonius.*

§. VII.

Quoniam autem introitus in hepar ramorum cavæ ad poſticam, & ſuperiorem ejuſdem viſceris faciem conſpicitur; Ingreſſus autem portæ, ejuſque propaginum ad ejus ſiniſtrum latus, ſeù concavæ regionis centrum, eademque inde directionum proportione in minutiſſima per totum organon diramationum ſtamina ſoboleſcunt hæc vaſa; Sequitur neceſſariò, quod Cavæ radices in quacunque hepatici parenchimatis portione, cum ramis portæ ea habitudine concurrere debeant, vt ſe ſe invicem tranſverſim, ſeu ad rectos Angulos, aut ſaltem in decuſſim quamdam interſecent: Quod pluries deglubatis exactè hujus viſceris Canalibus obſervavimus; ac diſcipulorum litavimus curioſitati: Quodque luculenter etiam habemus à commemorati * Authoris paginis, & præcipuè ab ejuſdem iconibus, nitidam horumce Canalium diſtributionem in hepate excarnato repræſentantibus: Quibus, & alias apparenter diligentiores ad eandem demonſtrationem noſtram collimantes addidit recentior * Anatomicus; ul-

* *Gliſſonius.*

* *Kerkringius.*

timò nempe ſenſibiles hepaticarum diramationum minutias præ ſe ferens. Hæc diſpoſitio, in hepate, ramorum Cavæ cum porta multum res noſtras elucidabit; vt mox videbimus.

CAP. IX.

Deſcribitur Hepatis ſtructura interna, ſeu ejus parenchima.

§. I.

PERGO Jam ad alteram partem ſtructuræ hepatis internæ, ſeu propriam hepatis, & principalem ſubſtantiam. Citatus *Gliſſonius.* rerum hepaticarum * indagator ab ultimis Cavæ, Portæ, Pori biliarii, aliorumque vaſorum in Hepate diramationibus mutuas inoſculationes ſeu anaſtomoſes abſolutè rejicit; indeque medians inter horum Canalium terminos, parenchima collocat, ſeu propriam hepatis ſubſtantiam, in quâ ideò immediatum ſtabilit biliaris ſecretionis organum, pro ut in eadem; à ſanguine ramorum portæ attracta bilis, ductuum indè excernentium principia ſubeat ibidem contermina; reſidua interim ac defæcata Sanguinis portione, per illic etiam correſpondentem radicem Cavæ, ad ejuſdem truncum derivata; Ab intima hinc hepatica compoſitione, dictæque functionis modô exponendis ſe ſe ſuaviter eximit. Nec in hunc ſcopulum allidens, meliùs expediit ſe ſe Famigeratiſſi- *Malpighius.* mus apud Nationes omnes Doctor * Bononienſis, qui ab alio prætermiſſa prædicta nec majori elucidationis face donavit; lobulis licèt ſuis in medium adductis, totumque hepatis corpus complentibus, qui in acinos indè diſpertiantur exagonos, conflatos tandem ex ſubovalibus glandulis, quas intrent omnis generis capillamenta vaſorum. Et certè ſi mente præjudiciis libera res attentè perpenditur, jure omni judicabimus virum cæteroquin præclariſſimum, nil in hepate innovaſſe præter novi vocabuli introductionem, glandulam ſcilicet appellando Colatorium bilis, quod hactenus ſub parenchimatis nomine acceſſerat; ut alibi annuimus.

§. II.

§. II.

Datâ ſolidorum omnium corporis animalis Canaliculari texturâ, adeò vt nulla aſſignari in eodem poſſit pars propriè (ut aiunt) continens, & durior, quæ ex tenuiſſimis, varieque productis vaſculis aggregata non ſit; ut acceptum eſt apud recentiores omnes; Sequitur, & partes omnes, quas glandulas vocitant, ex variè implicatis Canalibus Germanè conſarcinari; Sicque, & hepatis parenchima glandulæ conglomeratæ nomine donatum nuper, non niſi ex vaſorum Capillamentis glomeramen eſſe. Hæc vaſculorum ſtamina glandulæ hepaticæ corpus intimum conglobantia, à tribus ſolùm vaſorum ſpeciebus propagari poſſunt, Cavâ ſcilicet, portâ, & ductu excretorio. Et revera limphatica in hepate, non à glandularum ſubſtantia, ſed ab earum interſtitiis enaſci, ſuperiùs exhibuimus: Nervi nullam trahunt propriè Canalicularem ſtructuram: Dextræque cæliacæ Soboles ſolas vaſorum tunicas lambunt in hoc organo; Nec ulteriora in hepate vaſorum genera.

§. III.

Quoniam autem, ut vidimus ſuperiùs, Cavæ, & Portæ ramos, majores, mediocres, minores, & minimos in quocumque hepatis lobo, & lobulo transversè ordinariò concurrere, ſeù rectè interſecari, aut ſaltem decuſſari obſervabamus; eandemque, ut plurimum, habitudinem ſervari, quouſque cultri indaginem viſûs acies inſequitur; ideò eſt quod in primis editionibus Hiſtoriæ hujuſmodi hepaticæ ſimilem etiam concurſum vaſcularem conjectabamus in inſenſilibus earumdem venarum propaginibus & in ultimis quoque capillamentis; adeò ut deventa jam mens ad illam compoſitionem glandulæ, ubi ſunt vaſorum termini, ſuadere ſibi non inutiliter potuerit, oſculum principii Cavæ lateraliter concurrere cum fine ultimæ propaginis portæ; concipere in conſequens cruorem à porta derivatum non fluere directè in Cavam, ſeu per duos meatus rectilineariter communicantes; ſed per duas lineas angulo recto, aut ſaltem affini ad ſe ſe invicem productas; ſeù per duos hiatus aut transversè, aut quaſi tranſversè oppoſitos.

D 3 §. IV.

§. IV.

Cùm autem per partes animalis diſtributiones vaſorum exactè unquam regulares non ſint, ſeù certum ordinem caſtigatè ſervantes; In Hepate præcipuè, ubi diramationum multitudo earum etiam confuſionibus manum præbere poteſt; ideò laudati concurſus per ultima vaſorum ſtamina variari etiam poſſunt. Revera, licèt per Hepatis partes trunci, & majores rami venarum portæ, & Cavæ in angulos, aut decuſſationes plerumque conveniant; minores tamen ſurculi, & inſenſiles præcipuè, variè forſan luſitant in tractibus ſuis irregulariter inflexi aut modis millenis incurvati, ut indè ſit, quod eorum ſat plurimi in oppoſitum non veniant reciprocè, aut decuſſentur, ut alii; ſed curvè, aut rectè incumbere, aut etiam in parallelìſmos quoſdam componi, apti nati ſint. Quas ideò promiſcuas diſpoſitiones ſi ad ultimas uſque diramationes producamus, fines canalium ſanguiducorum Hepatis per varias etiam indiſcriminatim habitudines concurrere poſſe, directè, tranſversè, ad angulos acutiſſimos, ad variè figuratas indifferenter flexuras, quis inficiabitur.

§. V.

Rami omnes pori biliarii, non minùs majores, quàm minores, & ultimò gracileſcentes, variant habitudinem cum portæ ramis, nec ramorum Cavæ tractus æmulantur: Hi nempè portæ ſurculis inalterabiliter paralleli, communem directionem proſequuntur; pari paſſu, paribus diviſionibus excurrunt; immediatè ubicumque accumbentes, communique cum eadem amictu per totum hepar arctè, & inſeparabiliter devincti. Ideò eorumdem principia ad acutiſſimos angulos, ſeù ultimas plicaturas ubique cum portæ finibus convenire veroſimile eſt, niſi conjecturis in prima hujus hiſtoriæ editione productis ſuffulti aſſerere velimus, radicem ductûs excretorii hépatici per eandem lineam directam cum fine ſurculi portæ continuari poſſe, non obſtante hoc eorum parallelìſmo; ut ideò ſuccus à porta in excretorium derivatus, fluat per viam rectilineam, ſeù per meatus directè obvios; dummodo concipiatur, ramum quemcumque hujuſmodi excretorium non cum ſocia ſua, eumque indè inſenſibiliter comitante, portæ

propa-

propagine inoſculari, ſed cum aliâ oppoſitæ directionis, ſeù ad oppoſitam hepatis partem excurrente, & cum alio canali excretorio ſenſibiliter ſociatâ.

§. VI.

Sed quid in nugis hujuſmodi inſiſtemus, diramationes, & concurſus adducentium, & abducentium vaſorum hepatis inaniter perquirentes? Præſtat ſolùm, reconditum illum concurſum inferentium vaſorum & referentium per viſcera animalis, colatoria dicta, mente convenire, & ſupponere; ſeu locum illum communem, & trivium inferentis vaſis, & duorum referentium. Quomodocumque jam loci hujuſmodi figura, commenſuratio aut capacitas ſtabiliantur, perindè eſt. Concurrant jam directè reſpectivè, & tranſverſè vaſa hujusmodi in glandulari receſſu, ut ſpatium concursûs inſtar quadrati concipiatur; aut ad latera æquidiſtantia vaſis hiſce concurrentibus, interjectum commune ſpatium tanquam ſpheroideum ſupponi debeat; aut fiſtulæ hujusmodi glandulares in paralleliſmum poſitæ, acutiſſimè coëant inter ſe ſe, ſeu ad ultimam poſſibilem flexuram, adeò ut unionum communis locus formam oblongam retineat cum latere ad vaſorum oſtia oppoſito, incurvato. Concurrant mille aliis modis, mentis quacumque acie effingendis, glandulæ immiſſaria, & emiſſaria: Advocentur ad cenſum Ingenioſiſſimæ concurſuum hujuſmodi configurationes variæ a *Cl. Verheienio* excogitatæ, & depictæ; Repræſententur hinc animo poſſibiles omnes loculorum glandularium varietates, quibus directiones variæ, aut flexuræ ad curſus liquidorum ſegregabilium offerantur; Hæc omnia nihil prorſus ad ſecretionis negotium conducere, & abſque tanta inſtumentorum ſecernentium multiplicitate, imò abſque hoc glandulari interventu, ſimpliciori quodam ordine, & modulo ſecretiones omnes viventium fieri, demonſtraturus jam ſum; ſeù præviam jam eſſe ad quoſcumque incerniculorum apparatus organicos, liquidi ſpecialis ſecernendi ſecretionem; nec ideò liquidorum ſecretorum differentias à diſſimilibus glandularum ſtructuris auſpicandas.

§. VII.

§. VII.

Quamobrem, ſicuti, quæcumque ſupponatur in glandulis intimæ configurationis, aut commenſurationis proprietas, hanc ſpeciales ex ſe ſola elicere liquidorum ſecretiones non poſſe, ſic etiam, quicumque ſupponantur in glandulis diverſi vaſorum concurſus, hos non ad ſecretionem, ſed ad meram ſecretorum jam laticum ulteriorem diſtributionem eſſe poſitos, inferendum venit. Accedamus ideò jam ad tantum opus, ſeù modum ſecretionis liquidorum animalium ejuſque locum aperiendum; ut indè deſcendamus ad hepaticam enodandam ſecretionem; cui certè hujuſmodi inveſtigationes omnes collimant: Talo idcircò firmiori in imperviam huc-uſque provinciam peragraturo, liceat primò ſecretionem liquidorum à liquidis in inanimatis nonnihil perpendere; poſtmodum in vegetabilibus; hinc genericè in animali; tandem ſpeciatim in hepate, & obiter in aliis etiam viſceribus.

CAP. X.

Exponitur ſecretio liquidi à liquido in inanimatis

§. I.

Duplex eſt in inanimatis ſecretio liquidi à liquido: Alia, quæ ſponte venit in mixto, & ex interna poteſtate; abſque interventu ſecernentis inſtrumenti extrinſeci: Alia, quæ ſponte non venit, ſeu per merum principium, mixtis ſecernendis intrinſecum, non fit; ſed per vim extrinſecam, ſeu applicitum inſtrumentum ſecernens.

§. II.

Quæ ſponte in mixto inanimato, & à momento eidem inſito procuratur ſecretio, vel venit in liquidis jam pridem ſejunctis in diverſas moles, & diſſimilibus, poſtea ab agente extrinſeco ſimul confuſis, & immixtis, quæ nec congeneres minimorum ſuorum ſuperficies, nec ſimilem cohæſionum niſum gerentia,

gerentia, ablatâ confundente, & immiſcente causâ, adeò ſegregantur per ſe ſe, ut in eodem recipienti liquida una alteris diſtinctè ſupernatent, & in diverſo contactu locentur; ut venit in mixtura olei & aquæ communis: vel eſt in fluidis poſt longum tempus ſociatis, & amicè ad unum individualiter mixtum intrinſecè compoſitis, ſed ob mutatas in toto compoſito cohæſiones, aut per motus quoſdam novos introductos, aut alicujus turbantis intromiſſionem alteratis, & in degeneres contactus diſpoſitis; Qua de re ſponte etiam disjungantur; ut in muſto, aliiſque liquoribus fermentantibus.

§. III.

Quæ autem in liquoribus inanimatis per principium extrinſecum ſecretio principaliter venit, ſeu per interventum inſtrumenti ſecernentis, vel eſt in mixtis, quorum principia jam à prima compoſitione intimè inter ſe ſe unita, licèt diverſæ naturæ ſint, una tamen juxta alia, cognatis inter ſe ſe ſuperficiebus locata, tacitè, tanquam in centrum commune cohæſionis, quieſcunt, niſibus diſſimilibus non exercitis: Hinc non niſi activiori ſecretorio inſtrumento disjungi invicem poſſunt: Ut mixta, quæ per ignem chimicum in liquida componentia ſua ſequeſtrantur: Vel eſt in ſuccis, qui priùs disjuncti, poſtea immixti, licèt adhuc in particulis ſuis naturalem diviſionem ſervent, communi tamen mixturæ accomodantur, nec diverſarum cohæſionum inſtinctus integros ſuſcipiunt; Ideo à leviori admoto ſecernente artificio, facilè denuo ſeparantur: Ut aqua vino commixta, quæ per vaſorum ex lignis quibuſdam ſpecialibus conſtructorum poroſitate ab eodem ſecernitur; & oleum chimicum, & phlegma, poſt diſtillationem adhuc commixta, facilè invicem ſecernuntur per philtrationem in charta emporetica, aut alio ſimili incerniculo.

§. IV.

Frequentes hujuſmodi, & oculo quotidie manifeſti in liquidis inanimatis ſecretionum modi, ſpecies omnes ſecretionum poſſibiles continent, illas etiam, quæ in viventibus occultè celebrantur. Quamobrem, ut percipere poſſimus, quamnam hujus-

E modi

modi ſecretionum ſpeciem imitetur ſecretio liquidorum in animali; aut forſan ſi plures ſpecies comprehendat; accedamus jam primò ad liquidorum ſecretionem in viventibus minoribus, ſeu plantis; ad ſecretionem indè liquidorum in viventibus majoribus perrecturi.

CAP. XI.

Secretio liquidi à liquido in vegetabilibus

§. I.

Phiſicorum ejus ævi facilè Princeps Marcellus Malpighius, in acuratiſſima & per ſæcula univerſa inimitabili plantarum Anatome, poſtquam ad unguem demonſtraverit, ſtructuram vegetabilium quamcumque integrè vaſcularem eſſe; addit inſuper, vaſa omnia in eis alimentaria ad anaſtomoſes, plexus, reticula concurrere, undè obliquatæ reddantur ſuccorum nutritiorum trajectiones, nec per rectum eundem tubulum ligneum perpetuò ferantur: Latices idcirco nutritios per fiſtulas proprias in orbiculos diſpoſitas indifferenter aſcendere, deſcendere, tranſverſaliter agi, proportionaliter ad canales lactiferos, ſeu ſucciferos, angulis variis, curvaturis, & contorſionibus, per totam plantam conformatos: utriculos tranſverſales, ſeu horiſontales inter ſe ſe communicantes, non minùs in foliis, quàm ligno, medulla, cortice, & radice aggerrimè, & ſeriatim diſtributos, fibris, ſeu canalibus lactiferis curvatis appendi: In hoſce utres reduci, concoqui, fermentari, exaltari, & reſervari nutritios ſuccos, præcipuè in foliis, cortice, & ſeriebus ligni tranſverſis: ob hanc præcipuè ſucci alibilis cuſtodiam, utriculorum hujusmodi ſummitates nodis implicari: ſeriebus utriculorum horiſontalibus elegantes rectarum fiſtularum implicationes incruciari: Fiſtulas aëreas quaquaverſum hiantes, variè ſitas, per plantam univerſam, obliquitatibus variis ac curioſiſſimis lignearum fiſtularum interventibus diſtributas; pleraſque earum circa cen-

centrum ſerpentes, conflatas longâ faſciâ in ſpiram complicatâ, & tenuiſſimis ſquammis veluti argenteis compoſita, undè tracheæ ſpirales reſpiratoriæ dicantur, analogæ tracheis animalium reſpiratoriis: Quin imo & aërem reſpiratorium, in plantis invenit & cor, & vaſa quaſi ſanguinea, & circuitum, & naturales officinas, uteros, fœtus, placentas, cotiledones, umbilicum, amnion, chorion; & ſimiles cum animalibus analogas mirabiliter partes ſummâ ſedulitate deſcribens.

§. II.

Poſt has liquorum vias in plantis exaratas, & delineatas, quod eorundem liquorum diſtributiones ſpectat, in fine pronunciat: *Alimentitius itaque humor in radicibus percolatus, fiſtulas ligneas ingreſſus orbiculos hiantes invicem ſubit, ambientis aëris pondere ſurſum propulſus: Minima enim guttula probabiliter urgente non ſolùm aëre externo, ſed etiam concluſo intra tracheas, ſurſum pellitur; & ex plano inclinato orbiculorum facilè ſuſpenditur, donec adveniente novo motu, & compreſſione in ſuperiorem orbiculum protrudatur; vel in horiſontales utriculorum ordines derivetur... Hujuſmodi ſuccus ab exaratis utriculis in peculiare vas reticulariter productum exprimitur, ita ut ſingulis partibus affundi poſſit.*

§. III.

Nullum autem ulteriùs ſuccorum alibilium in plantas introductorum incerniculum exponit, Author præclariſſimus, præter ſpeciem quamdam cribri univerſalis, ad imos hiatus radicularum ſuppoſiti; cujus tamen poteſtati pro ſpecialibus alimentorum diſtributionibus ad tot plantarum genera, & partes non nimis acquieſcit: *Qua autem ratione* (ait) *alimentum radices ſubingrediatur*, meos adhuc ſenſus fallit. *Vt probabiliter tamen conjectari licet*; Aquæ *particulæ ſolutos ſales, & reliqua mineralia per terram diſperſa ſibi aſſociant, ac fluida reddunt; Appellenſque hujuſmodi heterogeneum corpus ad plantarum radiculas, veluti per cribrum trajectum in ligneas fiſtulas exprimitur.... Quænam ſint portæ, ſeu biantia orificia, quæ propulſum fluidum cribrent, & determinatè admittant, adhuc dubium; circa tenellas radices pili copioſè luxuriant hinc, inde. Sunt autem pili candidæ fiſtulæ, & gracillimæ, minimis orbiculis invicem*

 biantibus

hiantibus coagmentata; undè horum orificiis determinatæ figuræ analogam fluidi partem ambientium vi expreſſam admittunt, & ligneis fiſtulis reddunt. In bulboſis autem aliiſque ſimplicibus, ubi diverſa radicum ſtructura eſt, percolationem ſubingredientis liquoris in exteriore etiam ambiente cuticula immediatè ponit: undè ex hac in contiguos utriculos tranſitus ſuccedat. Hucuſque immortalis memoriæ *Marcellus Malpighius*; Cui etiam accedit Nehemias Grewius Anglus, rerum Botanicarum ſcriptor acerrimus.

§. IV.

Sed dubia primis aleis redditur cribri hujuſmodi generalis ad plantæ radicem exiſtentia, per obſervationem ramorum ex arboribus variis evulſorum, qui terræ inversè inditi, ſeu eorum parte radices priùs ſpectante ſuperiùs poſitâ, aliâque ejus altiori ad ſolum infixâ, adhuc legitimè vegetant, ſuccos hauriunt e ſinu terræ, germinant, & in arbores adoleſcunt: Nec terram tranſit, aut reſpicit rami inverſi locus, cribro correſpondens, per quod ſecernendus eſſet ſuccus nutritius.

§. V.

Quin imo ex frequenti inſitione plantarum diverſi generis patet, ſuccum terræ nutritium communem non ſecerni per radiculas, ſed per eaſdem integrum totum, ut venit è terræ gremio, & intactum tranſgredi; Ejus autem ſpeciales ſecretiones fieri per totam plantæ ſtructuram, independenter à radicibus. Arbos etenim una ſuper aliam diverſi generis inſita, nux Ex. Gr. aut ceraſus ſuper cotoneum, è liquido jam per cotoneum traducto peculiarem elicit, & ſecernit ſuccum, coaleſcendum indè in fructus, diſſimiles à fructibus cotonei: Nec tamen ſecretiones has ſuas per cribra radicum inſtituit arbos inſita, utpote radicibus ſuis expers, cotonei ſolùm trunco, & radicibus perfruens.

§. VI.

Supponamus interim cribrum hujuſmodi, plantarum radiculis poſitum: Demus etiam poris, & earum figuris poteſtatem aliquam in ſecretionibus vitalibus, quod tamen apertè ſuperiùs refutavimus; veroſimile tamen non eſt, quòd per tam ſimplices poroſitates fiant ſolemnes illæ, & ſpectabiles ſecretiones

nes, per quas tot plantarum naturæ, & proprietates, mirabiliter variantur: Ut ideò per leve, & ſuperficiale hujusmodi artificium arbor una ab eodem liquore generali, ſeu ſucco terræ nutritio ſuccum oleagineum ſegreget, alia aqueum, illa amarum, hæc dulcem; Quædam rubeſcentem, altera viridem; ut indè ex variis hiſce ſuccis elicitis, Nux v. g. in ramorum ſuorum extremitatibus oleoſum conſtruat fructum, Pepo aqueum, Olea amarum, ficus dulcem, limonia acidum, quercus acerbum, Ceraſus rubrum, Anguria vireſcentem; Citrus majuſculum & fragrantem, Berberis inodorum & puſillum.

§. VII.

Demus inſuper, inſidere poſſe competens ſecretionis officium in peculiari conformatione oſcillorum ad radiculas plantæ, tamquam per cribrum generale; non per hoc tamen fieri poterunt tot ſecretiones ſpeciales, quæ in unaquaque planta momentis omnibus celebrantur. Cogita jam quot partes diverſæ naturæ, & habitudinis planta in ſe ſe comprehendat, gemmas, frondes, flores, folia, fructus, ſemina, & lignum; tot etiam diverſas laticum nutritiorum ſpecies expetere pro certo habeas, quibus nempe ſerventur partes in naturis diſſimilibus ſuis, diſſimiliter inſuper augeſcant, & vivant, ut patet. Revera, diverſa in genere nutrimenti portio tenellis partibus, & mollioribus convenit, ſolutior ſcilicet, & fluidior; & harum ſingulis ulteriùs varia; diverſa trunco, Caulici, ramis, Cortici, medullæ, radicibus, ſolidior nempe, & magis, minuſve concreſcibilis. Ex fluido ideo generali in plantam per radices derivato tot fluida ulteriùs ſpecialia ſegreganda veniunt: Hæque certò ſegregationes ſingulares non in radicibus fiunt, nec per poſitam ibidem pororum ſtructuram, ſed per omnes ejuſdem plantæ regiones, ubi certè nova cribra non aſſident. Igitur cribratio in plantis, & introductio ſucci nutritii per oſcula radicularum, analoga cribrationi, & introductioni chili per lactea in animalibus, linquit adhuc inveſtigandum organum, tot variorum alibilium ſuccorum multipliciter in eiſdem plantis ſecretorium, analogum etiam operi multiplici ſecretorio in animalibus ad ſuccorum nutritiorum depurationes

varias. Nec in cribrorum cenſum advocandi jam veniunt in plantis laudati horiſontales utriculi, qui mera reſervatoria ſunt.

§. VIII.

Organum itaque in plantis ſecretorium hujuſmodi in totius plantæ ſtructura inveſtigandum eſt: Cùm autem ex placitis Malpighianis, & aliis omnibus, totius plantæ ſtructura ad diverſos canalium ordines, eorum longitudines varias, plexus multiplices, & anaſtomoſes creberrimas integrè reducatur, nec, præter vaſorum hujuſmodi congeries, communia recipientia, & prementia momenta, ulla alia occurrant ſpecialia incernicula, ſuccos particulares ex communi latice ſeparantia; inferendum jam venit, ſecretiones in plantis per varias Canalium devehentium habitudines, & concurſus ſimpliciter fieri; adeò ut, ſecundùm varias eorum extenſiones, curvitates, flexuras, & inoſculationes liquida alibilia, ab aëris plantarii, elateribus variè impulſa, impingentia, & laxata, in minimis ſuis, antea per terræ ſinus disjunctis, mox in commune mixtum per eundem apparenter cohæſionis niſum quietè compoſitis, denuo diſſocientur: Hæc indè minima modis millenis ſoluta, per plurimas fiſtularum communicantium claſſes ad partes nutriendas transcolentur.

§. IX.

Diverſam in plantis ſtructuram intimam, undè diverſæ in ſingulis veniunt ſuccorum ſpecialium ſecretiones, & curſus, ſeu intimam diramationem vaſorum ſua etiam ſtructura externa, & viſibilis diramatio ſpecialis comitatur; adeò ut genera omnia plantarum diverſam objiciant ramorum ſuorum cum truncis, & trunculis ſuis habitudinem; Quæ in diverſæ familiæ arboribus eſt adeò eſſentialis, ut dum in ejuſdem generis plantis eosdem ſemper perluſtres diramationum viſibilium modos, duas non invenias disparis fructicationis arbores, quæ ordinem ſenſibilis ſuæ diſtributionis ramoſæ eundem præ ſe ferant. Sic abſque ulla fructuum, aut frondium, aut foliorum circumſpectione (ut in hieme, quo tempore his omnibus plantæ exuuntur) per ſolam ramorum diverſitatem, ſeu varias eorum diviſiones, longitudines, flexuras, & angulos, ſtatim in eodem campo noſcis, & diſtinguis arbo-

rum

rum genera confuſè invicem diſperſa, Caſtaneam illico à quercu diſcriminas, perſicam ab armeniaco.

§. X.

Luculenter itaque firmatur, ſuccorum omnium in plantis ex ſucco communi ſecretiones & diſtributiones innumeras, extimè per viſibiles ramorum, & ramuſculorum diviſiones varias, intimè per fiſtularum tractus inſenſiles, exequi; ut ideo per diſpares hujuſmodi ſigillatim conformationes non ſolùm plantæ variæ eodem etiam in horto, eademque in area conſitæ, abſque ulterioribus ſecretionis organis, ſeu colatoriis diverſas ex eadem materia terreſtri ſecretiones cieant. Sed ulterius; dum in eadem planta ſucci ſpeciales ſecreti per directum quorundam canalium extenſionem, ad extremitates ramorum excurrunt, in gemmas, folia, flores, fructus impendendi; alii per laterales fiſtulas ad arboris penitiora torqueantur ineundæ nutritionis negotio; reliqua communis ſuccorum maſſa uſibus hiſce omnibus inepta ad terræ gremium reflectatur; Quod plantariæ circulationis modulus eſt, & inſtitutum.

§. XI.

Reſtat, ut æquiparemus ſecretionem ſuccorum in vegetabilibus cum primo genere ſecretionis fluidi à fluido in inanimatis, quæ etiam ſine admoto ſecernente inſtrumento obtinetur. Revera liquida in plantarum compagem intrantia implent genus eorum, quæ priùs diviſa, & in diverſo cohæſionum momento poſita, poſtea coadunantur ſimul, ſuaque minima ad regularem artiguitatem, & ſeriem unanimem collocant, profundiùs tamen ſervatis inſtinctibus niſuum diverſis; cauſa ſiquidem uniens in unum corpus valida eſt, & diu reperita; Hinc liquida hujuſmodi in unum poſita, nec non ad plantas introducta, non tam citò in niſus naturarum ſuarum diſpares inſurgunt, nec ideo tam facilè ſeparantur, ac oleum v. g. commune aquæ recenter immixtum facilè, citòque ab eadem ſeparatur; ſed aliqua in eorum complexum novi motus introductio requiritur, quâ diſſociationes diſponat; ut venit in muſto, aliiſque liquoribus fermentantibus, poſitis ſuperiùs ad ſecundum exemplum in ſecre-

ſecretione liquidorum inanimatorum, abſque interventu ſecernentis inſtrumenti. Per hoc ſapientiſſimè effatur Malpighius: *ſuccum plantarum nutritium in utriculis concoqui, & fermenteſcere, hinc ad partes nutriendas deferri.* Analogia ad ſuccos plantarum ſecernendos, elicita ex muſtaceis liquoribus, quorum ſecretionibus præcedere debet nova quædam in minimis arctè attiguis, & conſociatis introductio motûs, eô plaudentior eſt, quô ſucci hujuſmodi ipſamet liquida plantarum ſunt, à toto, & communi ſucco in eiſdem jam ſecreta, indeque ad novas ſpeciales cohæſiones in earum fructibus collecta.

CAP. XII.

Secretio liquidi à liquido in animalibus in genere.

§. I.

VIdimus hucuſque ſecretiones plurimas liquidorum à liquidis in inanimatis perfici, abſque machina extrinſeca ſecernente, ſeu colatorio, ut dicitur: Vidimus ſecretiones omnes in vegetabilibus per ſolas vaſorum diſpoſitiones in actum duci, abſque ullo advocato colatorio. Sed cùm in animalibus quædam partes occurrant, in quas introducta communis liquidorum maſſa, poſtmodum egreditur in varios liquores disjuncta; Omnibus ideo inconcuſſum fuit, hiſce partibus verè tradita fuiſſe ſecretionum miniſteria, & colatorii privilegia. Quid, ſi demonſtrare jam poſſem, ſecretiones liquidorum à liquidis etiam in animali eundem prorſus ordinem ſequi, ac in inanimatis plurimæ, in vegetabilibus omnes; fieri ſiquidem, aut abſque colatorio, aut ante adventum in illas partes, quæ colatoria dicuntur?

§. II.

Revera, ſicuti ipſæmet liquidorum ſecretiones, quæ in inanimatis per adhibitum ſecernens extrinſecus fiunt, certè non fierent, etiamſi tentandis hujuſmodi ſecretionibus fortiſſima

adhi-

adhiberentur, aut artificioſiſſima inſtrumenta; ſi in junctis liquidorum ſegregabilium minimis inchoata non foret ex inſito impulſu ſecretio quædam interna, quæ in mixtis chimicis, & aqua vino commixta, ſuperiùs in exemplum poſitis, prævìè ſuſcipitur, aut conſervatur; & prorſus deeſt v. g. in mercurio, qui ideo, ut ut liquidiſſmum corpus, in principia ſua eſſentialia diſſolvi numquam poteſt, etiamſi ſub validiſſimis ſecernentibus poteſtatibus torqueatur; Ita etiam, quories maſſa liquidorum generalis in animali, appellens in colatorium quodcunque, ſuſceptam jam ſponte in componentibus ſuis ſecretionem ſecum non duceret; nullimode in eodem faceſſeret in partes, etiamſi pluries per diem per idem colatorium trajiceret, plenaque ſederet, & tota in colatorio, ſecretionis machina ſpecialis. Nullum ſiquidem momentum competens in quocunque excogitabili incerniculi artificio aſſignari poſſet, quod intimam, uniformem, & in minimis omnibus trajicientis celeriter ſanguinis reſiſtentem æqualiter cohæſionem ſuperare ſtatim poſſet, & ſuccos intimè adnexos ac in nexum nitentes extrahere, colligere, & ſequeſtrare.

§. III.

Facilè Ille concipit, inſidere in ſanguine niſus ad cohæſiones varias multiplices in quibus liquidorum à liquidis ſecretionis principium fundatur, qui in mentem revocat; ſanguinem aggeriem eſſe corporum, mole, figurâ, & cohæſione diſſimilium, quæ, per alimentorum diverſitates in eum introducuntur; eique disjuncta inter ſe ſe, & per ſolam attiguitatem quamplurima inſident, plurima autem nonnihil cohærent, ſed cum diverſis ſpecialis gravitatis momentis, ſeu viribus centripetis variis, undè niſus in contactum diſſimiles. Ex his facilè etiam concipit, niſus hujuſmodi ad cohæſiones varias perduci in actum non poſſe per illum cruoris gurgitem, ubi totius maſſæ motus progreſſivus celerrimus in eamdem uniformiter directionem rapit cunctas promiſcuè diverſorum niſuum ſubſtantias. Ideo non difficilè ulteriùs infert, per vaſa grandiora ſanguiduca, per arterias majores, pulmones, præcordia, ubi celeriùs devolvitur cruor, niſus

hujuſmodi componentium liquidorum inſitos exerceri non multùm poſſe; exerceri magis, minuſve jam poſſe, ubi ſanguis à violenta illa per cordis, & majorum arteriarum embolo impreſſa celeritate uniformi plus, aut minùs remittitur; ſcilicet in minoribus vaſorum devehentium propagationibus, verſùs viſcera, & partes, quas colatoria noncupamur. Itaque compertum jam venit; per vias productas ad loca ſecretionum ſuppoſita varios jam in ſanguine ſpeciales humorum coalitus, ſeu ſecretiones in animalibus, inchoari.

§. IV.

Facilè inſuper percipere quiſque poteſt coalitus hujuſmodi, qui callet; ſuccos quamplurimos, ſanguini per galaxiam traductos eâ mole, & figurâ non eſſe præditos, per quas cohærere intimè poſſint cum propriè cruoroſis partibus, ſeu cum eis unum conſtituere; ſuccos alios jampridem eiſdem adnexos, ſenſim per varias cauſas liberari poſſe; alios inſuper de novo emergere à variè perfractis, & ſolutis, per momenta naturalia, ramentis cruoroſis, & globulis; ſuccorum indè ſingularium horumce minima homogenea eâ ſuperficierum, & molium cognatione donari, ut in niſum uniformem accedant, mutuoſque in amplexus conveniant; hoſce autem amplexus aut veteres eſſe repetitos, quos nempe jam habuerant ante ſolutiones ſtomachales, & inteſtinales; aut recentes, & novos à propria natura advocatos. Qui hæc omnia percipit, percipiet etiam, coalitus hujuſmodi aptiùs fieri, ubi ſucci prædicti minùs diſtracti fuerint à niſibus ſuis, ad ea videlicet proportionaliter loca, ubi curſûs communis directio, & rapiditas cedent, ut ſuprà; ſeu in vaſis minoribus, & adhuc minoribus; ut patet.

§. V.

Liquida igitur homogenea, quæ in communi maſſa cum particulis ſanguinis, aliiſque attiguis humoribus conformitatem non ducunt, facilemque ideo ſolutionem admittunt, ſi tenuiora ſint, & ſubtilia, faciliùs venient in cohæſiones ſuas; hinc longo nimis per vias ſanguineas tractu conducenda non erunt, ut ſuas à ſanguine ſecretiones ineant. Quæ autem lentiora, & fixiora

ſunt,

ſunt, non tam facilè à diſſimilibus liquoribus aliis, per eundem alveum commixtis, expediri poterunt, & in univocos amplexus ruere: Hoc ideo longiùs à corde, tardiùſque in ſuas ſecretiones inſurgent, ſeu vias longiores habebunt excurrendas, antequam integrè ſequeſtrentur à ſanguine: Et proportionaliter ad lentiorem eorum conſiſtentiam circularis curſûs majorem adhuc retardationem poſtulabunt, quâ nempe placidiùs, & commodius in lentas cohæſiones ſuas incurrant. Hinc non tantùm longiùs protractas à corde viarum ſuarum extenſiones depoſcent, ſed inſuper alias in eiſdem viis habitudines, quæ augendæ ſummopere liquidi devecti retardationi opitulentur; anguſtias videlicet, flexuras, curvitates, aliaſque obicum appoſitiones, multiplices ſecundùm exigentiam, aut paucas. Indè eſt, quod liquidorum à ſanguine ſegregabilium receptacula, ſeu colatoria, *ut dicunt*, alia longiùs diſtant à corde, & præcordiis; alia viciniora locantur. Quæ nempe liquidis tardioribus recipiendis deſtinata ſunt, remotiſſima: Quæ tenuioribus, & ſubtilioribus, notabiliter proxima: Quæ mediocribus, proportionaliter diſtantia. Viæ inſuper, ſeu vaſculares productiones ad prima concurrentes non tantùm longiſſimæ ſunt, ſed etiam multipliciter anguſtæ, & deflexæ; ad altera productæ, breves non ſolùm, ſed latæ ulteriùs, & directæ; Ad media, in omnibus mediocres.

§. VI.

Quod ſi firmiter conſtat, liquida à Cruoris compage per vias ad receptacula productas ſenſim excentrari, & novas conſequenter cohæſiones amplecti, conſtat etiam, liquida hujuſmodi in eiſdem viis per vires eorum centripetas varias à ſanguinis gremio magis, magisque removeri, & in proprios amplexus affigi, quod certè idem eſt: Conſtat ideo ulteriùs, liquida hujuſmodi per eaſdem vias, ante adventum in intima reſervatorii, non minùs ablegari à directione motûs totius maſſæ, quàm ab eadem ſecerni. Siquidem humor, qui venit in novam cohæſionem, venit etiam in diverſam integrè gravitatem ſpecificam, quæ idem eſt cum niſu cohæſionis. Quamobrem, datis in ſanguine, & humore ab eodem ſe ſe extricante diverſis gravitatibus, & diverſis

earum centris, tanta jam veniet in ambobus mutua neceſſariò ſeceſſio; ut in eodem vaſe unus humor ſimpliciter juxta alium ſit poſitus; ſeu unus ad alterius ſuperficiem innatet, & in ſejunctam molem ſupereminent, abſque alia unione; ſeu quod idem eſt, maſſa liquidorum communis conſletur jam ex liquido univerſali, & particulari, invicem disgregatis. Et jam in hoc ſtatu plenè habitam perſpicimus determinatorum laticum à communi complexu ſecretionem in mera à corde ad reſervatorium via, antequam liquida hujuſmodi reſervatorii intimiora perluſtrent: Veniamus nunc ad completæ ſecretorum laticum ſeceſſionis cauſam, quæ certè in diverſa curſûs ſuſcepta ab ambobus directione conſiſtit.

§. VII.

Humor, qui à maſſæ generalis cohæſione gradatim detrahitur, ſenſim etiam à centro ejuſdem motûs recedit. Cùm autem motus ab embolicis animalis machinis impreſſus ſanguini, in curſûs non interruptam directionem collimet; liquida, quæ ſenſim removentur ab unione ſanguinis, removebuntur etiam ab directione curſûs ſui; nec certè removeri poterunt, niſi ſuſceptâ directione aliâ oppoſitâ, ſeu laterali. Itaque, quò magis liquida determinata removebuntur à cohæſione ſanguinis, eò magis greſſûs ſanguinis directionem amittent, & ad lateralem ſubſidentiam diſponentur. Quo itaque momento ſanguis, & liquidum ſecedendum, jam ſecreta inter ſe ſe, & diversè nitentia in colatorium accedent; cum appoſitâ pariter greſſûs habitudine accedent. Sanguis reſervatorium attingens, imminuto quidem curſûs gradu, ſed intactâ, & ſervatâ directione, niſuque per totum uniformi, trajiciet ulteriùs & in circulum perenniter devolvetur: Liquidum per viam ſecretum, in ultimos reſervatorii receſſus adveniet cum penitus amiſſa progreſſiva directione; Ideo toto jam ad curſum impulſu fraudatum ad viſceris loculamenta eodem adventûs ſui momento neceſſariò ſubſiſtet, quo ſanguis ulteriùs delabitur. En ultimus ſecretionis animalis actus, ſeu ultima liquidi à liquido ſeceſſio.

§. VIII.

Revera viarum longitudines, & divaricationes ad quæcunque

que ſuccorum ſpecialium reſervatoria, ſunt in ratione reciproca ad habitudinem liquidi, quod per eas ſecerni debet, & remorari; ſeu illam proportionaliter menſuram ſervant, & rectitudinis conditionem, quæ pares ſint ad integram liquidi determinati procurandam dimotionem ab adhæſione ſanguinis, & impulſu. Deſinunt itaque vaſa devehentia, & in ſpeciale reſervatorium affiguntur in illo opportunè loci puncto, ubi devecta liquida integrè ſejuncta jam ſunt, & oppoſitis greſſûs directionibus percita; ubi nempe prorſus jam deſinit in liquido ſpeciali ſecreto progreſſiva directio, perſiſtens adhuc in ſanguine; ut ideo organum ibidem apponi debeat, ſecretos latices diverſè colligens, aut diſtribuens: liquidis tenuioribus in ſeceſſionis actum faciliùs incidentibus breviores & directiores vias dari, craſſioribus ob oppoſitam rationem longiores, & magis implicatas, ſuperiùs vidimus. Quantùm autem valeat viarum hujusmodi longitudo, anguſtia, aut divaricatio ad contentorum laticum lentores fovendos, & promovendas lentiorum ſecretiones diffuſiùs ſequenti capite exponetur.

§. IX.

Secretionis principium hucuſque expoſitum annuere videtur Perſpicax ſæpe *Baglivius*, cùm dixit: *ſeparationem, ac derivationem inæqualiter liquidorum per canales corporis mixtim fluentium fieri per compoſitionem duorum motuum, quorum alter moveat per longitudinem canalis, alter eodem tempore quaquaverſus ad latera.* Indicatum dumtaxat à Baglivio ſecretionis animalis artificium, elucidavimus jam, & explicavimus.

§. X.

Secretionem ſpontaneam liquidorum à ſanguine in vaſis interaneis animalis per imminutos, ad gradum conſiſtentiæ ſucci ſecernendi, gradus celeritatis circuitûs luculenter exhibet, & ad vivum delineat ipſamet ſpontanea extracti ſanguinis, & vaſe externo collecti, ſecretio in componentia ſua. Cruor abſtractus ab agitatione, & tritu vaſorum animalis, & otioſè effuſus in patinam, minima ſua omnia heterogenea in niſuum ſpecialium momenta dimittit. Hæc ideo in disjunctas illico cohæſiones ac-

cedunt: Ramoſæ, reticulares particulæ primæ ſunt, quæ ſe ſe invicem prehendant, in centrum ſpecialis gravitatis corrugentur, & ad menſuram naturalis contractionis liquidiores intermixtas ab propriis adhæſionibus excutiant, exprimant, & ſegregent: Iſtæ reciprocè coadunantur, & cohærent: Sic conſiſtentes plus, minùs aliæ, ſic omnes; quæ ideo diverſas locationes ineunt: Hinc aliæ aliis ſupernatant, aut præcipitantur, aut alio quocunque modo ſecedunt. Si ſanguinem hujuſmodi extractum agitamus, motum ideo conciliantes, analogum progreſſivo in vaſis animali interaneis majoribus habito, proportionaliter ſecretiones hujuſmodi impedimus, aut retardamus. Quod in ſanguine extracto exponimus, confer jam reſpectivè cum ſanguine, per animalis canales devecto; & totam habes, ac ſimplicem ſecretionis animalis naturam.

§. XI.

Confirmatur ex generali animalis ſtructura, quòd in curſu ſanguinis, magis, aut minùs per vaſa tardigrado, ſecretiones omnes, & variæ proportionaliter fundentur. Equidem, vaſa ſanguinea in animalis continenti, ſeu ambitu corporis locata, directa ſunt, & ſub potentiis muſcularibus aſſiduè prementibus quaquaverſum poſita; greſſum ideo devecti liquidi celerem, & liberum ſervantia, adeò ut confuſæ cum toto, humorum ſegregabilium moleculæ, confuſè rapi per curſûs impetum debeant, nec ideo extricari poſſint, & ad ſe ſe invicem prehendendum exire. Hinc ad ambitum corporis colatoria non adſunt: Adſunt autem dumtaxat ad illa animalis loca, ubi vaſa eadem ſanguiduca prolixiùs elongantur, contorta inſuper notabiliter, ſunt & divaricata, ac à prementibus momentis muſcularibus majoribus, ut plurimùm, diſſita; tardiorem ideo in liquidis contentis progreſſionem neceſſariò conſtituentia; ſeu per intimas animalis partes; per viſcera ſiquidem, ad totum corporis continens, vaſorum, & membranarum interventu, pendulæ tamquam peninſulæ, alligata. Quod ſi ad externas partes, ſeu ambitum corporis, colatoria aliqua implantantur; ut ſalivales glandulæ ſuperiores, aliæque; vaſa ad eas appellentia variis adeò diviſioni-

bus,

bus ante introductionem ſuam, divaricantur; ut tarditas indè deducti liquidi ab hiſce divaricationibus producta, correſpondeat tarditati ſanguinis, factæ per vaſorum ad viſcera conducentium divaricationes.

§. XII.

Confirmatur ulteriùs ex praxi, ſecretiones in animali liquidorum à liquidis per ſuſceptas proportionaliter in vaſis retardationes ſanguinis, produci. Remedia ſiquidem, ſanguinis curſum aliqualiter retardantia, movent alacriùs ſecretiones varias liquorum tenuiorum, ut urinæ, ſudoris &c. ſic hipnotica omnia, & opiata, ſudorifera ſunt, & facilè etiam diuretica. Flores papaveris rheados, ad unicum exemplum, impetum ſanguinis eodem tempore retardant, ac urinas, & ſudores movent &c.

§. XIII.

Ecquid ideo in colatorio vanè configurationes inquiremus, ſi in eum appellit ſecreta jam ſine incerniculo, ſpecialis liquoris particula? Jam ibidem neceſſariò reſtitat, & remoratur? ſecretorium liquidorum animalium organum, vaſcularis via eſt; ut abundè vidimus; quæ ideo diversè conformatur, ſecundùm diverſas ſuccorum ſecernendorum conſiſtentias, & niſus inſitos: Nec ſecretionis ratio ab hujusmodi viarum habitudine diſtinguitur. Partes, quas colatoria dicunt, ſuccos jam ſecretos admittunt; Haſce ideo non colatoria, ſed merè reſervatoria noncupari viſum eſt. Supponantur jam in hujuſmodi reſervatoriis concurſuum vaſcularium determinatæ quomodocunque figuræ: Quomodocunque diſpoſiti loculi intimiores concipiantur, res eadem perinde erit, idemque ſecretionem ſpecialem quamcunque explicandi modus. Concipiamus ſolùm, in receptaculo quocunque animali adeſſe loca determinata pro ſubſidentia ſecreti humoris; adeſſe vias liberas ad curſum ulteriorem ſanguinis; adeſſe tandem vas, ſeu emiſſarium, liquida ex ſe ſe ibidem ſubſidentia ad alias longinquas Partes deflectens, & adsportans pro uſibus variis animalis; totum jam habemus ſecretionis terminum, & complementum. Concipiantur jam, quocunque multiplici modo diſpoſita inter ſe ſe, loca hujusmodi & Canales; ſecretiones ibidem

cujuscun-

cujuscunque generis ſpeciales abſolvendæ ſunt, quia jam in via ad receptaculum ſuſceptæ. Detur ad hæc omnia communia loca, quomodocunque velis configurata, id tandem, quod liquida jam ſecreta, & vias diverſas affectantia, per hasce vias impellat, & urgeat.

§. XIV.

Adeſſe autem in reſervatorio quocunque animalis, potentiam prementem hujusmodi, ſeu inſtrumentum liquidorum ſecretorum moles ad vias varias impellens; quinimo evidens, eſſe & multiplex, nemini ex Anatomicis latet. Primum eſt, ejusdem ſanguinis directus, & uniformis adhuc impulſus, ut ſupra, in unico nempe niſu, unicâque cohæſione determinatus; Undè non tantùm productio ſui ad directionem itineris per venas ad circulum, ſed & propulſio attiguorum ſubſidentium liquorum ad laterales per excretoria diſtributiones; ut clarius videbimus ſequenti capite. Secundum, & præcipuum eſt, vis perpetua muſculi, locis quibuscunque receptaculorum communibus, circumducti, undè competentes preſſuræ, & truſiones. In colatoriis, ſeu reſervatoriis, ubi tenacius eſt ſecretum liquidum ulteriùs derivandum, notabiles ſunt potentiæ hujuſmodi muſculares intimæ, ad loca communia, ſeu vaſorum omnium concurſus quatiendos: ſic in hepate ad bilem movendam conſpicuè inſterni tegmen muſculare, ad concurſus omnes, & vaſa excretoria diſtributum, capſam ſcilicet celebrem Gliſſonianam, variis locis effati ſumus. Forſan etiam inſtrumenti prementis hujuſmodi non infimam partem conſtituit alliſio neceſſaria ſuccorum in ſolida locorum communium latera; Ex qua ideo reflexiones quamplurimæ, & acquiſita momenta veniunt ad liquidorum impingentium introductionem in canales novos. Addite ſpecialibus hiſce potentiis generales alias, & majores, per totum corpus extenſas, ad liquorum omnium preſſuras, & impulſus inceſſanter vigentes. Et totam habemus rationem ulterioris effluxus ſecretorum laticum ex reſervatoriis quibuscunque.

§. XV.

Inquirenti ideo jam, quid ſit in genere colatorium, ſeu reſervatorium

vatorium organicum, per animalis regiones multiplex, diverſis molibus, & figuris comprehenſum: Reſpondeo, corpus eſſe, ex innumeris diſtributionibus, & propaginibus vaſis deferentis, variè elongatis, & contortis, ſecundùm exigentiam devectos latices magis, aut minùs retardandi capax, omnibus ſub eadem ſuperficie collectis, compoſitum: devecta liquida in hiſce diſtributionibus variè ſecerni ſecundùm varios tarditatis, & alliſionum ſuſceptos gradus: Haſce autem diſtributiones vaſis deferentis concurrere per totum reſervatorii corpus in duo vaſa referentia, ſeu emiſſaria ſanguinis reſidui, & humoris ſecreti: Hoſce omnes concurſus muſculis peculiaribus obtegi; & totam reſervatorii fabricam tegmine communi, ſecundùm exigentiam, muſculari, aut membranoſo circumduci: Figuras, & magnitudines diverſas in colatoriis variis præ ſe ferri, ſecundùm diverſas aggregatorum canalium in eorum propaginibus menſuras, tractus, & numerum. Nec aliud eſt animale colatorium.

§. XVI.

Cùm ideo ſecretio animalis quorumcunque liquidorum à liquidis aliis, indifferenter abſque colatorii artificio celebretur, patet jam, animalem ſecretionem à ſecretione vegetabili, nec imo ab inanimata eſſentialiter diſcriminari: Diſtingui autem inter ſe ſecretiones hujusmodi per reſpectus ſolùm extrinſecos. Et ſiquidem, ſecretio non minùs vegetabilis, quàm animalis ab inanimata diſtinguuntur; quòd primæ, in vaſis continentibus producantur, ulteriùs à loco ſecretionis elongatis, & variè efformatis; ultima autem in vaſis, quæ nec in neceſſariam conformationis varietatem ponuntur, nec in ulteriorem productionem. Equidem, ſecreta in vegetabilibus, & animalibus fluida varia, à ſecretione ulteriùs moveri debent de loco in locum, ad plantæ, aut animalis neceſſarios uſus quamplurimos; qui certè in inanimatis non veniunt, in quibus nempe ſecreta liquida nec nutritionibus, nec officiis aliis deſtinantur; nec curſibus ideo ulterioribus ab expleta ſecretione. Diſtinguitur autem per merum etiam reſpectum extrinſecum ſecretio animalis à ſecretione vegetabili: Humores nempe in animalis ſanguine ſecreti, & inutiles ad nu-

G tritionem,

tritionem, ad utilitates adhuc non paucas in animali obeundas retineri debent in corpore; hinc conſtituta, & erecta eiſdem ſuccis notabilia reſervatoria ſunt; undè ulteriùs ad loca utilitatum deriventur: In vegetabilibus, qui ſucci inutiles ad unicam horum viventium functionem, ſeu nutritionem (Generatio ſpecies nutritionis eſt) reperiuntur, nullum aliud in planta utile officium præſtare poſſunt; hinc, liquidis hujuſmodi ab alibilium conſortio, & aptitudine ejectis nulla offeruntur reſervatoria peculiaria, analoga viſceribus animalis, colatoria noncupatis; ſed prompta è vegetabili per truncum, & radices, aut tranſpirationem ablegatio intimatur. Succis dumtaxat nutritiis reſervatoria collocantur in plantis, ſeu utres laterales laudati; qui ideo ad proportionem tot partium nutriendarum minores multò ſunt, & copioſiores receptaculis humorum non alibilium in animali; Quamobrem, exceptis quibuſdam accidentalibus circumſtantiis, eadem eſt in inanimatis, vegetabilibus, & animalibus, naturâ, modo, & ſimplicitate ſecretio in genere: Quod probandum aſſumpſimus. Veniamus jam ad particularem in animali ſecretionem, ſeu liquidi ſpecialiter bilioſi; cui prolixa hæc omnia inſtituta fuerant.

CAP. XIII.

Secretio in Animali liquidi bilioſi in ſpecie; & obiter de aliorum liquidorum ſecretionibus.

§. I.

Hiſce autem in genere de animali ſecretione prælibatis reliquum eſt, ut Bilis naturam, tum viam ejuſdem ſpecialem à corde ad receptaculum ſuum, ſeu hepar, repetendo, modum ſecretionis ſuæ fœliciter noſcamus. Bilis præcipuum, & eſſentiale principium ramoſum eſt rigidiuſculum, ſeu ſulphureum, *ut dicitur*, & oleoſum. Hoc certè conflant duplicis generis ſubſtantiæ: Primæ ſunt, particulæ recentes cibariæ plurimæ,

in

in maſſam liquidorum generalem quotidie adventantes, impares ad ſe ſe aſſimilandum in componentia propriè cruoroſa; quæ ideo purpureis ſanguinis globulis non cohærentes, non junctæ, ſolùm attiguæ, & juxtà poſitæ, ſeu ſimpliciter immixtæ, per motum circularem devolvuntur: Tanta eſt molendrini ſtomachalis efficacia; ut oleoſas, pingues alimentitias partes terendo, & ſubigendo, intimè miſceat, & confundat cum aliis quibuſcunque particulis cibariis, cujuſcunque fuerint texturæ, & generis; adeò ut particulæ ſubactæ hujuſmodi, quietè per aliquod tempus jacere cum aliis poſſint, niſibus ſuis non habitis; Hinc liquor communis ſanguineus ex immixtis omnibus promiſcuè conflatus, per aliquod etiam temporis homogeneus, ſeu naturâ univocâ præditus compareat. Id itaque ſolutionis ſuſcipiunt in ventriculo hominis oleoſæ alimentitiæ partes, quod aut jam ſuſcepêre in ventriculis brutorum aut in ventriculo plantarum; ſeu terræ fermentantis gremio; ex quibus deductæ, in hominis alimoniam faceſſunt. Alteræ ſunt, partes variæ in ſanguineos laudatos globulos, amiſſis priſtinis cohæſionibus ſuis, jam pridem converſæ, & intimè cohærentes; poſtmodum, poſt circuitus varios, alioſque motus, coctionis, aut deflagrationis communitèr dictos, ſeu per attritiones varias, in figuris ſuis, & nexibus ſuſceptis immutatæ, incaleſcentiis repetitis tanquam ſicciores factæ, ex molli, & levi conſiſtentia in rigidiorem converſæ; ut ideo novas inter ſe ſe cohæſiones poſſint ſucceſſivè affectare.

§. II.

Ex oleoſo elemento partem bilis præcipuam conſtitui, nemo jam ambigit. Denotat ampliſſimè unctuoſitas, conſiſtentia, deflagrabilitas bilis. Bili integrandæ ſalia aliqua alcalica, & acida intermiſceri, ſeu potiùs oleoſis bilis ramoſitatibus fortuitò irretita lentiorem eidem, & rigidiorem conſiſtentiam, aculeatum inſuper ſaporem, & forſan etiam colorem procurare, compertiſſimum habeo. Refert mihi amiciſſimus æquè, ac omni titulo præclariſſimus & colendus D. *Iacobus Cicognini* nunc ad regiæ ſanitatis cuſtodiam in Matre Regis noſtri omni merito,

plauſuque advocatus innotuiſſe præceptori quondam ſuo Bononienſi Bilem artificialem naturali ſimillimam fabricare ex multo oleo communi cum quadam portione cineris cujuſdam, & quodam acido. Hujus compoſitionis modo depromendo hic locus non vacat. Sapo communis fit ex oleo, tamquam fundamentali principio, & ex ſtricto lixivio herbæ kali, aut cujuſcunque alterius fortioris alcalici, invicem coctis, & aquoſo principio per ignem abſumpto, in ſtrictiorem compaginem condenſatis. Nos ſaponariam facultatem in bile animadvertimus, quam noſcunt etiam pictores, pro ſolvendis coloribus, & mulierculæ pro veſtium abſtergendis ſordibus, bilem uſurpando. Hanc ideo tamquam ſmegma animale per uſus varios decernimus. Bili interim diluendæ, & in debitam liquiditatem ſervandæ quantitas phlegmatis veteraſcentis ſanguinei proportionaliter conceditur; cujus nempe vehiculo. & interventu commodè per vias ſuas vehatur, & à concretionibus ſaponariis, aliiſque ſimilibus, per morbos interim varios creberrimis, impediatur. Forſan ideo traduntur bili ſalia lixivioſa, & diverſi generis alia, ut eórum interpoſitione vehiculum aqueum cum oleoſa bilis ſubſtantia intermiſceri poſſit, eamque liqueſcere: Quippe aqua in oleum introduci, ejuſque partes ſolvere, & dilatare non poteſt ſine interventu ſalis proportionati. Deductam bilis ex hiſce adnotatis definitionem vide ſuperiùs *cap.* 2.

§. III.

Cùm itaque principale bilis conſtitutivum oleoſum ſit, faciliimè explicari poſſet ejuſdem ſecretio à ſanguine per aptiſſimam analogiam ſecretionis, ſuperiùs expoſitæ, olei immixti cum aqua, aut liquido alio quocunque degeneri, in inanimatis; quotieſcunque oleum bilioſum principia ſolùm alimentitia conflarent, in ſanguinem introducta, ejuſque intimis partibus non cohærentia, ſed ſolùm attigua, & juxta poſita; Quæ ideo, ablatâ causâ immiſcente, & confundente, ſeu impulſu circuitus, ſponte à maſſa ſecederent, ſe ſe invicem coacervantia; ut oleum aquæ confuſum, ablatâ causâ confundente, quaſſante, aut impellente, ſponte ablegatur ab aqua, in ſe ſe coactum, & accumulatum

tum. Sed cùm viderimus, varia etiam principia in bilem faceſſere, quæ priſtinam, & diuturnam cum cruoroſis partibus unionem ſervaverant; quæ ideo emergere ex ſe ſe, & ſecerni tam facilè non queunt, niſi prævia quædam concurrat, & paulatina ad ſecretionem præparatio; adducta jam analogia non ſufficit. Alia itaque ex ſecretionibus aliis, per inanimata ſuperiùs expoſitis, deducenda: ex ſecretione v. g. oleorum in vegetabilibus, mineralibus, aut eiſdem animalibus; quæ nempe olea, oleoſo animali bilioſo principio analoga, licèt niſum in ſolas cohæſiones ſuas perpetuum conſervent, eum tamen, uti aliis in mixto vegetabili diverſis principiis interpoſitis compreſſa, & disjuncta, exercere non poſſunt, & quaſi exercere dediſcunt; cohæſionem ideo cum principiis aliis diſſimilibus communem poſt longum tempus tranquillè ſervantia, prævias quaſdam, longaſque præparationes exigunt ad ſecretiones ſuas.

§. IV.

Veniamus primò ad oleum vegetabile. Et ſiquidèm oleorum vegetabilium ſecretionem quod ſpectat; cuicunque ignis gradui ſubjiciatur, aut torqueatur vegetabile quodlibet, nec guttam olei ſui dimittet à ſe ſe: Cremabitur potiùs, incinerabitur. Ut oleum hujuſmodi vegetabile à principiorum aliorum compedibus expediri poſſit, extrahi, & ſecerni, prævia in vegetabile ad locum aliquem fixè ſubſidens introduci debet præparatio, ſeu fermentatio quædam; non violenta, non ſubita, non præceps, ſed lenis, longa, & inſenſilis; per quam ſcilicet particulæ oleoſæ ſenſim, ſuaviter, & tamquam per gradus eleventur ab aliarum peſſundatione; à terreis, & ſalinis rigidioribus, ac gravioribus expediantur; volatilioribus & aqueis aliquot, ſubtilioribus oleo quoquomodo analogis, aſſocientur, ſoluto communi nexu, & novo ſpecialiter ſuſcepto. Hæc lenis in vegetantibus, & inſenſilis præparatio adeò efficax eſt; ut oleum eorumdem priùs tenaciſſimum, fixiſſimum, inſolubile, ponderoſum, & crudum, in oleum liberrimum, ſubtile, agillimum, & leve evehatur;

ſeu ſpiritum plantarum ardentem, per leviorem ignis actionem à cæteris mixti ſubſtantiis ſegregabilem.

§. V.

Fermentatio apud plurimos ſub antiquo adhuc conceptu reconditur; multa in conſequens, etiam apud modernos, involvit figmenta. Qui dixit, *fermentationem motum eſſe inteſtinum particularum inſenſilium, in mixtum concurrentium, cum ſpontanea tendentia ad recedendum à centro communis motûs*, meliorem expoſuit in genere fermentationis naturam; accedendo ſcilicet ad rerum naturalium omnium motum illum inteſtinum, admirabilem, qui, ultra tot effictos, ſimplex eſt, validus, & univocus, partibus omnibus materiæ proportionaliter inditus, & actum totum materiæ, nec non concentum ſtabiliens. Motus equidem liquidi, aut ſolidi cujuſcunque internus, inſitus, & perennis, ſeu niſus ſpontaneus duplex eſt. Primi generis niſus hujuſmodi corporibus omnibus univocè & generaliter inſidet, ac ad unicum centrum gravitatis communis determinatur: Alterius generis niſus, in variis corporum componentibus varius eſt, & ad centra quædam determinata, & diſtincta gravitatum quibuſcunque ſpecialium dirigitur; ſeu niſus eſt minimorum cujuſcunque corporis in cohæſiones homogeneas; qui cæterùm in liquidis luculentiùs emicat, ob dividuas magis, & leviores in eorum componentibus ſuperficies. Quibus in corporibus niſus hujuſmodi primi, & ſecundi generis æquales ſint, aut in quibus alteruter prævaleat, hîc inquirendum non venit. In minimis communis maſſæ diſſimilibus veniunt niſus ſecundi generis diſſimiles; per quos videlicet minima congeneres ſuperficies habentia, ſeu, *ut dicitur communiter*, homogenea, urgent per ſe ſe in mutuam cohærentiam, & in idem centrum gravitatis ſpecificæ; ſeu vi eadem cientur centripeta ſpeciali, cum tentata excluſione diſſimilis, ſeu heterogenei, eorum ſuperficiebus intermedii, plus, aut minùs exercitâ, ſecundùm majorem, aut minorem dictorum intermediantium reſiſtentiam. Aliqui niſuum hujuſmodi poteſtatem in minimis quibuſcunque materiæ, explicant per vim in ſe ſe ſpontaneè contractilem, eiſdem ſingulis inditam, & tanquam corrugativam niſus hujuſmodi in

cohæ-

cohæſiones, & contactus, partibus materiæ ab ortu mundi proportionaliter impreſſus, à cauſis reſiſtentibus innumeris impediri quidem violenter poteſt in dies; auferri, aut minui non poteſt: In actum ideo ſuum indeficienter reſtituitur, ablatis, aut imminutis cauſis obſtantibus. Ex variis hiſce niſibus ſpontaneis, & perpetuis non minùs accedunt, per rerum naturalium univerſalitatem, intimæ variæ motiones in ſolidis, quàm mutationes etiam innumeræ, & præcipuè ſecretiones in liquidis cujuſcunque generis, viventibus, & non viventibus. Eorum inſuper transformationes in corpora firmiora, & ſolida, non tantùm in inanimatis, ut in mineralibus, & lapidibus; ſed & in vegetabilibus, in folia, frutices, lignum &c. & in animalibus in fibras, membranas, oſſa, & ſimilia. Defer jam ex his paucis legitimam fermentationis ideam.

§. VI.

In mixto quocunque liquido, ubi ſedeat arcta nimis componentium minimorum diſſimilium interpoſitio, ſeu tanquam incruciatio, & veluti æquipondium reſiſtentiarum, & niſuum; ut niſus, & minima proportionaliter extricentur, mixto, tamquam tonicè quiescenti, movens momentum aliquod ſuperaddendum eſt; incitamentum ſcilicet quodpiam, & concuſſivum, ſopitos elateres ſingulos partium, ſeu vires omnes urgentiæ ſpeciales centripetas ſuſcitans, & expediens. Excitabulum hujusmodi non tantùm ab introducto in mixtum motore novo procurari poteſt; ſed etiam ab agente extrinſecè poſito, allidente, & in ſpeciales mixti moleculas impellente; præcipuè autem à gradu quodam tarditatis, & moræ, fluentibus liquidis heterogeneis oblato. Revera, ſicuti motus liquidi totius, ſeu progreſſivus intimos inſenſiles motus, ſeu niſus ſpontaneos laudatos interturbat, diſtrahit, & impedit; ſic externa quies, & ſtatio anſam omnem motionum inſenſilium porrigit. Muſtum, aut liquida vegetabilia alia, quæcunque ſint, nunquam fermentant, ſi motu progreſſivo, eoque præſertim celeri, cieantur: fermentant ſolùm quiete poſita. Externæ liquidorum alliſiones quantùm eorum nexibus ſolvendis valeant, cuicunque non latet.

§. VII.

Sanguis igitur, per vitæ leges, liquidis non tantùm tenuioribus, & leviter in ſe ſe, & cum principiis aliis, cohærentibus, ſed & notabiliter intricatis è plexu ſuo ſegregandis, inſtitutus, intimas etiam, & competentes difficiliorum ſecretionum præparationes habere debet in ſe ſe; per quas videlicet non ſolùm minima homogenea ſecernendi liquoris ad niſus determinatos ſuos, & univocas cohæſiones vividiùs diſponantur; ſed alia etiam conjuncta heterogenea, ſeu diſſimilium ſuperficierum elementa, in naturas exercendas ſuas excitentur; ſeu in niſus ſpecialium cohæſionum vegetiùs conſpirent; ut ideo ſegregabilia ſucci determinati principia faciliùs expediantur ab eorum intertextu, et tamquam emoventur à centro communis mixturæ. Quamobrem, cùm maſſa cruoris, ad vitæ uſus præcipuos, perpetuâ per animal rotatione rapiatur, patet jam, curſum hujuſmodi præparationibus, & niſibus ſecretionum obſtare omnimode, ut diximus ſuperiùs; Ideoque feriationes quaſdam ab hoc curſu ſuo, aut notabiles ſaltem retardationes exigi in ſanguine, majores, aut minores, ſecundùm majorem, aut minorem exigitam præparationem, reſpectu ad majorem, aut minorem implicationem humoris ſegregandi, cum reliquis ad datum tempus non ſegregandis principiis. Dantur revera retardationes hujusmodi generaliter per orbitam ſanguinis, & ſpecialiùs ubi inſtituendæ ſunt ſecretiones. Producuntur retardationes exigitæ ex tot vaſorum majorum, & minorum ſanguinem per totum animal devehentium diviſionibus, flexuris, curvaturis, anguloſitatibus, anguſtiis, & diſtantiis ab impulsûs principio: Per has omnes variè in progreſſionibus ſuis retuſæ, remoratæ, aut infirmatæ moleculæ ſanguineæ, niſibus inſitis ſuis vacare liberiùs poſſunt. Dantur inſuper per eamdem orbitam innumeræ ad tot vaſorum latera, & angulos, alioſque obices impingentiæ earumdem molecularum, & alliſiones; quo jure ſolutio ulteriùs, & mutua earum omnium excentratio abundè procuretur. Dantur tandem, ante quamcunque ſpecialem humoris ſecretionem, ſuæ etiam ſpeciales curſus ſanguinis proportionaliter retardationes.

Canalis

Canalis ad determinatum reſervatorium aliquod ſanguinem totum unà cum humore ſegregabili conducens, ante adventum in intimiora reſervatorii, per mille flexuoſas anguſtias, diverſas tamen ſecundùm exigentiam ſecretionis, peculiariter diſtribuitur; ut ideo ad proportionem novæ retardationis circuitus, & novarum alliſionum in conicis hujuſmodi anguſtiis, & flexuris ſpecialibus augeantur etiam, aut penitus excitentur in devectis confuſè liquidis niſuum ſuorum momenta, & ſolutiones; ut conſequenter, poſt præparationes ſecretionum generales per totum circuitum ſuſceptas, cuicunque etiam ſecretioni ſua præſidens determinata præparatio, integram præberet manum ad plenam ex aliorum complexu humoris determinati ſequeſtrationem. Humor itaque plenariè præparatus, & ſecretus adveniens in reſervatorium ſuum, omnimode ibidem ſejungitur à maſſa præterlabente. Quæ autem ejuſdem humoris portio præparata adhuc non fuit, nec indè ſecreta ante adventum in reſervatorium ſuum, reſtat adhuc in ſanguine, principiorum aliorum intertextu illaqueata, uſque ad novas, poſt novos circuitus, integraſque præparationes generales, & ſpeciales ſuas, plenamque ideo ſecretionem tandem ineundam.

§. VIII.

Sed bilis humor eſt, ſuper alios omnes animales, tenax, intricabilis, lentus, viſcidus, uno verbo ſanguineus; difficillimè in conſequens, ſuper alios omnes, admittens ſolutionem ſui à ſodalibus principiis in ſanguine: Ideo, præter præparatorium commune, exquiſitiorem, ſuper alias omnes, præparationem ſpecialem ſuam oleum hujuſmodi animale depoſcebat. Nec certè augeri poterat præparatio ſpecialis hæc ſua, niſi viis à corde ad ejus reſervatorium, ſuper alias omnes, à curſûs impulſu recedentibus, & divaricatis ſeu in majores longitudines, anguſtias, diſtributiones, & tortuoſitates diſpoſitis, quo niſu ad debitum ſecretionis apparatum promovendum, tarditas fluxûs devectis ſuccis quàm maxima, & maxima etiam alliſio procurarentur.

§. IX.

Non ideo per arteriam ſanguis ad hepar devolvitur, qui

bile ibidem ſpoliandus eſt; ut per ſolam arteriam ad alia omnia animalis colatoria tranatur. Exigitæ ſanguinis, ad hepar in ſecretionis officium confluentis, tarditati notabili non congrueret arteriæ ejusque diramationum habitudo; quarum directio, quæcunque ſit, ſemper nimia, & momentum impulsûs vel mediocre, celeri ſuccorum interfluentium trajectioni manum præbent. Quæ ideo præparatio ſecretionum per arterias celebratur, bili præparandæ non ſufficiebat; tenuiorum dumtaxat laticum ſolutionibus, & ſecretionibus ſufficiens. Vena hac de re nova extruitur, quæ ſanguinem ex arteriis in viſcera plurima deciduum, tardum ideo jam factum, fractumque in ſuſceptis impulſibus reſumat in ſe ſe, & in ſe ſe retardet ulteriùs multiplicatis, & elongatis divaricationibus; tardiſſimum tandem, & vix mobilem versùs hepar diſponat, & deferat; ex quo tandem bile exutus contubernali, revehatur per cavam ad cordis impulsus. Cavæ ideo, aortæ ſuperaddita hæc vena intermediat, vaſaque hujusmodi communiter ſocia interventu ſuo disjungit, & longè diſtrahit; Quod certè alibi in animali non venit. Perpende jam ex venæ hujuſmodi, rectioribus circuitûs viis interpoſitæ, ſeu portæ, longitudine, divaricatione, & diſtributione quàm maxima, quàm longiſſimum, & quàm tortuoſum iter metiatur ſanguis à corde ad hepar: Per arteriæ magnæ flexuras; hinc per flexuoſiſſima meſeraica; poſtmodum per ſolidorum inteſtinalium, aliorumque viſcerum ambages; indè per tot arcus portæ, longoſque meandros uſque ad ejus truncum; rurſus ab ejus trunco per novas, & longiſſimè protractas in ipſo viſcere ramorum divaricationes innumeras uſque ad concurſus communes. Quanta vaſcularis extenſio: Quot ulnarum milliariis, vaſa à corde ad hepar concurrentia longitudine æquiparanda? Non ne dices, excurrentem hoc tramite ad hepar cruorem ibidemque tandem adventantem, remotiſſimè, ſuper quamcunque aliam corporis partem, receſſiſſe, & diſtare à circulationis motore?

§. X.

Perpende ulteriùs, quænam ſit amplitudo venarum per inteſtina repentium, ſeu radicum portæ, reſpectu ad gracilitatem, &

anguſtiam

anguſtiam diametri arteriarum meſeraicarum, ex quibus devectus ſanguis per haſce venas traducitur; & ſolo hoc de titulo percipis, quanta jam concilietur tarditas fluento ſanguinis, ex hiiſce arteriis in haſce venas mediâ inteſtinorum ſubſtantiâ corrivato: nemini ſiquidem latet, quantùm motûs ſui progreſſivi deperdat liquidum illud, quod ex ſpatio anguſtiori in multò amplius derivatur. Non-ne ideo tot de titulis *illa* erit à ſanguine, ex corde ad hepar progrediente greſſûs tarditas proportionaliter contrahenda, quæ bili ab aliorum componentium contextu lentiùs enodandæ, & commodiùs excentrandæ ſufficiat? non-ne inferes, ſecundò, ad tantos angulorum laterum vaſcularium, curvitatum, anguſtiarum occurſus, in tanto itineris gyro, abundanter, & quantùm ferat exigentia, illidi in radice liquidorum maſſam, & in componentibus etiam intricatioribus expediri; Bilis ideo diſcerptionem admitti, exſolutionem, & liberatos niſûs in cohæſionem univocam ſuam, & gravitatem ſpecialem; Totum, uno verbo, præparatorium apponi bilioſi craſſaminis, ſeu olei animalis, analogum præparationi ſecretionis olei vegetabilis? ſiquidem propoſita viæ longitudo & flexura, diſponens ſanguinem, per intimas concuſſiones expanſivas, & colliſiones externas, ad lentam eructationem, & ſolutionem olei ſui, æquiparanda venit paulatinæ fermentationi vegetabilis, poſiti vel in fimo, vel in digeſtione, vel liquore fermentante irrorati, & in ſe ſe accumulati, ad olei ſui ſecretionem parandam. Portam interim, quæ per truncum ſuum, binis diramationibus interpoſitum, arboris ſtructuram radicibus, trunco, & ramis compoſitam apprimè imitatur, animalem arborem vocari etiam poſſe, exiſtimamus: Eô præſertim, quòd, ſicuti in arbore communi per ſolam ſtructuram trunci, & duplicatæ diramationis laudatam, ſecretiones ſuccorum vegetabilium celebrantur, abſque alio colatorii adminiculo; ut ſuperiùs demonſtravimus; Ita etiam, in arbore animali, ſeu portâ per eamdem trunci, & diramationum ſolam habitudinem ſecretiones liquidorum animalium, abſque alio interventu, ſpeciales fiunt.

§. XI.

Cætera ad bilis preparationem hujuſmodi, & ſecretionem fa-

cientia abundè deduci poſſunt ex allatis generalibus præcedentis capitis. *V. Gr.* quòd idem ſit, oleoſas bilis homogeneas particulas, è gremio profundiori ſanguinis ſenſim emergentes, ſolvi ab aliarum plexu, ac niſus ſtatim reciprocæ cohæſionis edere, & confluere in ſe ſe, inſtar guttularum aquæ, aut olei cujuſcunque, quæ ex quadam diſtantia confluunt ſponte in mutuas cohæſiones, hinc in ſe ipſis neceſſariò prehendi, & ex minoribus guttulis in guttas ſtatim majores coaleſcere conſueſcunt. Idem nempe inferendum in paulatinè excentratis à ſanguine ejectamentis bilioſis quæ in univocos inter ſe ſe coalitus, novaque centra gravitatis concurrentia, novum jam corpus efformant, diſtinctum à toto ſanguine, ab eodem jam prorſus ſecretum ejuſque ſuperficiei dumtaxat attiguum, & innatans. Ad id ſolùm poſtulato reſervatorio ſpeciali, ut in eum tandem appulsâ liquidorum maſſâ, conflatâ ex liquido univerſali, & particulari, ſeu ſanguine, & ſucco amandabili diversè poſitis in ejus bivium deventæ ſubſtantiæ diſſimiles hujuſmodi, integrè à ſe ſe ablegentur, per diſpares vias corrivatæ. Expletam bilis ſecretionem à ſanguine, etiam ante adventum ſuum in hepar, luculenter confirmat obſervatio Cl. *Gladbachii* celebratiſſimi Profeſſoris Germani, *notabilem in ſanguine venæ portæ præ alio venoſo deguſtantis amaritiem lividumque magis deprehendentis colorem in præcipitato ejus ſero:* Idem obſervavit, & expoſuit Cl. *Reveroſthius* Profeſſor Batavus: Idem celebratiſſimus *Thomas Cornelius* Profeſſor Neapolitanus; ut in eorum codicibus videre eſt: Idem alii plurimi, & nos ipſi. Ejusdem inſuper ſanguinis portæ flavedo ab aliquibus diſtinctè perſpecta fuit.

§. XII.

Patet inſuper à præcedenter expoſitis, Hepar eſſe ad illum portæ terminum oportunè appoſitum, ubi deventæ bilioſæ particulæ, jam pridem à centro directionis motûs totius maſſæ disjunctæ, gradum omnem progreſſivi motûs depoſuère, plenariam ad latera ſubſidentiam ſolummodo affectantes; adeò ut in communibus viſceris concurſibus ſecedere prorſus debeant ex ſe ſe, & integrè emancipari à communi maſſa præterlabente, & greſſûs ſui directionem ſervante; cujus nempe principia

unitè

unitè omnia poſita adhuc ſunt ſub impulſu emboli circularis. Fieri autem ſeceſſionem hujuſmodi, etiam quâcunque ſuppoſitâ configuratione intimiori, amplitudine, commenſuratione ſeu axe quolibet in dictis concurſibus.

§. XIII.

Quòd ſi biliares hujuſmodi ſecretæ ſubſtantiæ, non minùs à maſſæ impulſu progreſſivo, quàm ab ejuſdem cohæſione ſejunctæ, lateraliter in loculis hepaticis dimittuntur à ſanguine, directè per reductoria ſua præterfluente: Petis jam, quonam impulſu quieſcentia ex ſe ſe biliaria corpuſcula expediri poſſint à viſceris promptuariis hujuſmodi, & per vias alias diſſitas à ſanguineis, & diſſimiles amandari?

Reſpondeo, ejectamenta hæc bilaria in hepaticis concurſibus deperdidiſſe quidem maſſæ communis impulſum totum directum; nec indè lateralem ex ſe ipſis ſervaſſe; ſed tantum hujus ultimi inceſſanter aſſumere ab eodem fluento ſanguinis, directè percurrente, ut ſatis removeri poſſint, ab eodem recedere, & in vias peculiares introduci. Hoc per commune exemplum elucido. Sint jam tres globuli, in lineam, & contactum poſiti, & quieſcentes. Tunc quarto globo medium ex tribus lineariter poſitis directè impelle. Videbis, ex indito ad medium hunc globum directo impulſu, laterales binos globos, favore contactûs ſui, tantùm etiam ſuſcipere deflexi, ſeu lateralis impulſûs, ut ambo ad latera quoquomodo diducantur. Cogita jam, per hepaticos concurſus, lineam directam in componentibus ſanguinis adhuc cohærentibus in ſe ſe. Cogita lineam tranſverſam habitam ex unita hujuſmodi tota cruoris ſubſtantia, & biliariis molibus, utrinque jam à tota maſſa ſejunctis, ſed in contactu adhuc poſitis; impulſum ideo embolicum circuitûs per lineam directam ab una ad aliam cohærentem particulam ſanguinis ſucceſſivè productum; reflexum autem ſuper billioſa contigua corpuſcula impreſſum ex hiſce particulis maſſæ; ſeu momentum ejuſdem impulſûs, in directionem contrariam, ſive per lineam tranſverſalem bili jam ſecretæ pertraditum: & totam habebis analogiam: Concludes ſiquidem, eam lateralis progreſſivi ni-

ſus quantitatem bili jam ſejunctæ, per hepatis intimiora loculamenta venire inceſſanter diſtributam per quam idem humor intrare ſat poſſit in emiſſaria ſua; ubi præſto etiam perennes ſunt potentiæ aliæ ad remotiora trudentes: De his alio loco verba facimus.

§. XIV.

Conſtat tandem de intimo hepatis contextu, ſeu de parenchimatis, aut glandulæ hepaticæ natura. Concipe jam, in unum innumerabiliter multiplicatas, & ſtrictè poſitas productiones venæ devehentis, & alterius revehentis, & ductus ſpecialis excretorii, cum multiplicatis proportionaliter eorum concurſibus; Concurſus inſuper varios aliorum vaſorum, arterioſorum, limphaticorum, & nerveorum, ad alios uſus facientium: Hoſce ſingulos circumductos muſculari periſtaltico, & circumpulſivo tegmine, ad omnes ulteriùs ductûs excretorii diſtributiones, in menſuram bilioſi lentoris, validè propagato. Tractus omnes, & coalitus vaſorum hujusmodi à communi præcingente tunica in ſedibus ſuis collectos, & conſtrictos. Et eluceſcit jam tibi quid tota ſit hepatis compoſitio. Quod dicimus de glandulæ hepaticæ ſtructura, afferre proportionaliter poteris cæteris animalis glandulis, conglomeratis dictis, quæ omnes ex prædictis trium vaſorum concurſibus conflantur; ſpeciali tamen arteriâ, per viſcera alia omnia, portæ hepaticæ munia obeunte. In omnibus hiſce glandulis ſolus etiam viæ ſanguinem devehentis apparatus varius ſecretiones diſſimiles facit, non intima glandulæ configuratio, quam, ut in hepate, quomodocunque concipias perinde eſt. Maximum cæterùm viſcerum omnium & glandularum hepar eſt, proportionaliter ad copioſiores, & longiores in eo, ſuper viſcera alia, vaſorum diramationes, propter exigentias prædictas. Quod autem non tantùm hepar, ſed & organa alia omnia animalis, quæ communiter colatoria vocantur, reſervatoria ſolùm noncupari lubeat; hoc ex eo deductum habeas, quòd in eis omnibus liquida propriè non ſecernantur, ſed deponantur ſimpliciter, jam per viam ſecreta; ut toties repetendum incubuit.

Venio

§. XV.

Venio nunc ad illam præparationem, quæ oleis per mixta mineralia, aut animalia adhuc illaqueatis inditur, ut per diſtillatorium inſtrumentum ſolvi poſſint, & ſegregari; deſcendendo in conſequens ad alteram olei bilioſi analogam præparationem in ſanguine. Cùm etenim oleoſæ ſubſtantiolæ in minerali corpore, aut animali niſus quidem ſuos in cohæſiones individuas conſervent, ſed ab eiſdem in actum edendis impediantur per interpoſitionem aliorum principiorum diſſimilium in niſus diverſos nitentium, quæ, tanquam cunei, inter partes ſolidi introducti, easdem violenter diducentes, & mutuam impedientes aproximationem, prohibent à naturali complexu; ſic ars didicit, priùs abſtrahere à mixto liquida hujuſmodi diducentia intermixta, ut indè ſponte inter ſe ſe aproximatas, & coëuntes oleoſas moleculas, ut reſtituuntur ad ſe ſe partes in ſolidis per ablationem cunei, facilè extrahat, & ſegreget. Ideo, ante oleorum ſecretiones, & elevationes; in diſtillationibus chimicis mineralium, & vegetabilium, phlegmata priùs extrahi debent à mixto; quæ, utpote in eiſdem mixtis copioſiora principia, & inſuper in principiis aliis elongandis ſatis efficacia, olea interſperſa peſſundando, in laudatas disjunctiones cogebant. Nec niſi poſt totam priùs abreptam, & ſequeſtratam portionem phlegmaticam ex minerali, aut animali corpore, ignis torturæ ſubjecto, colliguntur ſimul oleoſæ ſubſtantiæ, liberantur, ſecernuntur, & aſcendunt.

§. XVI.

Eamdem in oleo bilioſo ſanguinis violentam elongationis, & diſtractionis affectionem celebrari à copioſiſſimo; ſuper alia omnia phlegmatico; principio, luce clarius eſt. Ut ideo bilis ad ſecretionem præparetur, debet è ſanguine pars major extrahi cunctorum phlegmaticorum hujusmodi. Revera ſeroſa ſanguinis multitudo ab eodem extrahitur, ante ejusdem introductionem in vias hepaticas. Reſpice, quàm magna phlegmatis quantitas per tot partes exhauritur a ſanguine ante ejusdem adventum in portam: Quanta ejusdem ſecretio, & diſtillatio in renibus, in

reſer-

reſervatoriis ſalivariis, in articularibus, & cutaneis regionibus ex maſſa generali; Quanta inſuper ex maſſa particulari verſùs hepar tendente, in pancreate, meſenterio, ventriculo, meandris inteſtinalibus, aliiſque viſceribus naturalibus; quæ omnia non tantùm refertiſſimis ſuccorum liquidiorum ſanguinis promptuariis glanduloſis ditantur; ſed tamquam unicam glandulam, uniformem, magnam componunt, in varias glandularum claſſes, ſeu reſervatoriorum miriades diſtributam. Adnota præcipuè limphatica innumera, ex hiſce viſceribus & ambitu ſpeciatim hepatico, copias ſeri ſanguinei aggerrimas corrivantia: & facilè concipies, ſanguinem, ante adventum in truncum portæ, & poſt adventum in ultimas diramationes ejuſdem portæ ad hepar, per appenſos aquoſos ductus innumeros, & grandiores, notabiliter adeo dephlegmari; ut comparari ſat poſſit cum mixtis vegetabilium, & mineralium dephlegmatis: comparari etiam in conſequens debeat diſtillatio hæc ſua naturalis cum artificiali illorum diſtillatione; ut indè olea in illis facilè ſecernantur in alembico; oleum & ſuum in iſto facilè dimittatur per viam ad hepar.

§. XVII.

Bilis itaque illud eſt ejectamentum, ſeu recrementum ſanguinis, quod poſt aliorum omnium humorum tenuiorum ſecretiones, in dato ſpatio temporis, unius v. g. integri circuitus ſanguinis, poſtremò ſeparatur ab eodem ſanguine. Hoc venit ob indolem tenaciſſimam ejuſdem liquidi, difficillimè idcirco ab aliorum ſuccorum complexu ſolubilis. Patet autem, liquidiores cruoris latices, v. g. urinarios, multo priùs tranſcolari in organis ſuis, quàm bilem in hepate, ut ſuperiùs annuimus, ex longè celeriori, & directiori trajectu totius ſanguinis per renes, undâque ejuſdem ampliori; itu ideo, & reditu ejuſdem maſſæ vigeſies, trigeſies, & ampliùs per hoc viſcus repetito, ante unicum per hepar habitum dumtaxat circuitum: Hinc non tantùm uberior in animali ſuper alias omnes viſibiles, ſecretio in renibus eſt, ſed aliis omnibus titulo ſemper quocunque præcedens. Sic liquida epota, ante aliam quamcunque ſecretionem, primò
per

per renes reddimus, copioſiſſime inſuper, & liberrimè. Quod dicimus de ſecretione urinaria reſpectu ad ejus prioritatem ad bilis ſecretiones in dato circuitus ſpatio, id etiam proportionaliter intelligendum venit de alia quacunque ſeroſa ſecretione tenuiori, ut ſalivali, pancreatica, diaphoretica &c. quæ certè etiam eodem de titulo bilioſam ſemper, ad datum tempus, præcedunt.

§. XVIII.

Itaque ad datum tempus, integri v. g. unius generalis circuitus (quomodocunque eum concipias ex variis diverſis partialibus circuitibus compoſitum) unà cum viſco bilioſo, qui, ut vidimus, ultimum in ſecretionum animalium ſerie ſegregabile purgamentum eſt, id ſimul omne ſecernitur à ſanguine, quod reſtitat in maſſa, Æterogenei rationem aſſequutum, & ſolvi ab eadem poteſt. Intimior reverà, & radicalior ſecretio à ſanguine lentiorum laticum illo tandem loco celebranda fuerat, ubi tantæ ad ſecretionem diſpoſitiones præceſſêre. Cæterùm expletis in ſanguine tot ſucceſſivis ſecretionibus, expletâ hâc poſtremâ hepaticâ; liquidioribus ideo, ac tenacioribus ſolutis ſenſim partibus exutus cruor, hepar transgreditur; cætera principia ſua, ſub una adhuc cohæſione per illud momentum poſita, unitè ducens ad corda, & ad circulos. Circulis poſtea renovatis, partes denuo in eodem aliæ ad ſolutiones parantur, & realiter ſolvuntur, & novas affectant cohæſiones ſpeciales: & renovantur in conſequens ſecretiones per gradus ſuos; inchoantes ſcilicet ab humoribus tenuioribus ad mediocres, uſque ad lentos, & lentiores; ſeu per vias breviores, directiores, & amplas, uſque ad longas, longiores & magis divaricatas; ad ultimam tandem ſecretionem, ſeu hepaticam, terminantes.

§. XIX.

Confirmari cæterùm poteſt præparatio ad olei bilioſi intricati ſecretionem, quinimo & ipſamet ultima ſecretio, per retardationes Curſus ſanguinis, & tanquam ejuſdem ſtationem, & ſubſidentiam ad longos portæ receſſus exemplis quamplurimis, petitis à rerum naturalium univerſalitate: ex quibus duo ſolùm ſeligemus, nimiam diſquiſitionis prolixitatem declinaturi. Primum

ſit in eiſdem liquidis à vaſis animalis extractis, alterum in fluminum phænomeno. Quô ad ipſamet liquida animalia: ſuperiùs jam vidimus, ſanguinem animalis extractum à greſſu circuitûs confuſivo abreptum, & in recipientis cujuſcunque moram, ac ſubſidentiam depoſitum, ſpontè in partes omnes diſſimiles ſecedere, & ablegari; liquidioribus, & conſiſtentibus niſus ſuos in contactus diſſimiles concedere; hinc illas ulteriùs liqueſcere, iſtas in tomentum conſtringi. Homogenea cuncta ſociari, heterogenea disjungi: Alia ideò ad fundum vaſis collecta, alia ad ſummitatem, alia ad latera. &c. Quinimò in variis hoc ſitu eductis ab animali, & ſubſidentibus cruorum portionibus ipſemet bilioſæ ſubſtantiæ, ſpontaneæ ſecretæ, maſſæ ſuperſtiti innatantes, & in diſtinctum agmen aglomeratæ, cum propria flavedine, & propria interdum amaritie, obſervantur. Alterum exemplum ex liquidis-met ipſis animalibus deſumptum lac porrigit, quod extra animalis vaſa quieſcens, ſponte in ſeroſam, & butyroſam partem ſecedit. Butyrum pars lactis oleoſa eſt, & ramoſior; eòque magis cum bilis principio comparandum.

§. XX.

Flumen, ubi præceps, & rapidius decurrit, immixta omnia extranea, arbores, herbas, ligna, frutices, paleas, lapides, cadavera, arenas, feſtucas &c. confuſim abripit per fluentum ſuum & directè devehit: Ubi remiſſiori jam greſſu fluit, tenuiora, leviora, aut liberiora ſeponere videtur, arenas, feſtucas, paleas; graviora, & intricatiora ſecum adhuc conducit. Ubi à curſu ſuo ulteriùs remittit, craſſiora, & ponderoſiora dimittit ad latera, aut ad imum alvei relinquit, ligna, arbores, cadavera &c. cùm autem ad minimam omnium velocitatem pervenerit, intricatiora tandem projicit è ſinu ſuo: Ibi ideo luteæ lentiores partes concreſcunt; ibi herbacea ramoſa varia, aut alia ejuſdem naturæ corpora invicem concurrunt, & in diſtinctas moles, aut innatantes aquæ, aut ad fundum deciduas, aut lateraliter ad ripas depoſitas, colligantur. Hæc, & ſuperiora cum ſanguine, priùs per vias majores generales ſuas motu celeri rotato, mox per vias ſpeciales ad hepar, & præcipuè in ſecundis

propa-

propaginibus portæ lenteſcente, & integram quaſi feriationem ſuſcipiente proportionaliter compara. Immerſa flumini extranea corpora, ſicuti à flumine curſum mutuant, ita celeriùs deperdunt, quàm flumen; & totum amittunt, cùm ad ejus latera ſubſident; quo tempore flumen tantùm adhuc curſus conſervat, ut fluat ulteriùs: Bilis ab ſanguineo fluento impulſum aſſumens, mox magis, magiſque ab eodem deflectens, totum tandem deperdit, quo momento modicus adhuc ſupereſt ſanguini in hepaticos concurſus admiſto: Hinc bilis in eodem viſcere ſubſidet; ſanguis ulteriùs devolvitur.

§. XXI.

Comprobatur luculentiùs productio ſecretionis liquidi billioſi per vias ad reſervatorium ſuum protenſas ex eodem artificio in aliis liquidorum animalis ſecretionibus. Liquida, quæ ſolvi facilè poſſunt à complexu ſanguinis, ſeu in niſus ſuos facillimè accedere propter inſitam tenuitatem, & levitatem, hæc per viam breviſſimam ad reſervatoria ſua, ſeu ſpeciales glandulas conducuntur. Breviſſima v. g. via eſt à corde ad renales glandulas, ac nullis penè flexuoſitatibus, anguliſve, præter majuſculum unum, emulgenti, & aortæ interpoſitum, externè divaricata: Internè autem, ſeu in viſceris corpore compendioſa venit, & directa uſque ad loca concurſuum; ac vix in aliquot ramulos diſpertita: Quod bene demonſtrat ipſiusmet renis diſſectio; & præcipuè parva ejuſdem viſceris moles reſpectu ad ſubeuntem arteriam. Idem proportionaliter video in viis ſanguineis, ſalivares ſecernendas copias ad varia earumdem reſervatoria, pancreaticas, inteſtinales, aliaſque inferiores, aut ſuperiores glandulas ſalivarias devehentibus. In renibus autem deponendum venit ſubtile quodpiam, facilè ex ſe ſe ſolubile, leviterque cum ſanguine cohærens (ut vidimus cap. 2.) veteraſcens nempe, id oque incongruum maſſæ totius ſerum, ſalibus attritis quamplurimis maritatum: In glandulis ſalivaribus omnibus ablegatur liquidum etiam ſubtile, leviter cohærens, & recens adhuc in maſſa, ſalibus minutioribus, & activioribus copulatum. Quamobrem, ſicuti liquida hujuſmodi urinoſa, aut multipliciter ſalivalia, facillimè à toto cruore ſecedentia, breviorem longè ſecretio-

nis præparationem exigunt; ideo per breviſſimam viam à corde ad peculiaria receptacula debita ſolùm, non autem exuberans ultra exigentiam liquidorum hujuſmodi quantitatis ſolutio præparatur; ita, ratione contrariorum, longiſſima omnium via paratur ſanguini, à corde ad hepar excurrenti, ad longam, & prolixam ineundam liquidi ſecernendi biliosi præparationem, proportionaliter ad tenaciorem ejuſdem liquidi conditionem: ſeu, uno verbo, hæc laticum in animali ſecernendorum quô ad conſiſtentiam, & implicationem contrarietas, trahens etiam proportionaliter contrarietatem longitudinis, & divaricationis viarum devehentium uſque ad determinata promptuaria ſatis comprobat, diverſorum hujuſmodi liquorum ſecretiones præparari, & exequi per vias hujuſmodi. Quod de urinaria, & ſalivari ſecretione per diſpares deducentes vias cum bilis ſecretoriis itineribus comparatur, cumulari ulteriùs poteſt per aliorum humorum ſecretiones alias omnes in animali; quibus ſcilicet proportionaliter ad majorem, aut minorem eorum cohæſionem cum ſanguine, & diverſam in ſe ſe conſiſtentiam, diverſas in rectitudine, aut divaricatione, longitudine, aut brevitate offerri vias uſque ad reſervatoria deſtinata, quiſque in anatomicis initiatus poterit manifeſtè perſpicere.

§ XXII.

Urinam jam per viam ſuam ante appulſum in renes ſecerni, noſtra hæc obſervatio confirmet. In cane vivente aperto arteriam ſtatim emulgentem nodo ligabam multiplici, ſcilicet ad principium ſuum ex aorta, & ad inſertiones, ſeu introitus ſuos in renes per triplicem jam factam diramationem: Eodemque tempore ſegmentum ſimile arteriæ unius cruralis dupliciter ligabam. Sanguis indè totus ex ligato emulgentium tractu, ad patinam extractus, & ſubſidens illicò ſeparabatur in duplum quantitatis ſeri ſubflaveſcentis, proportionaliter ad ſeri copiam, in quam faceſſebat ſanguis, ex ligata, & aperta crurali collectus, & pariter effuſus in patinam. Hic ultimus tardiùs ulteriùs, & difficiliùs in partes ſuas, cruoroſam, & ſeroſam ſeparabatur. Serum inſuper ſanguinis cruralis limpidum erat, & diaphanum: ſerum ſanguinis emulgentis lixivo colore ſaturatum; ſeu urinoſum jam

factum

factum. Confer tincturam hujuſmodi & copiam urinoſam in ſanguine emulgentis cum flavo jam etiam colore, & amaro ſapore ſanguinis portæ, & præſertim ſecundarum ejuſdem diramationum.

§. XXIII.

Secretio ſeminalis in animali principem tandem in hoc officio viarum liquida devehentium poteſtatem demonſtrat. Arteriam ſpermaticam ad teſtes accedentem in mirificos notabiles plexus confirmari, eoſque ulteriùs per teſtium ſubſtantiam proſequi, uſque ad inſertionem in proprios organi Canaliculos, nemini non latet. Per arteriæ hujuſmodi divaricationes ſeminalis materiæ ſecretionem præparari, poſtea per canaliculos teſtium eandemmet ſecretionem fieri, omnibus etiam innoteſcit. Et ſicuti, per fiſtulas hujuſmodi ſpermaticas liquidum ſeminale jam fluit ſecretum à ſanguine, abſque ulteriori glandulari artificio; ita etiam in eiſdem ductibus præterea perficitur, evehitur, & per novas eorumdem flexuoſitates, & meandros tandem derivatur ad receptaculum ſuum, abſque alio cribriformi interventu; ſeu liquidi ſpermatici, liquorum in animali principis, præparatio ad ſecretionem, eademque ipſa ſecretio per vias ſimpliciter, & vaſa peculiariter conducta, divaricata, elongata, & inoſculantia celebratur: curideò in ſecretionibus aliis, cur in bile ipſa ſegreganda diverſum excogitabimus artificium?

§. XXIV.

Evincitur denique ex ſecretionum in animali morboſarum modo, ſecretiones in eodem naturales per ipſamet vaſa convehentia celebrari. Reverà, ſicuti vaſorum circuitus flexuræ majores, elongationes, & anguſtiæ ad centrum corporis, ubi humorum principalia reſervatoria jacent, majores ibidem ſuccorum retardationes procurant, quàm in ambitu, & exterioribus corporis, ubi per majorem vaſorum rectitudinem celeriùs, & expeditiùs liquores rotantur; ſic quoque ex hujuſmodi vaſorum ſanguinis ad viſcera pertinentium habitudine, frequentiores longè ſunt in eiſdem intimis partibus, quàm in externis, non tantùm ſimplices fluidorum retardationes morboſæ, ſed etiam ſecretiones, majores, aut minores: Hinc orgaſmi, hinc methaſtaſes, quæ ſpecies ſunt ſe-

cretionis morboſæ; obſtructiones inſuper, exundationes, abceſſus, aliæque congeſtiones & ſequeſtrationes vitioſæ; quæ omnes, ut patet, à mera laticum retardatione præternaturali producuntur, abſque glandularis cribrationis interventu. Fiunt inſuper frequentiùs in illis internis partibus morboſæ hujuſmodi ſecretiones, ubi majores lentoris ſuccorum occaſiones vigere poſſunt: crebriores ideo in pulmonibus, ubi cauſa etiam exterior promovendis lentoribus concurrit: crebriores in cerebro, ubi ſolidorum ſiſtaſis languidior eſt. Quæ itaque medicos in acutis, aliiſque morbis deterrent magis, aut exercent, orgaſmi ſunt, aut methaſtaſes aut ſecretiones aliæ morboſæ ad pectus, & ad caput.

§. XXV.

Porrò, ſecretio in telis pulmonicis præpoſterà, per ſimplicem ad vaſa pneumonica appellentium ſuccorum retardationem morboſam, abſque ulla cribratione glanduloſa, firmiter ulteriùs eluceſcit in variis morbis pectoris, præſertim in pleuri-pneumonicis quamplurimis; in quibus non tantùm copiæ ſeri ſecernuntur uberrimæ, in cattarrhi formam expuendæ, aut inſenſiliter per reſpirationem tranſpirabiles; ſed inſuper bilis-met ipſa, ſeris hujuſmodi involuta ſequeſtratur, ſapore ſuo, & colore conſpicua; ut alio loco expoſuimus. Nil interim in animali, præter bilem, amareſcere, & flaveſcere, demonſtratum jam fuit: Tum pleuritides, peripneumonias, alioſque pulmonis morbos, calidos, aut frigidos ex liquidorum interfluentium congeſtionibus, aut torpiditatibus auſpicari, nemini jam latet. Ideo in pulmonicis hujuſmodi infarctibus, quò lentior unda ſanguinis eſt, eò copioſior adigitur ſeri morboſa ſecretio. In gravioribus hiſce morbis, & in morientibus, ſtertor, qui certà à ſecretione, & exundatione limpharum per veſiculas reſpiratorias ortum ducit, proportionaliter augeſcit, ſecundùm gradus lentoris, aut feriationis circuitus.

§. XXVI.

Stet jam titulis omnibus demonſtrata, ſecretionis liquidorum à liquidis analogia, non ſolùm inter inanimata, & viventia, ſed præcipuè inter vegetabilia, & animalia: Hæcque non ſolùm ratione inſitorum niſuum in cohæſiones, ſeu in centra varia ſpecia-

lia,

lia, qui liquidis omnibus, animatis, & inanimatis communes ſunt; ſed etiam ratione viarum, quas liquida ſecernenda perambulant in plantis, & animalibus; quæ ſcilicet in utriſque viventibus in varias diramationes, & capacitates conformantur reſpectu ad fluida, diſſimilia, quæ per varias eorumdem partes ad uſus varios ſecerni debent, & diſtribui. Compara itaque jam diverſas in arboreis generibus diſtributiones Canalium, alio capite expoſitas, cum diverſis vaſorum convehentium diſtributionibus ad animalium colatoria quæcunque, ſeu potiùs reſervatoria; varioſque in illis ſuccos terreſtres ſecretos, cum variis in hiſce liquidis ſeparatis vitalibus; & amplè tandem deduces, quòd, ſicuti in primis per meram ramorum, & ramuſculorum habitudinem prædictam, diverſitas ſecretionum emergit in ramorum progreſſu, aut extremitatibus, abſque ulteriori incerniculo; ſic in alteris per ſolam hujuſmodi Canalium, & Canaliculorum diſſeminationem variam, diverſæ etiam reſultent liquorum ſeparationes; etiamſi ejuſdem ſupponerentur diſpoſitionis, ſeu figuræ, & amplitudinis meatus in reſervatoriis, ſecretorii ſuppoſiti.

CAP. XIV.

Quid ideo bilis ſit: Quomodo fiat in animali: An in ſolo Hepate generetur: An prævìe in ſanguine generata jam ſit, & confecta?

§. I.

Bilis igitur, in cùjus ſecretione explicanda, tantus proſiluit ſtrepitus per Capita antecedentia: *Recrementum eſt maſſæ ſanguineæ lentum, & viſcidum, in ejuſdem ſinu paulatim genitum, congeſtum & ſecretum.* Vidimus ejuſdem compoſitionem duplex agnoſcere elementum in genere: Primum jam pridem in maſſa congruum, & utile; poſtmodum incongruum factum, & inutile: Alterum maſſæ quidem introductum, eique per tempus aliquod immixtum; ſed nunquam inutile, congruumque componens redactum.

§. II.

§. II.

Reverà, variæ in fluidum generale introductæ pingues, oleoſæ, & molli quadam, ac in omnem ſenſum cedenti ſtructurâ præditæ cibariæ particulæ; ſubactæ indè, diviſæ, & ſubtiliatæ, in ejuſdem cruoris formam univocam vertuntur; Quæ poſtea per longum tempus, & circuitûs varios, motibus alliſionum, caloris, & reſilitionis quamplurimis quaſſatæ, ſenſim indurantur in ſeſe, & obrigeſcunt; ſemotiſque intermixtis diverſæ naturæ removentibus ſubſtantiis, emergunt, & approximantur; hinc dotem inſitæ implicabilitatis recuperant, & in naturales occurſuum, & cohæſionum niſus ſuos reſtituuntur: Vndè ex tenuioribus in grandiores maſſulas ſpontè complexæ, ſuſceptum jam pridem uſum in ſanguine deponunt, indutâ recrementi ſpecie. Hanc bilis naturalis propriam, & legitimam ſpeciem, tanquam oleum ſanguinis coctum conſidero: Cum Williſianis dephlagratum ſanguinem, aut meliùs incineratum ſanguinis ſulphur vocitare poſſem.

§. III.

Aliæ autem ſubſtantiæ ab alimentorum panſphermia ſuggeruntur naturaliter ſanguini, quæ nec in ejus naturam unquam conveniunt, nec utiles in eodem ſunt; Reſinoſæ variæ, ſilveſtres, aſperæ, ſtriatæ; imo & ſalinæ, & terreæ, aliæque groſſiores, omnes in genere non minùs irregulares, quàm implicabiles. Hæ omnes in cruoris gremium transfuſæ, invincibiliter improportionatæ, debitæ ejuſdem ſuſcipiendæ aſſimilationi obluctantur. Hinc tam diu per alveum commune fluctuant, ut inter ſe ſe magis comprehenſæ, & nitentes, ſegregandæ indè veniant à puriori humorum compage, tamquam graves, & incommodæ. Iſtæ omnes ſpeciem bilis ſupernumerariam, & tamquam ſpuriam conſtituunt, quâ alteri ſpeciei, ſeu legitimæ aſſociatâ, ex utriſque per ſymbolum implicabilitatis niſum totum ſimul bilis corpus accumulatur. Sed haſce recrementorum geneſes, & phaſes, in ſanguine, jam tetigimus *Cap.* I.

§. IV.

Utramque bilis ſpeciem deſcriptam, veram, & veræ ſimilem,

non

non tantùm formaliter inſidere jam ſanguini, cum junctæ jam ſimul ſunt per propagines portæ, ante adventum in concurſus hepatis; ſed cum adhuc diviſæ per maſſam rotantur, in cohæſionum ſuarum momenta accedentes, aut non adhuc accedentes, ex ſuperioribus manifeſtum venit. Bilis ſiquidem natura fundatur in certo gradu coctionis, & cohæſionis olei nutritii, aut corporis alterius analogi, in ſanguinem introducti; eique aut aſſimilati, aut non aſſimilati: Et hic gradus, per totum cruoris ſemper incaleſcentis orbem, molleculis quàmplurimis indeficienter concernit: Ut ideò inconcuſſé valeant generales aſſertiones: Bilis naturalis ſpeciem quamcunque ſemper realiter aſſidere ſanguini, ante omnimodam ejus ſequeſtrationem in hepate: ſpeciem bilis, quæ ex utilibus jampridem particulis ſanguinis conflatur, reperiri in ſanguine totâ bilis eſſentiâ indutam, ſaltem in viis ſanguineis ſpecialibus à corde ad hepar: Bilem autem inferiorem, à ſuccis nutritiis nunquam in ſanguinem aſſimilatis productam, formaliter jam volutari per vaſa quæcunque ſanguiduca, majora, minora, aut minima. Cum tamen Homines graviſſimi per medicinæ ætates omnes, & moderniores præcipuè, ſurrexerint; aſſerentes bilem non in ſanguine formaliter extantem, ſed ſolùm in hepate poſt ejus ſecretionem; ideo ad rei evidentiam, & complementum, quatere eorum rationes decrevimus.

§. V.

Clar. *Verehienius*, inter fautores modernos bilioſæ in ſolo hepate generationis vir ſummè ſpectabilis in *ſupplemento ſuo anatomico*, comprobare nititur per varia exempla communiter obvia, particulas felleas in maſſa ſanguinis, principiis cæteris hîc illîc interſperſas, indè per hepatis glanduloſos meatus ſeparatas, & ſimul colligatas, compoſitum novum, quale in maſſa priùs non aderat, ſeu ipſammet bilem, illo actu ſecretionis, & colligationis, efficere. *Ex infuſione*, inquit, *nucum Gallarum*, *& diſſolutione vitrioli ſimul commixtis fit atramentum*, *ſeu tertium compoſitum quoddam*, *omnino à dictis duobus concurrentibus principiis in colore*, *conſiſtentia*, *aliiſque qualitatibus diſſimile*; *humor ſcilicet ſpiſſus & nigerrimus ex duobus liquoribus*, *limpidis*, *& tenuis conſiſtentiæ. Sul-*

phur auratum conficitur ex ſcoriis reguli antimonii; quibus ſcilicet coctis in aqua communi, factâque colaturâ, liquor emergit vulgari lixivio non abſimilis; cui ſi acetum infundas, totum compoſitum redditur in momento inſtar mellis ſpiſſum, cum intenſa flavedine, & fœtore intolerabili. Plumbum uſtum aceto diſtillato infuſum reddit illud brevi tempore inſtar ſachari dulce. Varia ſalium, & ſpirituum genera, non minùs in totum promiſcuum ſanguinem, quàm in ſolam albuminoſam ejus partem per varia experimenta, introducta, novas quô ad conſiſtentiam, colorem, & ſaporem, ſubſtantias procreare videntur. Aliaque plurima ſenſum hunc ſuum repandentia citato opere adducit Author celebratiſſimus.

§. VI.

Sed hujuſmodi analogiæ non quadrant. Jam ad bilem producendam non concurrunt ſubſtantiæ diſparatæ, neceſſariæ, & æqualiter prædominantes; ut duæ, aut variæ concurrunt diverſi generis materiæ ad confectionem atramenti, ſulphuris aurati antimonii, aut entium novorum in promiſcuo ſanguine, aut parte ejus determinata. Bilis integram naturam conſtituunt congeneres particulæ; oleoſæ ſcilicet, ad quemdam coctura gradum evectæ; ſeu tamquam veteraſcentes in ſanguine. Hæ bilis principium prædominans, & eſſentiale unicè conſtituunt: Alia principia in bilis mixturam venientia, eidem eſſentialia non ſunt, nec ad ejus naturam integrandam advocantur; molem ſolùm commodiorem præbent; aut fortuitò per implicabilitatis ſimilitudinem in ejuſdem complexu intricantur; ut toties per ſuperiora demonſtravimus, ſic aquea pars ad bilis vehiculum merè introducitur; quæ ideò in variis bilis ſtatibus aut exuberat, aut deficit; nec tamen bilis natura variatur. Alcali in bile modicum eſt, depreſſum, & famulans. Ideò per obſervationem ejuſdem *Cl. Verehienii* bilis acidis immixta, nullimodè in efferveſcentiam inſurgit. Acidum an ſedeat in bile naturali, hucuſque non benè perſpectum. Sola oleoſitas, ejuſque attributa omnia in bile prævalent, & emicant; eamque ideò conſtituunt.

§. VII.

Ubicunque igitur dentur per ſanguinem ſtamina hæc oleoſa, ad

ad quemdam coctura gradum redacta, eique ſupernumeraria jam ſint propter diſpoſitiones ſuperiùs expoſitas, quamquam à ſanguine non adhuc bene ſecreta, ibidem profectò aderit forma bilis legitima; poſtea evidentiùs emergens, ex facta majori eorumdem ſtaminum aglomeratione, proportionaliter ad acceſſum ſanguinis ad hepar per portas. Cum autem extent perpetuò per totum ſanguinem maſſulæ hujuſmodi ſtaminoſæ, peculiariter induratæ, & concoctæ; extat etiam perpetuò per totum ſanguinem bilis, in propriam naturam conſtituta. Demus, bilem non ſecretam adhuc in hepate, ſed aliquando ſecernendam, ſanguinique confuſam, bilem imperfectam vocari poſſe; hæc tamen à bilis natura excludenda non erit. Demus bilem illam perfectam dicendam, quæ jam ſecreta à toto ſanguine, vel in porta ſtabulatur ante contactum hepatis, vel jam per propria reſervatoria confluit; ſtamineæ interim, ramoſæ, veteraſcentes prædictæ partes, non adhuc per portam fluitantes, ſed in vaſis diſſitis aliis ſanguiducis, arterioſis, & venoſis, ad portæ tamen ſecretionem diſpoſitæ, genuina ſaltem bilis rudimenta appellandæ venient.

§. VIII.

Inſtat *Verehienius*: nil in ſanguine amaricare, ante ejus adventum in hepate; ideoque nil bilis adeſſe in ſanguine ante ſecretionem hepaticam. Nos facilè negamus, bilem in propriam naturam conſtitui per ſaporem amarum, ut nec per conſiſtentiam quamdam. Bilis ordinariò amaricat; nec per hoc tamen à bilis natura dehiſcit, quæ in infantum jecinoribus ſecreta, inſipida eſt, & quaſi ſubdulcis ut eam canes, aliaque animalia ſuaviſſimè lambant: ſic quæ pariter inſipida in ductu hepatico, & in folliculo ſuo apud cachecticos, alioſque infirmos offenditur, non tamen à bilis familia proſcribitur. Idem dicendum de tenuiori, aut craſſiori bile; pallidiori, aut coloratiori; ut ideò hæ omnes differentiæ varias bilis adimpleant ſpecies, bilis naturam non deponant: Ut pateat, non ab extrinſecis proprietatibus, ſed ab intrinſecis individualiter componentibus bilis naturam conſtitui.

§. IX.

Idem humor bilioſus in eodem animali diverſas ſaporis, coloris, & conſiſtentiæ habitudines trahit, ſecundùm diverſam ſuam per varias partes aglomerationem; propriâ tamen bilis eſſentiâ ubicunque perfruens. Eadem idcirco bilis, quæ adhuc in Componentibus ſuis disjuncta, ac roridis multis, & inſipidis ſubſtantiis adhuc intermixta, dilatata, & enervata, ſeu tamquàm immatura, per propagines portæ ſapido ſatis aculeo non potitur, ad imprimendam notabiliter amaritiem; ſtrictiùs indè cohærens, & ſincerior facta per hepatis parenchima, & ductus ejus excretorios, derivatis per vaſa rorifera innumera limphis ſubtilibus intermixtis, amarior eſt, & magis conſiſtens: Craſſior indè, ſaturatior, & acrior in folliculo ſuo, & ciſtico ductu, ob auctum, per quietem, principiorum nexum, factas in eiſdem majores moles, & exaltationes; inertioribus partibus cunctis exhalatis, & abſumptis; ſeu tamquam ultimo coctionis, & maturitatis ſuæ accepto gradu. Nec ideò ad bilis naturam faciunt conſiſtentia bilis ordinaria, color, aut ſapor; adeo ut, non minùs bilioſæ naturaliter particulæ vocari queant, quæ in ictericis plurimis ſerum ſanguinis educti croceo intingunt colore, & lintea eodem imbuta ſimiliter inficiunt, nec tamen amaritiei ſenſum linguæ guſtanti communicant, ob enervatam earum cohæſionem; quam quæ per ſanguinem portæ ad hepar accedentis oleoſæ ſubſtantiæ, veram bilis eſſentiam geſtant; licèt ob infirmam adhuc aglomerationem amaræ non percipiantur. Sed quid dicerent, quoties exhiberem, ſanguinem portæ, ſenſibili jam amaritie prehenſum ut ſuperiùs expoſuimus; & ſerum innatans ſanguini, ab ictericis extracto, frequenter etiam notabiliter amaricans animadverti?

§. X.

In morbis innumeris, bilem, in ſuo eſſe nimium forſan conſtitutam, fluctuare per vaſa, etiam ab hepate ſatis diſſita, congeri in variis partibus, variaſque anomalias edere, practicis, & medicantibus omnibus inconcuſſum eſt. Tota ideò praxis invertenda foret, ſi conſtaret aliquando, bilem non niſi in hepate generari, aut congeri. Reſpondent; dari quidem bilem in morbis per va-

ſa

ſa ſanguifera, & partes ab hepate diſſitas realem, & legitimam, ſed jam pridem in hepate genitam, & ſecretam, hinc traductam per vaſa ab hepate abducentia. Et ego aſſero; bilem in hepate ſecretam, denſam adeo, & diſparem ſupra totum ſanguinem conſiſtentiam & cohæſionem induere ob propriæ ramoſitatis triumphum, Quod toties jam vidimus, & ſequenti capite ulteriùs examinabimus; ut concipi haudquaquam poſſit, eamdem, ex reſervatorio ſuo per vaſa excretoria ſemel ablegatam, reflecti in ſanguinem poſſe: Hinc bilis quæcunque morbos faciens, per ſanguinis alveum delinquens ſupponi potiùs debeat, tamquam adhuc per hepar non ſecreta; quin imo delinquere, quoniam ſecreta non fuerit. Sed quid amplius? non ne in morbis quibuſdam manifeſtatur, dari bilem realem in ſanguine ante ejus ſecretionem in hepate; dari autem cumulatiſſimè in ſanguine, hinc ad partes varias transfundi, ob impeditam ejuſdem ſegregationem in hepate? Omnium conſenſus eſt, regnare icteri ſpeciem, in qua opilatis meatibus hepatis, bilis luxuriat in ſanguine, & per varias partes exundat; cui ideò oportunè occurrimus, hepatis clauſtra reſerando; bilem ideò per alias partes indebitè vagantem, & deviam, ad curſus ordinarios, & diſtributiones ſuas invitando. Sed ad haſce bilis morboſæ diſquiſitiones alius nobis erit locus ampliſſimus.

§. XI.

Bilem, tamquam ramoſam, & intricatam fluidorum animalium partem, abſque præparatione, ſeu quadam adaptatione ſecerni non poſſe, ut pote res ampliſſimè à nobis demonſtrata, etiam apud contrarios fautores in dubium revocari non poteſt. Præparatio hujuſmodi ſecretioni hepaticæ præcedanea eſt; fitque in ſanguine ante ejus diſtributionem in meatus ſecretorios hepatis, non autem in ipſomet hepate: Idem etenim viſcus traducti celeriter ſanguinis præparans eſſe non poſſet, eodemque puncto ſecernens. Cum itaque præparatio ad ſecretionem ſit quædam præparabilium excentratio, ideoque corpus præparabile jam præſuponat; præparatio in conſequens eſt inchoata ſecretio; adeo ut, & præviam eſſe bilem in ſanguine ante ſecretionem hepati-

cam, & prævìè jam à maſſa communi excentrationes ſuas eandem moliri, ſeu bilem in ſanguine ante ſecretionem hepaticam formaliter præexiſtere, etiam apud eoſdem adverſarios valere debeat: Quæ jam titulis omnibus probavimus.

CAP. XV.

An bilis ex ſe ſe tenuior ſit toto ſanguine ſimul ſumpto; an æqualis conſiſtentiæ, an craſſior.

§. I.

DEtritiſſimus per omne genus ſcientiarum, ſimulque humaniſſimus, Præſul *Joannes Maria Lanciſius* per eruditam epiſtolam mihi, quantâ voluit begninitate, tranſmiſſam, & primas Hiſtoriæ hujus hepaticæ editiones collùſtrantem, duo ex aſſertis illis noſtris principaliter declinat. Primò ſcilicet directæ inoſculationes extremitatum portæ cum exordiis pori bilarii in parenchimate hepatico; tranſverſæ autem cum rudimentis cavæ, Viro Præclariſſimo non probantur; cui ſcilicet portæ, & ductus bilarii communes ubicumque per idem viſcus invaginationes flexuram potiùs in eorum concurſu acutiſſimam ſuggerunt; tum cavæ, & portæ diſſimiles ubicunque divaricationes, & inclinationes diverſos etiam in earum finibus indifferenter concurſus imponunt. Secundò bilis, ante ultimas ad hepar ſequeſtrationes ſuas, conſiſtentiam ex ſe ſe totâ humorum maſsâ craſſiorem nobiſcum non admittit Præſul accuratiſſimus; tum quia in hoc caſu ſanguis etiam per bilis incernicula in naturæ ſtatu perflueret; tum quia præcipuè, bilis motu interdum per cholidochum intercepto, hæc per eas ſe ſe vias inſinuat; ad quas nullus in naturæ ſtatu patet ſanguini aditus; veluti per glandulas ſalivales in os, & fauces; per renum tubulos in veſicam; & præſertim intra membranam oculorum adnatam, ſeu conjunctivam.

§. II.

Ad primam Eruditiſſimi Præſulis agitatam difficultatem lubenter conſideo; ſiquidem nec ultimorum in vaſis hepaticis adducentibus

centibus, & abducentibus concurſuum modos, nobis hucuſque, & forſan in perpetuum impervios, nec niſi mentis acie attingendos, meliori ſtudio demonſtrare me poſſe confido; nec inſuper melior eorundem demonſtratio jam petitur ad explicandam ſecretionem; quam nempe, quâcunque ſuppoſitâ concurſuum configuratione dilucidè explicari, tot aſſertis ſuperioribus jam vidimus. Ab hoc ideò impoſterum excutiendo miſterio me abſtineam. Sed cum mihi bilis craſſities naturalis ultra totum ſanguinem demonſtrari magis poſſe, quàm concurſuum figura videatur; hinc placeat æſtimatiſſimo Archiatro, ut leviuſcula quædam novis hiſce Hiſtoriæ noſtræ Hepaticę ſupplementis ſuperducta Capituli etiam novi argumentum impleant. *H*æc interim quomodocunque Vir Clariſſimus, & Veneratiſſimus approbet, aut rejiciat, ſubmiſſum me, & inſectantem habebit.

§. III.

Sicuti valet aſſertio, humorem quemcunque, ſeu quæcunque principia, quæ degant, & rotentur per ſanguinem abſque ulla adhuc ſuſcepta ſecretionis diſpoſitione, jacere ſub uniformi ſolutione univerſali; eodemque impulſu emboli, & vaſorum colliſionibus agi cum cæteris quibuſcunque ſuccis; ideoque in hoc ſtatu nec craſſiorem, nec tenuiorem ſuper alias immixtas ſubſtantias conſiſtentiam induere, ſed eamdem omnia inter ſe ſe & uniformem ſervare, proportionaliter ad uniformem in omnibus ſervatam diviſionem; Ita etiam valet aſſerere, eadem liquida in quamcunque jam ſecretionis præparationem venientia, non quidem ſuper alios immixtos humores attenuari; quin imo ſenſibiliter incraſſari, denſioremque neceſſariò habitudinem ſuſcipere. Reverà, ſicuti pręparatio ſecretionis in liquidis per majorem particularum componentium approximationem, & inchoatam cohæſionem celebratur, ſic etiam ipſamet actualis ſecretio tota eſt approximatio homogeneorum, & cohæſio; ut ideò ſecretionis præparatio, & actualis ſecretio directè opponantur attenuationi, quæ nempe in majori componentium diſſociatione, mutuoque receſſu conſiſtit. Quamobrem, acceptabile ſit, humorum ſecretiones, ſeu particulares quaſdam liquidorum inter ſe ſe conformium collectiones, veras

eſſe

eſſe eorumdem incraſſationes; majores, aut minores, ſecundùm diverſas eorum naturas; abſolutè autem majores ſupra conſiſtentiam totius ſanguinis, ex quo diſcedunt. Id autem non tantùm de bile, quàm de aliis etiam tenuioribus humoribus quibuſcunque intelligendum proportionaliter venit.

§. IV.

Quod ideò rudimenta bilis, quouſque ſub uniformi totius ſanguinis ſolutione, & diſperſione degunt, eamdem proportionaliter cum toto ſanguine tenuitatem, & elongationem ſervent, omni procul dubio caret. Sed in hac diſperſione bilis adhuc non adeſt, quę certè ex rudimentorum hujuſmodi collectione, & aglomeratione generatur. Qua de re, quotieſcunque id, quod bilis in ſanguine priùs non erat, bilis jam fit, ſeu ſtaminum quorumdam oleoſorum rudimenta, diſperſa priùs per ſanguinem, ad quoddam cohæſionis principium accedunt, eodem etiam momento, id quod communem cum toto ſanguine, & uniformem tenuitatem ſervabat, craſſiorem, proportionaliter ad majores, aut minores ſusceptas cohæſiones, habitudinem induit; ut nulla in conſequens concipi poſſit gracilis quęcunque particula, in novam cohæſionem accedens, quæ conſiſtentiam ex ſe ſe craſſiorem toto ſanguine non ducat. Reverà, receſſio particularum bilis ab individua totius ſanguinis tenuitate proportionalis eſt ad cohæſionis gradum in componentibus ſuis: Cum autem qualiſcunque ſit hujuſmodi cohæſionis gradus, ab illa ſemper totius ſanguinis uniformi diviſione recedat, conſequenter etiam à tenuitate cruoris communi liquidum cohærens declinat, novoque craſſitiei gradu ſuperducitur. Fieri autem aglomerationes hujuſmodi & cohæſiones in ſanguine, ad bilem neceſſariò parandam, inchoandam, & formandam, etiam ante abſolutam ſecretionem hepaticam, luculenter demonſtravimus.

§. V.

Principia in bilem convertibilia, & per alveum cruoris volutata, nec adhuc aglomerata inter ſe ſe nullam certè bilis apparentiam depromunt, per quamcunque corporis partem percurrant. Rudimenta bilis, ſeu ramenta ſulphurea excocta, quę quamdam jam

jam umbratilem cohæſionem inire potuere, in primis hiſce cohæſionibus nullam etiam per partes bilis adhuc apparentiam depromere poſſunt. Cum etenim bilis præſentiam non niſi ſpeciales ſuæ in colore, ſapore, & conſiſtentiâ habitudines teſtentur, patet, in inſenſilibus bilis inchoamentis hujuſmodi, tantam non dari extenſionis, ſeu collectæ jam in unum corpus materiæ, menſuram, ut hæ habitudines ſenſiles fiant. Fluent itaque minima hæc corpuſcula, licèt inchoativè bilioſa, inſenſiliter cum ſanguine, nulliſque in locis ſe ſe depromenti: ut inviſibiles perfluunt confuſæ cum aqua forti particulæ metallicæ, ad illam molis parvitatem redactæ, per quam lucis radios ſenſibiliter non revehant, ſeu lucem poſſint eludere. Ideo quôcunque tranetur ſanguis, & ipſa ducentur inſenſilia bilioſa elementa, abſque ullo oblato eorum exiſtentiæ argumento, per vaſorum omnium capillamenta, per fibrarum interſtitia, per tunicas omnes, per ipſammet tunicarum ſubtiliſſimam oculorum *adnatam*; per quam nempè non minùs inſenſiliter præterlabentur, abſque ulla inflicta impreſſione coloris, aut alterius habitudinis ſuæ, quàm ſanguis eorum ductor, in naturali conſtitutione poſitus per eamdem trajiciatur, nihilo coloris, aut corpulentiæ ſuæ in eadem relicto.

§. VI.

Detur jam, rudimenta hæc bilioſa aglomerari magis, & ſucceſſivè incraſſari inter ſe ſe per ſanguinis orbem, & præcipuè per vias à corde ad hepar, huic operi deſtinatas: Detur jam, bilioſorum hujuſmodi glomeraminum liberas per reſervatoria hepatica diſtributiones interceptas iri, aut imminutas; quæcunque ſit in hoc viſcere cauſa obſtruens, aut aliter impediens: Patet etiam, corpora bilioſa hujuſmodi, per alveum ſanguinis ſe ſe accumulantia, eam jam molis menſuram attigiſſe, qua bilis in colore, & conſiſtentia habitudines propriæ prodire in patulum poſſint. Eodem ritu, ac metallicæ ſubſtantiæ in majores jam moles, & aglomerationes per ſpatia menſtruorum ſuorum ſolventium accedentes, ſenſibiles tandem fiunt, & propriis ſoliditatibus, & figuris competentem opacitatem explicando, lucis radios ſatis retorquent, & habitudines ſuas integrè obverſantur. Ideò à ſan-

guine excentratæ felleæ hujuſmodi ſubſtantiæ, ſicuti jam per portam conſiſtentiam ſuam, colorem, & ſaporem-met ipſum pręſe ferunt, ut vidimus ſuperiùs; ita etiam ab hepatis ſecretione interdùm retropulſę, & reflexę, ac in partes alias determinatas depoſitę, naturalem flavedinem, & ſpiſſitudinem ſenſibiliter explicabunt, & per eaſdem noſcentur; eoſdemque modos ſuos deproment, non ſolùm in omni quacunque membrana, ubi conſueſcunt retrogradè à ſanguine eructari; ſed magis in ſubtiliſſima oculorum tunica, adnata dicta, tanquam ſcilicet illa, quę ſuper alias partium tunicas proprias, oculis adſtantium immediatiùs comparet; quotiescunque in fiſtulas earumdem tunicarum inſenſiles, & minutiſſimas traductæ, ab earumdem anguſtiis, ob naturalem tenacitatem, expediri non poſſint, nec ulteriùs unà cum toto ſanguine, propter tenuitatem ſuam præterlabente, adſportari.

§. VII.

Conſtat bilem, per varios morbos, aut impeditam ſuam per receptaculum ſuum derivationem, in membranis partium ſuccingentibus variis, & præcipuè oculorum tunica adnata figi, & effundi; non certè ob tenuitatem ab eadem ſupra ſanguinem totum contractam, ſed ob naturalem, imo & ulteriùs ſuperadditam craſſitiem, propter quam ſcilicet in illis partibus remoretur, per quas ſanguis conſiſtentiâ tenuiori præditus inſenſiliter præterlabitur, & expeditur. Reverà, ut adnatæ, tamquam viſibilioris ſuccingentis tunicæ exemplo utamur, in ophthalmiis, aliiſque oculorum ſuffuſionibus, ſanguis craſſior factus ultra ſtatum naturalem, indéque lenteſcens, & ſtagnans, in eiſdem adnatæ canaliculis concreſcit, & reſtitat, ubi in ictero, ſiphilide, aliisque morbis bilem concreſcibilem deponit, & ſtagnantem relinquit, ſervatâ in ſe ſe tenuitate ſuâ, motuque ideò ad ulteriora progreſſivo. In hiſce ideò ocularium affectionum caſibus ſanguis concretus muricem ſuum, ſuamque aglomeratam molem præſefert; ut in aliis caſibus flavedinem ſuam, & molem in eiſdem vaſorum alveolis bilis irretita oſtendit. Non ideò interdum per morbos varios bilis cumulatur in adnata, aliiſque proportionaliter partium corporis interioribus

rioribus tunicis, quia *per eas ſe ſe vias inſinuet, ad quas nullus in naturæ ſpatii patet aditus* ſanguini; quin imò, quia per propriam, & ſuperadditam craſſitiem illaqueata, vaſa illa transmeare non poteſt, & præterlabi, quæ facilè transmeat, & præterlabitur ſanguis totus, eamdem ideò ad dictas anguſtias convehens, & in eisdem relinquens.

§. VIII.

Sanguinem in ſuffuſionibus, & ophthalmiis craſſiorem eſſe ultra ſtatum naturalem, ab omnibus cordatioribus admittitur. Comprobatur à natura morborum, in quibus frequentes ſunt, contumaces, & chronici affectus oculorum hujusmodi; ut in lue venerea, Rheumatismo, chloroſi, ſuppreſſionibus menſtruorum, aliiſque morbis fluxionariis, in quibus ſanguinem craſſitie extraordinaria cieri, ultra omne dubium eſt. Demonſtratur inſuper à ſublevantibus remediis, quæ non niſi attenuantia ſunt, & discutientia variis modis uſurpata. Quamobrem, ſicuti ſanguis in ophthalmiis, & ſuffuſionibus ideò per adnatam manifeſtatur, quia vaſa ejus exiliſſima, & ob exilitatem inviſibilia, quæ prius inſenſiliter trajiciebat, in propria ideò inviſibilitate relinquens; contractâ nunc craſſitie extraordinariâ, hinc factâ improportione molium ſuarum grandiorum cum exili eorum diametro, tum eadem ad latera ſenſibiliter extendit, ſenſibusque ideò manifeſtat; tum in eisdem dilatatis lentescit, & remoratur; ut ideò in hisce morbis vaſa *adnatæ* turgefacta non tantùm videamus, ſed numerare etiam poſſimus; ita quoque bilis, quotiescunque per reſervatoria ſua derivari competenter poſſit à ſanguine, aut majorem craſſitiei gradum adepta adhuc non fuerit, per laudatos tunicæ oculorum adnatæ, ſeu conjunctivæ canales inſenſiliter trajiciet cum ſanguine; ſecus autem in habitudine oppoſita. Quòd ſi dicatur, bilem in ictero, aliisque morbis non per eadem vaſa membranarum, & *adnatæ* præcipuè, concrescere, & aggregari, per quæ ſanguis in effuſionibus ſuis cumulatur, ſed per totam indiferenter membranarum ſubſtantiam, & minores earundem intercapedines ſeu inter fibram, & fibram effundi: Respondeo, contrarium deduci ex facili in his morbis effuſæ bilis reſtitutione ad cir-

culum; cui certè tam facilè reſtitui ita non poſſe videtur, niſi vaſa circuitûs adhuc occupaſſet; aut ſaltem niſi poſt novam tenuitatem adeptam; ut ſemper firmiori ſtet talo; præviam ejusdem craſſitiem ſuperadditam pro morbi fomite indicari.

§. IX.

Sed, non tantùm evincitur, bilem per eas vias trajici non poſſe, per quas non trajicitur ſanguis; ſed neque per omnes minores vias, per quas ſanguis trajicitur: Ut ideò ejusdem craſſities in ſtatu naturali ſupra totum ſanguinem ſimul ſumptum ulteriùs confirmetur. Reverà, multipliciter per hanc totam hiſtoriam jam conſtat, bilem etiam ſinceram, per chili vias, ſeu per galaxiam inſinuari naturaliter non poſſe: Chilus autem toto ſanguine craſſior adhuc eſt: nam ſicuti alibiles ſucci lacteorum oſcilla non penetrant, niſi minima eorum reducta priùs fuerint per trituras naturales ad illam parvitatem, quæ eſt proportionalis ad parvitatem molecularum ſanguinis, alimoniâ, tranſpiratione, aut ſecretionibus aliis deperditarum, quarum nempe ſuplementis illi præſto ſunt; ſic in maſſam introducti, per tot motus obvios ulteriùs attenuantur, antequam naturam ſanguini univocam ſuſcipiant. Multò ideò minùs trajicitur bilis naturaliter per vias illas, per quas iidemmet ſucci, in ſanguine tenuiores jam facti, ab eodem diſcedunt, & in partium alimoniam transponuntur. Cùm ideò ſuccorum nutritiorum molleculis grandiores ſint adeò bilis molleculæ naturales, ut voluminis improportione introduci naturaliter non poſſint, nec præterlabi per vias eorum ordinarias; fortiori de titulo molleculis propriè ſanguineis erunt etiam naturaliter groſſiores; ut ideò moles omnes liquidi bilioſi ſuperare debeant in genere, & in ſpecie dimenſiones molium omnium particularium ſanguinis; eòque meliùs, quò bilioſę moleculę, antequam in majores moles, ſeu in propriam bilis naturam coadunatæ forent, principiorum etiam grandiorum ſanguinis magnitudinem jam æquabant: ut vidimus: Ideóque ultra abundantiam probati jam fuerimus: Bilem totam toto naturaliter ſanguine craſſiorem eſſe.

§. X.

Sed quid inſuper? Liquidi bilioſi ſupra totam cruoris ſubſtantiam

tiam craſſities hujuſmodi in animali naturalis, tantâ jam argumenti divagatione importuna, pręter graviſſima hęc practica, & anatomica teſtimonia, eluceſcit ulteriùs per ſtaticum experimentum, pluries à nobis fæliciter tentatum. Extracta ab animali bilis quantitas, & cum ęquali volumine ſanguinis ſtatim à vivente extracti ad lancem comparata, decima ſextâ ad minùs totius voluminis parte, & interdum majori, eodem ponderoſior obſervabatur. Nec certè aliud eſt craſſities unius, aut alterius corporis major, aut minor, quàm in uno, aut altero major ſub æquali ſuperficie, aut volumine quantitas partium. Cęterùm dari bilem toto ſanguine pręternaturaliter tenuiorem, ſeu bilem *Sylvii* ſpiritualiſatam, per morbos varios, pręcipuè ardentiores, aut acutiores obviam, non inficior. De hac in ſecunda hujus hiſtoriæ parte, & meliùs in tertia alloquemur.

CAP. XVI.

Bilis uſus poſt ultimam à ſanguine ſecretionem ſuam in hepate.

§. I.

JUvat ideò repetere, Bilem, jam foras omninò à ſanguine exantlatam, & disjunctam in reſervatorio hepatico: *Concretum eſſe ex reſiniformi ſubſtantia, aſperiorique aliquali ſalino-fixa, in ſanguine inutilibus, ſero cæterùm competenti eliquatis.* Sed cùm ille ſit machinæ animalis ordo, ut liquida aliqua, ſanguinis compoſitioni non ampliùs facientia, ſicque ab eo per congruas partes rejecta, ad utilitates adhuc quasdam adminiſtrentur, antequam diſcedant è corpore; Bilis in horum cenſum accedit; ſtante quòd commodis adhuc animalis egregiis deſtinatur, poſt acceptam à ſanguine ſecretionem. Eam ideò adnumeravimus inter humores recrementitios, quo nomine donamus liquida laudata; & à ſuccis diſtinguimus, poſt ſuas à maſſa generali diſterminationes omni calculo inutilibus; quos propriè excrementitios noncupamus.

§. II.

Bili igitur jure gratulamur, ab injuria illa noſtris temporibus

vindicatæ, qua ab medicinæ Proceribus inter ſecundæ coctionis quisquilias conscripta, ſtatim à ſuo in inteſtina depluvio exulabat per alvum à corpore, turpis; omnique uſu, præter deſidendi proritationem, exauctorata. Eam tamen tanti non pendimus, ut cum *Bachio*, F*ranciſco de le Boe Sylvio*, aliiſque recentibus, *corporis balſamum*, *ſanguinis condimentum*, *incendii vitalis eſcam*, *ſpirituum materiem*, decantemus; ut vix in hepate, ſeu potiùs adnato folliculo genita bilis, ſtatim per ductus bilarios, & cavam in gremium ſanguinis reſtituatur, tamquam motuum ſuorum omnium, vitæque principium. Plures Moderniorum Doctiſſimi, *Malpighius*, *Needham*, *Bellini*, *Tauvry*, aliique, ſententiis hujusmodi, naturali œconomiæ animalis normæ, humorumque curſui ordinario ex diametro repugnantibus ſolidiſſima opponentes ratiocinia, & experimenta, eximunt nos ab hac disquiſitione. Taceo F*allopii* J*aſolini*, & plurimorum opiniones alias; de bile ab inteſtino ob descendentem ibidem chilum, in cyſtim felleam, tamquam in diverticulum, retrograda; de duplici, quô ad naturam, & quô ad originem diverſa bile, hepaticâ ſcilicet, & cyſticâ &c. prout ſatis à limpida horum temporum oculatione diſſipatas.

§. III.

Ea eſt bili aſſignanda functio, quæ certa ex rerum variarum teſtimonio perhibetur. Et equidem, cùm vitiatâ bilis ab hepate in inteſtinum transmiſſione ventris turbationes prodeant, nauſeæ, inappetentiæ, cruditates, icteritiæ, hydropes, proſtrationes, tabes, aliaque vitiatæ primæ coctionis ſatellitia, æquum eſt, ut eam ad chiloſeos negotium apprimè facientem decernamus. Si autem obviantem in duodeno chilum fluidiorem, ſubtilioremque reddat, ſolutâ eiisdem partium cohæſione, tamquam vehiculum ſumme penetrans; aut defæcet à ſordibus, & arceat à putredine, tamquam ſolvens menſtruum, & balſamicum; vel per volatiliores ſuas partes motum impertiat molleculis ejusdem liquidi, easque maturet, & perficiat, crudo acore retuſo; per oleagineam portionem ſuam uniat, & adaptet ejus principia; per ſalinam partem mucilagines abſtergat, craſſiores ejusdem chiloſi laticis ſubſtantias ſcindat, tamquam totidem cuneis valentioribus armata,

& com-

& comminuat, evehetque in alcali volatile; agiliores autem nimis obſeratas extricet, & relevet; fœces præcipitet; alcalino ſuo cum ſucci pancreatici ibidem etiam irrigui aciditate fermentationes excitet, chymi ſolutionibus collimantes; aliaque ſynomina quamplurima Phiſiologis ruſpatoribus, & innumeris codicibus decantanda relinquo. Nec minùs ſiquidem recentiorum ingenia detorquet turbida hujus phœnomeni de uſu biliario explicatio, quàm celebris *Democriti* apud antiquos excuſſerit cerebrum, ex fixa nimis arduæ hujus rei venatione in deſipientiam quaſi projecti. Nos ſimpliciora amplectemur; Uſumque bilis ibimus expoſituri, qui rerum animalium concentui magis forſan accedat. Sed ut rem diligentiùs attingamus, expediet, quædam de functione ventriculi, & primis, ut dicitur, coctionum officinis, etiam proliχiora præferre: Quin imò, ad eruditionis complementum, ex placito moderniorum ſuper hiſce opificiis curioſiori inchoare.

§. IV.

Actio ventriculi, (*aſſerunt*) piſturæ genus acerrimum eſt; ubi molarum momentum omne perficiunt diaphragma, abdominis musculi, ventriculus, & adjacentia viſcera; ubi ſcilicet quatitur alternè ventriculus, elevatur, deprimitur ab actione alterna diaphragmatis; pellitur, repellitur à potentiis etiam alternis musculorum abdominis; alternè ideò in ſolida adjacentia, hepar, lien, pancreas, aliasque attiguas partes impingit, alternè impingitur: Ut ideò in ventriculo, per rudes viciſſim hujusmodi contactus jactato, commollantur etiam inter ſe ſe, quaſſentur, & ſolvantur introductæ alimentariæ ſubſtantiæ; non ſecus ac metallorum fragmenta, per longum ſaccum, ut artis eſt, ſus, deque conjecta, & concuſſa, atteruntur inter ſe ſe, & attrita polliuntur.

§. V.

Hæc tamen ſolidorum alimentariorum trituratio, ſeu piſtillatio in ventriculo, ſinè liquidorum quorumdam interventu non perficitur; Quæ ſcilicet attritas partes integræ ſolutioni diſponant, laxando, & emolliendo. Sic in artificialibus ſolida alimentaria, vegetabilia, aut animalia, non diſſolvimus piſtillando, ſeu in emulſionem, ut dicitur, non reducimus; niſi per competentem affuſio-

affuſionem aquæ in actu piſtillationis. In trituris pariter ſolidorum non alimentitiorum, *exempli gratiâ*, in conſecandis lapidibus, frequenti aquæ aſperſione utuntur artifices; quæ nempe ſolutioni partium marmoris à ſerra procuratæ ultimam manum præbet. Eodem ritu, quæcunque ſit triturationis facultas in ſolidis ventriculi, & partium adjacentium; exacta tamen ſolutio ſine quadam liquidorum aſperſione, & imbibitione celebrari minùs poſſet. Hinc ſtomachali molendrino præſto ſunt ulteriùs irrorantes, & laxantes latices; ſalivæ ſcilicet multigenæ à tot fontibus extillantes, ſuperiùs, inferiùs, ad latera.

§. VI.

Et ſicuti corpora quæcunque alimentaria ſolida, piſtillationi artificialiter ſubjecta, ac laticibus irrorata, & imbibita, in duas partes faceſſunt; ſcilicet in ſuccum albeſcentem lacteum, ſeu florem mixti, qui propriè emulſio eſt; & in aridam partem, ſeu exſuccam & duriorem, reſiduam ſcilicet à liquido, & flore extracto; ſimilis etiam in ventriculo res venit: Similis piſtillatio; ſimilis liquidorum in piſtillatione irroratio: Similis ideò partium, liquidæ, & exſuccæ ſeparatio: Emulſio ſcilicet per piſtillationem, & liquidorum ſalivarium affuſionem; quæ propriè chilus eſt; & reſtitans pars arida, & inutilis, ſeu inteſtinale excrementum. Et ſicuti ſine liquido adſperſo emulſio in artificialibus non fit, quodcunque ſit triturationis momentum; ſic etiam in naturalibus, chiloſa emulſio non fieret, niſi adſperſis, & immixtis ſalivis ſolventibus; quæcunque foret quaſſativa potentia ventriculi. Quamobrem, licèt in functione ventriculi ſolventes ſalivæ materialis cauſæ naturam non excedant; ut eundem etiam merum materialem concurſum trahunt liquida alia in prædictis artificialibus ſolventia; non minùs tamen neceſſariæ ſunt, quàm ipſæmet efficientes ſolidorum quaſſationes. Patet cæterùm in tritûs genio fundari ſtomachalem functionem; quia animalia voraciora, & magis digerentia lapidibus plurimis, tamquam multiplicatis atterentibus molis, in ventriculo aſſiduè degentibus, ditantur.

§. VII.

Trituratio alimentaria ab utre primo naturali inchoata proſequitur

quitur ſucceſſivè in omnibus ſolidorum corporis loculis majoribus, & minoribus; ſeu in utriculis partium omnium elaſticarum, & oſcillantium; ubi ſucci omnes, jam pridem in ſtomacho ſoluti, ſucceſſivè appellunt. In hisce novis recipientibus novam fieri ſuccorum proportionaliter moram; hinc in eisdem ſolutionem renovari, mutato ſolùm piſtillandi inſtrumento, probatur ex eorumdem ſuccorum natura, & exigentia. Sinus omnes partium animalis ſunt *tot veluti ventriculi, & tritûs officinæ. Nam quos à ſtomacho recepêre ſuccos, ſubigendo elaborare pergunt.* Igitur chilus è *ſtomacho vaſa ſubiens, dum omnia qualis, aut quantus ſit, totus ingreditur, ſic ſingula percurrit, ut molem quidem aut maſſam ſuam exuat, non naturam* ſunt verba Ingenioſiſſimi, & expertiſſimi *D. Hecquet* in libro ſuo: *De purganda medicina à curarum ſordibus.*

§. VIII.

Siquidem, cum ſucci omnes à molis ventriculi ſoluti, divellantur violenter à naturalibus cohæſionibus ſuis; niſus ideò ſuos ad priſtinas cohæſiones indefeſsè conſervant, propter naturales figuras ſuas, quæ in ſolutis particulis non deperditur. Ut ideo impreſſam hujusmodi, ac neceſſariam per animalis corpus fluiditatem conſervent ſoluta cibaria corpora, ſub novis ſemper ſolutionibus reponi debent. Ideò, quotiescunque liquefacta violenter hæc ſolida aliqualiter removentur à tot ſolventibus per animale corpus ſucceſſivis potentiis; ſeu ab utriculis cordis, arteriarum, & loculorum partium diſtrahuntur, vires ſtatim centripetas ſuas repetunt, ſenſim in ſe ſe coadunata, & priſtinas concretiones induentia. Hoc, ſicuti in liquidis ſanguineis extractis fit, ſic etiam in loculis animalium interaneis, ubi trituratio feriatur: In quibus ſcilicet caſibus, & locis, in fibras, & nexus, ante ſtomachalem eliquationem primò habitos, concrescunt alimentitiæ laudatæ ſubſtantiæ; ſeu in tomenta ſolida, extra animalis corpus; & in ſtrias ſolidiusculas nutritias in ipſomet animali. Equidem, corpora omnia nobis nutritia in ſoliditatem naturalem quamdam nituntur, ſint jam vegetabilia, ſint animalia; Hanc oblatâ occaſione, ſibi denuo procurant ex ſe ſe. Ex dictis itaque, licèt aures & ingenium bellè ſatisfaciat ſtomachalis tritura, ex ſolidis hucus-

que expoſita; Ad opus tamen digeſtivum complendum ſalivarum poteſtati prima authoritas conferenda venit.

§. IX.

Salivam, primarium eſſe chiloſeos menſtruum quiſquis non negat, qui fragmenta alimentorum ſolidiora interdum iis caſu maſticando irretita, poſt tempus aliquod in componentibus ſuis ſoluta extrahit, & chiloſa albedine prædita, non minus ac ſi ſtomachi mora, & miniſterio fuiſſent potita. Hinc ſummè energeticam fatetur actionem in ſalivæ principiis, & eorundem panspherмiam, ſeu multiplicationem variam, qui tantorum generum alimenta ab hoc latice, tanquam à menſtruo univerſali, ſoluta conſiderat. Depluit jam continuò in ſtomachum, nobisque etiam inſciis, hic liquor; ejusque in hoc recipiens ſuaviter extillantis actionem ſuscipiunt alimenta, ſi ibidem interſint; aut ſucci quicunque peregrini per eundem hunc utrem fluitantes, aut ipſimet cavi visceris parietes, indeque ſenſus ex tantæ actionis acumine injucundus, ſeu fames, ſi nudi ſint, alimentis ſcilicet, aut humoribus interaneis aliqualibus, non ſcatentes; hanc autem actionem nec ſuscipiunt, nec ſentiunt, ſi crudo aliquo muccoſo, aut muriatico incruſtati: Sic digeſtis per noctem alimentis, & è ventriculi ſinu elutriatis; facto inſuper per dictum tempus copioſo ſalivarum depluvio in eodem viſcere, hocque corporibus morboſis non infarcto, ſurgentes mane vegetam ſentimus famis moleſtiam. Quamobrem præter dictam alimenti, humoris, aut cruſtæ præſentiam, deficiente per caſus varios in ſcatebris ſuis ſaliva, eaque ſic ſtomachi non irrigua, infallibilis etiam, & famis defectus accedit; imminuta ejusdem menſtrui copia naturali, imminuitur & famis ſenſatio naturalis; variis autem modis depravata ejusdem compoſitione, variæ & famis depravationes emergunt. Non ſolùm autem in hisce ſalivæ vitiis vitiatur fames, ſed & ipſamet chiloſis. Et reverà in ſalivæ defectu, ſupprimitur & digeſtionis functio in ventriculo; in ejusdem ſalivæ penuria, multùm & illa infirmatur; in variis autem illius depravationibus, reciprocè & alteratur. Sic quoties activa ſalivæ principia vel deficiunt in liquido ſalivali, vel à viscidis & crudis particulis

ticulis aliis depreſſa jacent, obtuſa & impedita; vel à nimia vehiculi aquoſitate diſgregata & quaſi ſubmerſa langueſcunt; nec tunc apetentia emicat ad cibos aſſumendos, nec facultas ſufficiens ad aſſumptos digerendos. Sic poſt exorbitans jejunium perit fames, aſſumptaque indè cibaria malè concoquuntur, prout ſenſim diſſipatis ſanguinis particulis activioribus, debita harum copia ſuggeri nequit ſalivæ; ſic vappidum & hebes hoc fluidum, nec vellicativam in inani ſtomacho vim ſuam exercere poteſt, nec ſolutivam in hauſtis indè eduliis.

§. X.

Non minùs itaque ſuccus eſt buccalis ſaliva, quàm gaſtricus; eſurinus, quàm digeſtivus: ſolvit autem cibariam ſoliditatem per humidum ſuum inſtructum ſalino alcalico volatili principio, per cavitatum corporis calorem ordinarium excitato & exaltato; non aliter ac aqua communis ſale quoddam alkalico impregnata, & igne excalefacta, fruſta oſſium in ea immerſa apud Pharmacopolas mollefacit, & ſolvit. Solvens autem alimenta digeſtorius liquor ſeu ſalivalis, non ſolvit tamen tunicas ventriculi, licet hæ præſentes eidem ſint ſemper, nec ſolidiores audiant variis brutorum partibus, quæ pro alimentis ingeſtæ, facilè eliquantur in ventriculo; imo & ejuſdem ſæpe compagis extant & naturæ, ac ſint ipſæmet ſtomachales tunicę. Hujus Phænomeni ratio eſt, quod alimentaria hæc corpora jam attrita fuere in oris molendino, & à corticibus ſuis, ſeu tunicis cingentibus diſcerpta, ſicque penetrabilia reddita ad actionem in ventriculo ſolutivam; Quod patet ex eo quod, ſi alimenta aliqualia etiam ſatis ab igne culinario incocta, ut lentes v. g. à dentibus non rumpantur in corticibus ſuis ſeu tunicis cingentibus; nec in ventriculo ſolvi poſſunt, ſed inalterata excernuntur cum fœcibus: Cum itaque interna ventriculi facies ſtrictiſſimo muniatur tegmine, multiplicatis ſcilicet membranis ſuis, à ſolo principio, attrita jam in faucibus alimenta facilè ſolvente, ſolvi ipſa non poterit. Cæterum omnimoda etiam ſitis natura à ſalivæ Phaſibus dependet. Sed talia hic longiùs exponere, ſupervacaneum eſt.

§. XI.

Primum eſt itaque, & ultimum chilificationis inſtrumentum ſaliva in ore, ventriculo, & inteſtinis; quibus in partibus tanquam per gradus ſucceſſivè chiloſis perficitur. Alimentorum ſolutionem raptim inchoat in ore, vegetiùs proſequitur in fundo ſtomachi, morâ ibidem contractâ; abſolvit in inteſtino, potentiis ibidem auxiliaribus variis adjuta. Et reverà, dum ad ſolutionis terminum nititur, poſtremo hoc loco, ſaliva, abruptâ jam chiloſarum partium cum inutilibus cohæſione totâ, ſubactam maſſam alimentariam quaquaverſum perſtringunt validæ musculorum inteſtinalium, diaphragmatis, abdominis adjacentes preſſuræ, eamque veluti ſub torculari poſitam magis magisque per inferiora protrudunt, expreſſâ ab ejus compage ſolutâ jam, chiloſâ portione, & in lacteorum oscilla propulſa. Quoniam autem valida ſalivæ in ventriculo cum reſiſtenti alimentorum tenacitate luctatio, vim forſan ejusdem delaſſare poterat & infringere, retuſis aut fractis ſalium ſuorum ſpiculis; ut inde inermis, debilis, & à fonte ſuo jam nimis diſſita, ad ultimum in inteſtino ſolutionis conflictum accederet, cum incompleti ſucceſsûs discrimine; Hinc ad ejus ſuppetias recens ſalivæ ſcatebra, eaque ſat grandis, inteſtini principio infra ventriculum apponitur, Pancreas ſcilicet, quod novas vegetæ limphæ copias, novoque acumine armatas, tanquam ſubſidiarias ad prælium roborandum ducens in actionis loco, totam adimplet concoctionis exigentiam, totamque ciborum ſolutionem accelerat. Quod autem Pancreas glandula ſit inferioris ſubſelii ſalivaria; Imò congeries glandularum ſalivalium, ſalivæ ſuæ rivum digeſtionis tempore in inteſtinum eructans, patet ex liquoris ſui cum ſaliva propriè dicta quo ad ſaporem, colorem, conſiſtentiam, aliasque circumſtantias, identitate. Quod cæterùm opportuna hæc ſit glandulæ pancreaticæ locatio ad inteſtinorum exordia, & ſubter ventriculum; tum inſuper ſumma utilitate plena vaſtitas molis hujusmodi ſuæ, evincitur ex comparatione cum glandulis aliis ſalivaribus facta. Quemadmodum etenim, præter innumerabiles minutas glandulas ad primum tubi inteſtinalis immiſſarium, & per ipſammet oris cavitatem diſperſas

perſas, palatinas, labiales, buccales, fauciales, ſublinguales &c. totidemque ſalivæ rivulos ibidem inſtillantes, aliæ multùm grandiores & majusculę longè ab hoc antro jacentes, ponuntur in ſitu, quo ab eisdemmet muscularibus maſticationis inſtrumentis urgeri poſſint, ad liquidum ſuum eodem maſticandi tempore copioſiùs corrivandum ad ora; quod ſcilicet par ſit eluendis ingeſtorum copiis; adeò ut glomus hujus generis glandularum notabilis, ſeù parotis, extra oris limites ad maſſeteris attiguitatem locetur; alius autem, ſeù maxillaris inferior ad digaſtrici contactum; ex quibus indè musculis alternè in maſticatione intumescentibus compreſſi, uberrimos tunc temporis profundant ſalivæ manipulos: Sic ad lævum duodeni latus ingens proportionaliter disponitur glandularum ſalivalium cumulus, ſeu glandula prædictarum ſalivalium vicaria, pancreaticum videlicet viscus; quod indè ab eodemmet digeſtionis inſtrumento, ſeu ſuperjacente immediatè ſtomacho, ex alimentorum ſaturatione tumefacto, premitur adeò in digeſtionis actu, ut ad copioſiorem, ultra conſuetum, fluidi ſui gurgitem in inteſtina exprimendum cogatur: Quam certè largiorem ſucci ſalivalis undam expoſtulabat memoratæ elaborationis complementum.

§. XII.

Sed poſtremus non eſt junctarum in inteſtinis hujusmodi ſalivarum uſus laudatus: Alius adhuc reſtat animalis exigentiis non minùs accomodus. Et ſiquidem, Quoniam guttulantes per inteſtina ſalivæ pancreaticæ & propriè dictæ non ſemper ſubeundam offendunt alimentorum maſſam; prout ſolùm per interpolata temporis ſpatia exequitur digeſtio, ſicque nec ſemper lacteos canales ſuos lambit, & perambulat chilus: in hiſce concoctionis feriis ſectantur paſſus chiloſi veſtigia rivuli ſalivarum harumce puriores; per lacteorum nempe orificia introducti & imbibiti, totam percurrunt, & ſaturant galaxiam per lactea duplicis generis prædicta, glandulas lumbares, ductumque thoracicum usque ad ſanguinem: ideò in chili abſentia vię hæ omnes lacteæ limpido ſolum liquore, hujusmodi videlicet ſalivari ſubtiliori, turgidulæ ſe ſe offerunt viſui. Nec minoris eſt neceſſitatis hæc ſalivæ per

 tubulos

tubulos chiliferos aſſidua circulatio, quam ſit ipſemet chili interpolatus per eosdem trajectus: Facilè etenim exſicarentur & coalescerent fiſtulæ tam minimæ, & tantum non imperviæ, niſi humido aliquo in ſuis cavitatibus transcolante madescerent continuo. Quod autem liquidum ſolum ſalivale vascula hęc lactifera perenniter adimpleat & permeet, vel chilo immixtum, eique ad vehiculum inſerviens, vel etiam ſincerum, & absque ejusdem connubio, conſtat ex ipſamet lacteorum habitudine: Cum etenim in cavo inteſtinali hient principio ſuo canales hujusmodi; alium certe humorem non excipient in ſinu ſuo, quam per ipſamet inteſtina perfluentem, eumque tenuiorem; chilum itaque & ſalivam, primum interpolatè, alteram continuè; non limpham, cujus nulla eſt in inteſtinorum cavitate ſcaturigo; non bilem tantæ vaſculorum exilitati ſubeundæ imparem prorſus, ut mox videbimus. Et ecce uſus ſalivæ primarius ad Chiloſeos negotium; ſecundarius ad chiloſorum ductuum amplitudinem ſervandam; indeque continuus ejusdem circuitus à ſanguine per proprias glandulas, fiſtulas inteſtinales, & chiliferas, rurſus ad ſanguinem. Sed indignantem nimis ſalivam movet exuberans hic rerum ſalivalium ſermo. Veniamus jam ad rem noſtram; Ad bilis negotium. Ecquid jam igitur bilis in inteſtinum descendit? Hic cadentem expectabam. Attende.

§. XIII.

Quia à ventriculo ad inteſtina viscidam naturaliter trahit, & facillimè implicabilem conſiſtentiam tota alimentorum maſſa, ſeù Chimus; ut monſtrat autopſia; ſequitur jam, quod in hac ſucceſſiva trajectione ejusdem materiæ partes proximiores parietibus inteſtinalis tubi, eisdem adglutinentur facilè, cruſtamque tamquam amurcoſam obliniant circumquaque: Ex hoc duplex jam ſequitur incommodum. Primum quòd chimoſæ ſubſtantiæ ad inteſtinorum ſuperficiem affixæ potentiarum prædictarum comprimentium actionem non ſatis auscultent; prout hæc ſolùm vividè cadit ſupra partes in centro cavitatis inteſtinalis poſitas; ideoque nec acriter ad debitas vias detrudi poſſint, nec bene ab eis exprimi chiloſa portio, ut ſupra. Alterum, & notabilius, quod lacteorum

ſteorum oſcilla offerciens, & obducens adventitius hic cortex, impedit ne liberè eadem ſubeant lactei rores, quantumlibet ſalivæ officio à groſſioribus alimenti ſubſtantiis per omnes chiloſis officinas jam integrè ſoluti, & à muſcularibus momentis expreſſi. Quamobrem ſicuti colores ſuper lapidem molentes, aut aromata in mortario tundentes Pictores, aut Pharmacopolæ, adhærentes ſaxo, aut æneo dictarum rerum portiones ſæpiùs ſpatula abſtergunt, & verrunt; ex qua indè operatione molita aut piſtillata corpora meliùs cadunt ſub actione molilis, aut piſtilli; ſic fluidum aliquod inſtillari debebat in inteſtinorum cavo, quod inter inteſtinorum faciem, chimumque inhærentem, immittens ſe ſe, ſimileque gerens abſterſivum munus, integram hinc procuraret maſſæ totius alimentariæ exſolutionem, preſſuram, conſonasque per vias diſpenſationem: Liquidum autem petebatur oleagineum, prout oleoſis interjectis ſubſtantiis, à variorum corporum implicatione res glutinoſæ liberantur; lixivioſum inſuper & ſaponarium; ad deterſionis opus alacriter exequendum. Et ecce bilis, in hac liquidi verrentis indigentia, opportunè deſcendens in inteſtina; bilis, inquam, quam ideò aptiſſimè vocant* nonnulli naturæ ſmegma, in cujus namque textura æquè eminet cum oleoſo principio ſaponarium, & urinoſum. Ecce uno verbo totus ejuſdem uſus; prout per ductum ſuum ſuper inteſtini parietem depluens, eumque madidans, acredine inde ſua ulteriorem ſuper eum ſusque deque ſemitam facilè fodicat ſibi; adglutinatam hoc ritu divellens cibariam ſubſtantiam. Hac de cauſa copioſius digeſtionis tempore in inteſtinum vehitur activum hoc liquidum; ut infra videbimus.

* *Sbaralea à Frid. Helvetio.*

§. XIV.

Tanta hæc bilis abſterſiva facultas conſtat in fervidæ temperaturæ ſubjectis, ſeu propriè bilioſis & picrocholis, in quibus ex fellei humoris abundantia, & virtute, rariſſimè mucoſis infarctibus obſidetur ductus inteſtinalis; dum è contra ex ejuſdem ſucci enervatione, aut penuria, in frigidis conſtitutionibus, in cachexia, Chloroſi &c. viſcidis ſemper cacochiliis poluuntur inteſtina, & ventriculus. Et multò evidentius patet, ſi naturaliter

per

per ductum ſuum in ventriculi cavitatem eructetur recrementum hocce; celerrima namque inde venit ingeſtorum etiam ſolidorum diſtributio & diſceſſus, ſummèque vegeta Chiloſis. Sic in ſtrutiocamelo, in quo bilis exoneratur immediatè in ventriculo, vis inſidet celeriter adeò digeſtiva, ut tolerata quadam hyperbole dicatur ferrum devorare, & digerere: Sic ex Choledochi inſertione in Remigis ventriculi fundo apud celebrem * Anatomicum ſumma in hoc viro aderat voracitas, & Chiloſeos promptitudo; Nec alius in hiſce caſibus bilis uſus excogitandus, præter dictum; prout nulla ibidem & ſucci pancreatici affluentia, ad decantatam fermentationem alimentorum diſſolutivam obeundam.

* *Veſalius*

§. XV.

Liquidum autem bilioſum in inteſtina dimiſſum, peracta ejus operatione, aut etiam non peracta; ſeu, vel in canali inteſtinali reperta maſſa chimoſa verrenda in digeſtionis actu, vel non reperta in digeſtionis otio, ſemper ad excretionem alvinam diſponitur, per inteſtina ſucceſſivè craſſiora, vel cum fœcibus confuſum præcipitans ſe ſe in primo caſu, vel ſincerum in altero: in trajectu ſuo ulteriorem exercet functiunculam jam ab antiquis magnifactam: ſenſiles inteſtinorum tunicas proritat ad dejectionem acore ſuo; ſic ordinariò in inedia aut victu exquiſitè tenui, bilioſæ ſolum ſubſtantiæ per ſeceſſum elutriantur. Nullimodè Chilum per lactea inſequitur, ab eorum penetratione impeditum per inſitam craſſitiem ſuam: & ſiquidem chilifera hujuſmodi vaſcula, vel ſucco lacteo dulci, nec unquam amaro ſatura conſpiciuntur, vel claro & diaphano, nec unquam flaveſcente. Præcipuè quod in animalibus fame extinctis, licet inteſtina copioſa bile referta adnotentur, lactes tamen nil ejus abſorbent, ſed jejunæ potiùs, atque inanes permanent, quam ablegato jam ex alibilium humorum familia recremento hujuſmodi conſpurcentur. Multò minùs per venas meſeraicas reſugitur bilioſus hic humor, ut inde per eas in portam derivatus, hinc per hepar rurſus in ductum excretorium & inteſtina confluens, circulationem habeat & ſuam per viſcera abdominis, æmulam expoſitæ ſalivariæ circulationi per viſcera & ſanguinem; quantum ferunt moderno-

rum

rum * aliqualium inſomnia; Nam præter quam quod in inteſtinorum cavitatem non hiant meſeraicæ; nil contra circuitus leges, & animalem machinam deformius excogitari poteſt bilioſo hoc motu circulari; ut vel Medicinæ initiatis patet.

* *Al. Borelli Nuck. Reverhorſt.*

§. XVI.

Et ſanè: Quamquam multæ in animali ejectamentorum ſanguinis circulationes ſint; circulent limphæ; circulent ſeminales materiæ; circulent aliæ plurimæ; circulare præcipuè ſuperiores, & inferiores ſalivas, jam ſimus probati; Bilis tamen inceſſantem circuitum à ſanguine portæ per hepar in inteſtina, & ab eisdem per venas meſeraicas rurſus in portæ ſanguinem, & in hepar, & ſucceſſivè; rationes omnes à fautoribus allatæ non probant. *Primum* eorum argumentum erigit amplitudo venarum meſeraicarum, & ſapor limphæ devecti per eas ſanguinis amarus. Sed amplitudo hujuſmodi auspicanda eſt à copia ſanguinis inteſtinalis, quæ ad motus eorum varios exigitur; tum præcipuè ad ineundam in eodem ſanguine retardationem notabilem, quæ nempe accedit in liquido ex anguſtiori vaſe in multò ampliùs derivato, ut vidimus ſuperiùs: ſapor amarus noſtram duntaxat hipotheſim confirmat. *Secundum* argumentum facit curſus venarum harumce diverſus ab aliis venis. Sed probat hoc ſolùm, portam fungi munere arteriæ ad ſecretionem hepaticam: Quid indè ad circuitum bilis? *Tertium.* Quantitas bilis, quæ ſingulis horis in hepate hominis ordinarii ſecernitur eſt ad ℥ ß: aut ſaltem ad ʒ iij; ut ideò ſpatio diei naturalis ad ℔ j. aut ſaltem ad ℥ ix. percoletur in hepate; Quæ certè non tanta per alvum excernitur. Tanta bilis ſecretio negatur; ut ſaniori demonſtratione palam fiet inferiùs. Fallax eſt ad probationem ſtatera ab adverſariis propoſita ſecretionis bilariæ in vivo cane; in quo videlicet violentæ, & ſpasmodicæ per vulnerum ſtimulos ſecretiones, poſſunt eſſe longè uberiores, quàm in ſtatu tranquillo, & naturali. *Quartum.* Tanta bilis copia in fætu per novem menſes ſecreta, non excernitur; nec in ſolum meconium conglobari poteſt. Sed ratio hujusmodi eſt de ſubjecto non ſupponente. Meconium eſt tota, & integra collectio, ac induratio bilis ſecretæ fætus, quæ in eodem

parciſſimè ſecernitur. *Quintum.* Improportio gracilitatis arteriæ hepaticæ cum bile ſecreta. Conceditur. Quid indè? *Sextum.* Ampla meſeraicarum poroſitas in inteſtina; & commercium flatus immiſſi ex eisdem in inteſtinorum cavum. Amplas hujusmodi poroſitates in ſolis avibus concedimus; nec aeris tranſitus etiam humoris viſcidi trajectum comprobat. *Septimum.* In plerisque pennatis chilus defertur per meſeraicas; Ergo & bilis. Nos negamus analogiam, & paritatem.

§. XVII.

Nec per lacteorum oſcilla introduci bilem inteſtinalem poſſe, patet ex chili in animalis cujuscunque fiſtulis lacteis, aut ciſterna collecti, & examinati ſubdulci ſemper ſapore, nullimodè amaro. Ea cæterùm ſapidiſſimi bilioſi liquoris conditio eſt, ut ubicunque ejusdem guttula ſedeat vel minima, proprio non inficere amarore non poſſit. Aſſerta noſtra hâc inſuper obſervatione dilucidiùs firmentur. Denatum olim hominem cellerrimè ex cholera morbo, illicò poſt obitum aperiebamus. Bilis tenuior, & diluta uberrimè per inteſtina exundabat: Sed lactea ubicunque vaſa partim inviſibilia jacebant, partim leviter occurrebant, limphâ limpidiſſimâ turgidula. Sed ad quosnam uſus, amabo, ſupernumeraria hujusmodi circulatio bilis? Minima bilis quantitas, ut videbimus, per dies in hepar ſecreta, ſufficit ad opificia inteſtinalia ſua: major ultra ordinarium ſecreta quantitas morbum facit. Quid itaque diſſonæ, non poſſibili, morboſæ inſuper circulationi bilis inſiſtendum?

§ XVIII.

Cæterùm bilis, ſuccique pancreatici in œconomia animali uſus ſimplices aſſignati, commodi quidem ſunt ad vitam, non autem neceſſarii; pro ut etiam abſque ſalivæ pancreaticæ auxilio, ſolæ depluentes continuò ex ſuperioribus glandulis ſalivæ totam alimentorum farraginem uſque ad duodeni thalamum ſolvere ſat poſſunt, & chilificare; non minus ac ſine bilis concurſu, ſpontè tandem, aut aliorum laticum alluvione abradi poſſunt per tempus aliquod ab inteſtinorum marginibus ſoluta alimenta, & disjungi, indeque per vias debitas promoveri. Et de facto abſciſſo apud

apud prçclarum* Authorem è canibus pancreate, optimè indè convaleſcunt hæc bruta, & munia vitæ, imò & ſanitatis conſueta recuperant integrè; Non minus ac ex forti obſtructione, Scirrho, aut alio vitio quocunque, jacente in animali jecore tamquam ſi non adeſſet; ſeù impedita in eodem bilis ſecretione, indèque & dispenſatione ad duodenum, affectos ſæpè hoc ritu homines vitam aliquandiù, imò apparentem & ſanitatem protrahentes videmus, & obſtupeſcimus in praxi.

* *Brunnerus.*

CAP. XVII.

Exponitur ſtructura & uſus cyſtis felleæ.

§. I.

Opportunum interim miniſterium bilis ad primam digeſtionem complendam ulteriùs manifeſtat ductus hepatis excretorii diſtributio: Et equidem licet ramuli omnes biliferi ex ſingulis hepatis concurſibus glanduloſis denſiſſimè prodeuntes, in majores indè fiſtulas ſenſim coaleſcant, hæque omnes in unicum concurrant & notabilem truncum, & hic directè in duodenum deſcendens, acceptam hinc bilem totam per liberum hunc tramitem corrivare poſſet; hoc tamen non advenit, ſed tota pene liquida in hunc tubum derivata, per emiſſarium quoddam divertuntur à deſcenſu in inteſtina. Hiat oſculo ſat amplo in tubi biliferi baſim emiſſarium hujusmodi canaliculare; indéque ab eo quaſi perpendiculariter propendens ſeu ductus cyſticus, ſolùm non rectilineus, ſed aliqualiter, ad ſimilitudinem colli Cigni, inflexus, & incurvatus. Hic ideò tamquam vorago viam occupans, trajicientem ibidem placidè verſus duodenum bilem, hujuſque veluti præcipitii neſciam deglutit, & per propriam cavitatem raptat: Nec alius ab hoc lapſu incolumis iter ſuum uſque ad inteſtinum proſequitur bilarius humor, quam qui inter oram hujusmodi aperturæ, & lateralem ductus marginem, caſu viam tenet; qui ſanè eſt paucus, & qui, ob cauſam inferius exponendam,

 retroagi

retroagi etiam poteſt ab inteſtinali inſertione rurſus uſque ad emiſſarii principium, indéque & per eum derivari.

§. II.

Descendens jam à ductu hepatico canaliculare hoc diverticulum, ampliorem ſenſim aquirit cavitatem, uſque quo in expanſionem quamdam ampulloſam, ſubrotundam & veſicularem deſinat, quæ ideò à figura, humoreque recepto dicitur veſicula fellea, folliculus biliarius, ſeù cyſtis aut burſula choledocha. In hanc delapſa bilis tacitè ſtagnat; nullumque indè egreſſus aditum ordinarium invenit ſibi, niſi per eandem decidentiæ viam; à vi ſcilicet competentis potentiæ admota ad retrogradum indè aſcenſum ſuo tempore coacta; ut videbimus inferiùs. Inſidet Pyriforme hoc bilis conceptaculum ſub majori hepatis lobo, & intra imam ejus crepidinem, cui adnaſcitur interventu vaſorum ſanguinis, tunicæ communis, & proceſſus capſulæ. Dividitur communiter in collum, cervicem, & fundum: Primum eſt emiſſarium prædictum, quod propriè dicitur ductus cyſticus, à ductu hepatis excretorio exiens, & propendens; altera, ejusdem augeſcens ampliatio; tertium eſt, ultima-met ipſa ampliatio.

§. III.

Præter tunicam communem peritonei, tres ſuper biliarem veſiculam proprias numerant diverſi genii tunicas magnam partem anatomici: Quatuor Induſtrius* quidam ex grandiorum animalium inſpectione exponit. Neceſſaria autem eſt hæc ad liquorum promptuaria tunicarum involventium, & componentium pluralitas in animali: Quia etenim contractilibus villis contextæ ſunt omnes animalis membranę, earum ſic multiplicitas applicata ad liquidi quiescentis receptaculum, multiplicata eſt potentia ad contentum indè liquidum per vias debitas urgendum: Et quia inſuper ſtrictiſſimum præ ſe ferunt rete in villis ſuis dictæ omnes tunicæ, earum indè multiplicatio ad vaſa, multiplicatum eſt inſuper cohæſionum momentum ad exedentem forſan, & penetrantem fluidi inſidentis poteſtatem eludendam. Utriusque rationis exigentia competit receptaculo bilioſo, ex quo per intervalla abigendus eſt collectus humor; iſque acerrima irritabilitatis actione

* *Borrichius.*

pollet,

pollet, tum ex natura ſua, tum præcipuè ex contracta ibidem mora, ejusque ſic potentioribus principiis liberè exaltatis. Et de facto bilis cyſtica ſpiſſitudinem, colorem, acorem, & amaritiem ſupra bilem purè hepaticam, longè intenſiores ducit, præcipuè autem penetrabilitatem; adeò ut non obſtante tanta tegminum farragine, tenuior ejusdem pars ex promptuario ſuo tranſudet ordinariò; attiguasque ventriculi, & coli partes intingat flavedine ſua.

§. IV.

Ex cyſtis felleæ tunicis propriis extimam vaſculoſam & pinguiferam nominant moderniores; mediam muſcularem volunt; intimam nerveam, rugoſam, & villoſam. Qui quartam addunt, inter nerveam & muſcularem collocant, eamque glanduloſam vocant, glandulis ſcilicet numeroſiſſimis obſitam, per quas mucoſum illud transcoletur, intimam indè hujus burſulæ faciem totam inveſtiens. Bilem per haſce glandulas ſecerni, ridicula eſt aliquorum confabulatio. Sed de hisce omnibus, ut de connexione, & vaſis ejusdem partis quamplurimis, & variis cum jecore communibus, aliisque eam ſpectantibus ulteriora non affero, pro ut largiſſimè ab anatomes Hiſtoricis vendicata; ideoque hîc ſupervacanea. Solùm addam, vix quidpiam muſcularis naturæ ad hoc reſervatorium percipi; pro ut nec ad bilis excretionem neceſſarium, ut videbimus. Quod ſi dicendum ſit tunicam reverà carneam, aſſidere, ad inſtar musculi cutanei, eam extimum inter tunicas proprias occupare locum aſſero, non medium; ut patet ex ejus colore ſuper ſubjectas alias rubicundiori, & ex analogia aliarum animalis veſicarum, urinariæ nempè, & ſeminalis, quibus extimum eſt ſupra alia musculare indumentum; ut ſuo etiam loco demonſtrabimus. Quod autem in membranarum harumce poroſitatibus machina ſedeat (ut ſupra) ſecretoria bilis à ſanguine, illuc per gaſtricas arterias delato, adeò ut per hanc cyſtim non ſolùm condus promuſque offeratur bili, ſed etiam organum colatorium ſuum; non ne ſunt vaniloquia, homini * ceterùm venerando jam ſuperiùs commemorato imparia? fabellæ, inquam, ex ſe ipſis abſque ulteriori oppugnatione corruentes?

* *Silvius De Le Boë*,

CAP. XVIII.

Exponitur modus influxus bilis in cyſtim.

§. I.

INdubitabilem allegavi, ſuperiori capite, digreſſionem in cyſtim totius penè liquidi, ab hepate verſus inteſtina per porum biliarium excurrentis. Manifeſtum hoc traxi ex naturali hepatis, ductus ejusdem excretorii, & ipſius folliculi poſitione. Gibbam partem ſuam ad ſuperiora & anteriora abdominis obvertens jecur, ventriculo objicit cavam; ex qua indè prodiens ductus biliferus, declivi nonnihil directione in annexum eidem duodenum implantatur. Folliculus imum cavæ regionis inhabitans perpendicularem ſituationem ſervat; cujus collum ſeù anguſtior cavitas ſuperiùs ponitur; fundum ſeù amplior pars ad inferiora jacet. Sic in exenterato animali diductis visceribus hepatis perluſtrationem impedientibus, abſque majori cultri adminiſtratione, ſub hepatis limbo aliqualis ſtatim perſpicitur ejus portio, ſeù ſummitas propendentis fundi, & protuberantis, dum reliqua folliculi extenſio a ſuperjacenti jecinoris corpore obvelatur. Producto hinc verticaliter à cervicis apice canali cyſtico; ſe potiùs eodem veſiculæ collo ad ductus fellei inſertionem aſcenſo; patet, ut ſupra, bilem ex ductu hepatico ad hoc bivium deventam, faciliùs in ductum cyſticum, longitudini perpendiculari proximùm à gravitate ſua deturbari poſſe, indèque potiùs per eum in veſiculam appellere, quàm per viam choledochi, horiſontali affinem, in duodenum.

§. II.

Qua parte cyſtis cervix elatiore ſui productione anguſtior eſt, & magis conſtricta, ſeu in ejus collo, valvulam inſidere, olim à Bauhino deſcriptam, aliquando ſimplicem, aliquando duplicem, aut triplicem, figuræ plerumque ſemilunaris, & non raro cochleę in modum extenſam, præpedientem ideò, quô minûs bilis ductus hepa-

hepatici ſubintret reſervatorium hujuſmodi, hucusque nobis compertum non fuit. Clariſſimus *Laurentius Heiſter*, in Univerſitate Altorfina Profeſſor Famatiſſimus, Qui nuper elucubratiſſimum compendium ſuum anatomicum, ac vivaciſſimam Apologiam ſuam circa *cataractam*, *glaucoma*, *&* *amauroſim*, *unâ* cum epiſtola candore plena dono mihi humaniſſimè transmittebat; in duobus ſubjectis publicè diſſectis cochleares, ſeu ſpirales prædictas valvulas ad collum cyſtis felleæ demonſtraſſe aſſerit. Haſce, valvulis per inteſtina Rajæ piſcis, & leporum productis, vir acuratiſſimus aſſimilat: valvulas inſuper alterius generis in cyſtium earumdem collis delineat. Ex valvularum hujusmodi obſtaculo obſervabat, tranſmiſſionem ſtyli per ductum cyſticum ad folliculum iri impeditam. Habentur hæc omnia in obſervatione 38. *centuriæ 6ª. ephemeridum noſtrarum nat. curios. anni noviſſimi* 1717.

§. III.

Sed cùm Author peritiſſimus de earum exiſtentia in ſubjectis aliis dubitare videatur; aſſerendo eodem loco, ſtylum in aliis ſubjectis à ductu cyſtico in folliculum traduci: *Qualis aliàs facilè tranſit:* Ideò probabiliter ſtructura hujusmodi ſpiralis colli veſiculæ interni adnumeranda erit inter res extraordinarias, & raras; Ut etiam in rariorum cenſum arroganda eſt fabrica ab eodem *cl:* viro expoſita ejusdem ductus cyſtici in primo ex dictis ſubjectis; in ſinum nempe hucusque inviſum efformata, & inſtar funiculi contorta; inſuper appendix notabilis, hians per peculiare orificium in cyſtim, valvulâque lunatâ munita, quam pariter Profeſſor laudatus deſcribit. Præterea, ſpiralis ſtructura ad parietes mediocris canalis inſculpta impedire non poſſe effluxum, aut curſum contentorum ab una ad aliam directè, aut retrogradè canalis extremitatem videtur, quotiescunque cauſæ moventes curſum accedant. Medium etenim canalis patulum eſt, & liberum ab impedimento asperitatum ſpiralium, lateribus dumtaxat inſitarum: Quod patet allato exemplo cavitatis inteſtinalis Rajæ piſcis, & leporum. Quod ſi per valvulas hujusmodi, aut ſimiles, eô limitaretur commercium cyſtis felleæ cum ductu hepatico, ut bilis ſolùm ex cyſti in ductum corrivari poſſet, non ex ductu

in cyſtim; Undè jam bilem accipient ſuam folliculi hujusmodi illorum animalium, de quibus inferiùs, qui per totum ambitum ſuum prorſus diſterminantur ab hepate, ab illo longè aſſident, & bile intereà ſemper turgiduli obſervantur?

§. IV.

Quod certum eſt; Nos in cujuscunque generis animalium cyſti fellea non niſi ad cervicis finem, & colli principium anguſtiam quamdam ab anulo musculari obvoluto productam vidimus; in quo concurrimus cum *cl. Gliſſonio*, ab eodem celeberrimo *Heiſtero* citato; qui nempe valvulas hujuſmodi cyſticas, propriè liquidorum effluxus ex hepatico ductu in cyſtim inhibentes excludit. Nec unquam valvulam ibi quamcunque inveniſſe aſſerit, *Gliſſonius* præter fibroſum anulum dictum, ſeu ſphincterem; qui forſan anatomicis impoſuit. Cæterùm curioſiſſimæ ſunt, & ſummâ æſtimatione excipiendæ Eruditiſſimi *Heiſteri* obſervationes. Nobiliores aliæ in dies expectandæ ab indefeſſo, quàm maximæ expectationis, diligentiſſimo Viro, & in rebus anatomicis apprimè verſato.

§. V.

Aliæ interim, hæque nervoſiſſimæ obſervationes hanc bilis diſtributionem ex ductu hepatico in cyſtim convincunt, & I. obliqua ductûs biliferi in inteſtinum inſertio, firmæ carunculæ circulo ad ejus osculum, tamquam ſphinctere, armata, liberæ in inteſtinum bilis percolationi obluctatur; Sicque hoc pacto facilè in canalem ſuum retroactus liquor, qui jam hiatûs cyſtici occurſum evaſerat, ad eundem ſubeundum compelli poteſt, & ad deſcenſum in cyſtim: Huncque nullimodè vetat fibroſus anulus, ad ejusdem veſicæ felleæ fores circumductus; qui per celeberrimi laudati *Gliſſonii* calculum, infirmiorem multò reſiſtentiam objicit, quàm dictæ inſertionis in inteſtinum obliquitas. II. Apertâ duodeni cavitate in cadavere, abſque ulla hepatis dimotione à ſitu ſuo, vix bilis veſtigia deprehenduntur in inteſtini gremio, quo tempore turgida, ut plurimum, copioſo hoc fluido occurrit veſicula. III. Ductus hepaticus in animalibus perfectis non ſolùm per cyſticum meatum, ſed per plures alios minores à recentioribus perſpectos, ſæpe à me demonſtratos; nec non inferiùs exponendos communicat

nicat

nicat cum veſicula; quibus ſcilicet, tamquam totidem æqualiter rivulis, totum pene ſucci bilioſi fluentum in dictam cyſtim tranſfundat; Quod indè ab eadem veſicula ex applicitis comprimentibus cauſis, per vices, undâ uberrimâ exprimitur, ut videbimus inferiùs. IV. In cane vivo dilaceratâ veſiculâ usque ad cervicem, non tantùm bilis ex anguſtiore cyſtico ductu per latiorem cervicem turgescentiâ quadam, & copiâ eructatur; ſed idem cyſticus poſt injectum ipſi vinculum notabiliter intumeſcit. V. In animalibus in quibus deeſt folliculus felleus, appendices variæ ſacciformes viſæ ſunt, ductui hepatico per ductum peculiarem cyſtico analogum appenſæ, ex eoque, absque alia hepatici viſceris communicatione, ſuccum biliarem, ex quo turgebant, excipientes. In homine felleâ veſiculâ deſtituto ſacculum etiam hujusmodi, cyſtis vices implentem, & immediatè ab hepatico ductu per vas cyſtico ſimile bilem haurientem vidit *cl Petrus Wolfartius*; ut ex ejus obſervatione, & figurâ, principio centuriæ quintæ nat. curioſor. anni 1717. noviſſimè inſertis. VI tandem in quibuſdam animalibus, ut in viperis, & ſerpentibus variis veſicula ab hepate prorſus diſterminatur, multo intervallo ab eo diſſita; ac ſolo meatûs ſui cyſtici interventu, cum poro biliario communicans: Quæ tamen cùm, proportionaliter ad hepar, notabili fruatur magnitudine, ac bile ſemper turgidulâ occurrat, non tantùm manifeſtat bilem ſuam haurire per ductum cyſticum ab eadem bile, quæ ductum totum hepaticum rigat, eâque impleri; ſed & conjiciendum relinquit, totam penè ejusdem ductûs hepatici ſarcinam ad eamdem veſiculam devehi, ibidem per aliquod temporis reſervandam. Quod erat probandum.

§. VI.

Et ſi ad rei propoſitum confirmandum valet analogia ex partibus animalis aliis mutuata; Perluſtra jam ſpermatica virilia; & eandem ſtatim obſervas correſpondentiam inter vas deferens, veſiculam ſeminalem, & urethram, quam tibi exporrigo inter porum hepaticum, veſiculam biliarem, & inteſtinum. Liquor ſeminalis per deferentem ductum immediatè in urethram transmitti poteſt, non minus ac bilis per ductum jecorarium in duodenum:

Uterque humor viſcidulus eſt; recrementitius Sanguini; ſed uſui principali & temporaneo deſtinatus; Hinc quia ſemen non ſemper in urethram derivari debet, ſed ſolo coitûs momento; ſic non ſolùm vas deferens obliquè immergitur in urethræ tunicas, ſed inſuper ad vaſis ejuſdem oſculum in urethræ ſinum annulus jacet muſcularis quidam, ſeu caruncula, continuam illius percolationem impediens: Quæ jam benè quadrant cum caruncula, & obliquitatis machina ad excurſum & inſertionem canalis hepatici in inteſtinum poſitis, ac nullo alio naturaliter, præterquàm chiloſeos tempore, bilioſæ ibidem quantitatis influxum permittentibus. Cùm autem ſemen à perenni in urethram diſtillatione impeditum, per collum cyſtis ſeminalis eidem vaſi deferenti appenſum in eandem cyſtim ad tempus deponatur; ſic ex eadem temporaneæ reſervationis neceſſitate comprobatum & manet officium inſertionis ductûs cyſtici; ad influentiam ſcilicet bilis ex laudato ductu hepatico per eum in cyſtim ſuam; indéque & ad effluentiam, ſuo tempore, à cyſti per eundem rurſus in ductum hepaticum; non minùs ac accidat liquido ſeminali, ex vaſe deferenti per collum veſiculæ ſuæ, in eandem tranſmiſſo, ſuoque indè tempore per idem collum rurſus à veſicula in deferens vas retrogrado. Et quia ex coalitu colli veſicæ ſeminariæ cum vaſe deferenti, tanquam ductus communis componitur, excurrens indè, per urethræ tunicas obliquè uſque ad ejus cavitatem; quem propriè ejaculatorium appellabant antiqui; eodem & ritu ex concurſu colli veſicæ bilioſæ cum ductu hepatico efformatur ductus communis, in inteſtinales indè tunicas uſquè ad earum cavum inſertus, quem propriè cholidochum vocamus. Et ſic à paritate probata ulteriùs aſſertio. De alio autem bilis in cyſtim ulteriori influxu dicemus *Capite ſequenti* XX.

CAP. XIX.

Exponitur modus effluxûs bilis ex cyſti.

§. I.

DEpoſitum autem in cyſti ſua humidum bilioſum, tandiù convaſatum moratur, donec ejus exitum & in inteſtina excurſum

ſum expoſtulet chilificationis opus. Quoniam autem per ductum verticaliter aſcendentem celebrari debet hæc bilis emiſſio è veſicula, & per ductum reſpectu ad veſiculam notabiliter amplum, capacitati etenim pennæ gallinaceæ æqualem, qualis eſt meatus cyſticus; per quam reverà amplitudinem non pedetentim, & ſucceſſivè veſiculæ exonerationem fieri, ſed ſubitò & impetu quodam, per leges mechanicas patet; Hinc jam inquirenda venit potentia per vices huic bilis folliculo, ſeu in chiloſeos occaſione admota, quæ fluido tenaci & lento non ſolùm contra gravitatem propriam, ſed inſuper cum quodam celeritatis impetu, ſurſum trudendo ſufficiat: Et hæc ponderoſa ſanè conditio validiſſimi momenti potentiam exigit, quæ ideò in ipſomet ſolido veſiculæ membranoſo non inſidet; ſeu, quod idem eſt, ex ipſamet ejuſdem tunicarum contractione venire non poteſt per varias rationes evidentiſſimas. Primò, quia villis contractilibus non eſſe ſufficienter ditata reſervatorii hujuſmodi involucra, ſeu vix quidpiam muſcularis proſapiæ eis advolutum, ac interpolatæ huic extruſioni opportunum, ſuperiùs vidimus. Secundò, quia, ubi dari per vices poteſt ſuperaddita contractio, vigere præcipuè debet continuò naturalis; hæc autem naturalis contractio neceſſariò exercetur, cum vacuata à contento liquore veſica, tollitur ejuſdem actionis impedimentum: Sic videmus veſicam v. g. urinariam, exhauſto ab ejus cavitate lotio, ſpontè adeò contrahi, ut latera ejus interiora mutuò ſe tangant penè: Cùm autem exinanita à liquore ſuo fellis veſica, in capacitatem non minorem quàm antea ſe contrahat; ſed flacida reſtitent ejuſdem latera, & æquè ac priùs à ſe ſe invicem diſſita; inferenda jam remanet, ex nulla in hoc vaſe contractionis hujuſmodi naturalis exiſtentia, & impoſſibilitas ſuperadditæ per vim propriam contractionis, ad liquidi contenti excretionem facientis. Tertiò, quòd, licet daretur in cyſti ſufficiens prædictæ contractionis poſſibilitas, aſſignabilis tamen cauſa non eſt, cur per vices, ac intervalla inæqualia in actum veniat; hocque potiùs momento quàm alio: Nec in petitæ rationis cenſum adducenda eſt plena-met ipſa, & ultima comprehenſi liquoris congregatio, ſeu ſaturationis punctum,

quod indè ſuperadditum contractionis momentum potenter exſtimulet, ut potè quæ ſæpè in apertis animalibus obſervatur completa ſaturatio, abſque eo quod in ſe ſe exonerandi tentamen spontè ſurrexerit turgeſcens receptaculum; ut patet ex dictæ turgeſcentiæ perſiſtentia.

§. II.

Quærenda igitur jam eſt ab extrinſeco potentia hujuſmodi, veſiculæ biliariæ per vices admonenda; in parte ſcilicet adjacenti aliqua, quæ per vices validè eidem applicata, fortiterque premens, contentum laticem foras extrudere poſſit, & per vias urgere ſuas: Nec aliam folliculo propriùs attiguam partem, huicque operi congruam invenio præter ventriculum-met ipſum; quem alimentariæ digeſtionis tempore cominùs conſiderans, dicta poteſtate præditum invenio. Cùm etenim ſtomachus in vitali ciborum coctura non ſolùm ab eorum mole, ſed ulteriùs à fermentativa rareſcentia quadam magis magiſque diſtendatur; ejuſque cæterum, ſupra alias partes, ſtricta ſit ad cyſtim biliferam adjacentia, nonne patet hunc utrem, quò plùs grandiorem turgeſcentiæ menſuram tetigerit, eò plùs validum preſſionis niſum admoturum cyſti, adeò ut coactis invicem hujus recipientis parietibus, ac notabiliter coarctatâ cavitate, comprehenſa liquoris unda ſpatium ſic arreptum ſibi, quærere alicubi velociter debeat, per porum ſcilicet cyſticum, & choledochum in inteſtini cavitatem, unà cum bile hepatica in itinere adjuncta; Nec dices tantæ truſionis urgentiæ obluctari poſſe reſiſtentias in via occurrentes, altitudinis ſcilicet colli veſicæ perpendicularis, gravitatis liquidi detruſi, annuli fibroſi ad cyſtis cervicem circumducti, inſertionis choledochi obliquæ, firmæque tandem, & quaſi muſcularis carunculæ ad inteſtini ingreſſum; ſi leve machinularum ſimul harumcè omnium momentum cum ampliſſima prementis ineluctabiliter ſtomachalis potentiæ quantitate menſuras. Nec in medium adduces imaginarias quorundam * antiquorum valvulas colli & cervicis cavum in cyſti fellea occupantes, ſicque, & liberum hunc bilis prohibentes aſcenſum, ſi digito veſiculam leviter comprimis; quo caſu bilem perſpicis à cyſti in choledo-

* *Andreas Laurentius: Aliique.*

chum

chum per ductum cyſticum ſurſum liberrimè, & deorſum adigi.

§. III.

Favent aſſertioni noſtræ circa ventriculi actionem ad bilis burſulam, tres obſervationes conſpicuæ. Prima eſt quòd in animalibus poſt longam inediam eviſceratis, cum flacido & concidente ventriculo, exuperanti ſemper bilis copia turgeſcens & plena cyſtis offenditur; in aliis autem poſt lautam ciborum ingeſtionem apertis, cum tenſo & prominente ſtomacho ſemiplenus obſervatur folliculus; quod manifeſtè evincit bilem ſolùm quietè degere, & congeri, in conceptaculo ſuo, cùm tenſio incumbentis ſtomachi eam non urget ad exitum; & per hoc etiam in fœtu humano ex parva inanis penè ventriculi ad eandem veſicam compreſſione, ea ſemper plena perſpicitur. Secunda, quod Cervus, Equus, aliaque bruta, quæ per multas indeſinenter horas pabuli devorationem protrahunt, imò, & penè continuò devorant, ſi eis ſinitur; ſicque & continuum penè exercent in inteſtino chilificatorium munus, fellis veſiculâ carent, pro ut perpetua ſtomachi turgeſcentia eam receptionis biliaris imparem, ideóque inutilem redderet; dum cæterum ob ejus defectum profluit indeſinenter per ductum hepaticum abſquè diverticuli interruptione bilis ad inteſtinum, ibidem ad continuam penè functionem neceſſaria. Datur autem ruminantibus cyſtis, Ovibus, Bobus &c. quia longum in eiſdem iter maſſæ chilaceæ per ventriculos & ora, interpolatam facit chili fabricationem in inteſtino, ſicque & interpolata venit bilioſi affluxûs neceſſitas. Tertia, quod animalia voraciora, & vegetiùs chilificantia, ſicque & copioſiorem bilis penum exigentia, ut Vrſus, Lupus, &c. non tantùm ventriculum habent toroſis fibrarum muſcularium planis notabiliùs præcinctum, ſed & fellis veſiculam proportionaliter grandiorem, & attiguam magis eidem ventriculo; adeò ut ex titulis hiſce omnibus copioſior indè exprimatur bilis. Cæterum interpolatum hunc ventriculi tumorem ex attiguo reſervatorio bilioſos humores extrudentem comparo cum tumore arteriæ magnæ ſuccos chiloſos ex adjacenti eorum receptaculo exprimente: Sicuti etenim valida

extenſio aortæ per alternas ejus diaſtoles ad glandulas lumbares facta, impetit adeò ciſternæ vicinæ parietes, ut liquida contenta nutritia per perpendiculares vias thoracicas, victis reſiſtentiis quàm plurimis, ſuperiùs propellat; ſic etiam robuſta ſtomachi per vices expanſio, in prædictum folliculum tam nititur; ut contenta fluida verticaliter aſcendere, varioſque obices ſuperare cogat. Ex diverſis autem ductuum hujuſmodi verticalium altitudine & diametro, jam concipis diverſam celeritatis rationem in liquidis hujuſmodi detruſis, & aſcendentibus.

§. IV.

Cùm igitur à ſtomachi preſſivo niſu feriatur felleum recipiens, liquidum in eo liberè congregatum non ſolùm à prædicta hujus vaſis poſitura prohibetur ab exitu; ſed inſuper & ab annulo fibroſo laudato, qui potens ex ſe ſatis retinaculum eſt, quotieſcunque à fortiori allata potentia non ſuperetur. Perficitur interim quieſcens bilis, & ad chiloſeos operam præparatur, evectis, explicatis, ac nobiliùs fermentatis activioribus elementis ſuis. Sic ex ſolo ductu hepatico excepta bilis pallidior eſt, minùsque mordax & ſapida, quàm quæ in folliculo aliquandiù reſederit; ut jam diximus. Cùm autem ejus diſtributionem petit perficienda in duodeno alimentorum exſolutio; Tunc tantùm ejuſdem exhauritur ex cyſti ab inſtrumento chilificativo primario, ſeu ſtomacho, quantùm ad dictam functionem requiritur. Et reverà, quia ſecundùm ingeſtorum copiam, majorem, aut minorem, plus aut minùs expanditur fundum ventriculi, ſic ex majori aut minori ejusdem ampliatione plus etiam aut minùs compreſſus felleus folliculus, majorem aut minorem copiam liquoris ſui in inteſtinum eructat; adeò ut ad intumeſcentiæ ſtomachalis gradum, gradus preſſuræ cyſticæ proportionetur; Sicque ſecundùm alimentaris maſſæ ſolvendam quantitatem, bilis proportionaliter & quantitas deſcendat opportunè in duodenum, eam debitis utilitatibus donatura: Quod bene quadrat cum animalis œconomiæ legibus. Patet itaque nunquam ex unica ventriculi actione bilem totam ex cyſti ſua exhauriri; rariùs ejusdem medietatem; ordinariò portionem minorem; pro ut nunquam expanſus ventriculus totam

implet cyſtim tumore ſuo, rariùs ejusdem medietatem, ordinariò portionem ejuſdem minorem.

CAP. XX.

Vaſa cyſtis propria; eorumque uſus.

§. I.

LIcet, quæ in ſuo folliculo ſenſim colligitur bilis, magnam partem adveniat per porum cyſticum; aliæ ulteriùs præter hoc immiſſarium ſe ſe manifeſtarunt ſcatebræ, nonnullam dicti liquoris quantitatem in hoc etiam receptaculum tranſportantes. Plures adnotantur vaſculares tractus inæqualium inter ſe ſe cavitatum, fundum veſiculæ & cervicem inoſculantes; quorum indè progreſſus in profundam hepatis ſubſtantiam immergitur. Perſpecti jam dudùm fuere ab antiquis * quàm plurimis ſpeciales hujuſmodi cyſtis bilaricæ ſiphunculi, radicum ejus, aut fibrarum nomine ab eisdem donati. Mox à * modernis atoma magis inſpectione veſtigati, detecti ſunt notabiliter cavi, fluidoque bilioſo ſaturati: Horum aliquales obliquè inter cyſtis tunicas inſerti, ſicut ureteres inter veſicę membranas: hiantes inſuper in cavum veſiculæ, quadam ad eorum terminum protuberantia ad inſtar fibroſæ annularis carunculæ, quemadmodum in inteſtinum deſinunt ductus pancreaticus, & cholidochus: valvulis tamen, ut lactea vaſa, in cavitatibus ſuis non præditi (licet diverſum ſit aliquorum * judicium): multiplices autem in animalibus variis, ſed non ejuſdem in eis numeri: In duplicem manifeſtè claſſem præcipuè diſtincti; pro ut ex hiſce canalibus aliqui immediatè cum ramis ductûs hepatici majoribus, poſt aliqualem eorum per hepar excurſum, plenâ inſertione communicantes, occurrunt; alii autem per ipſummet hepatis parenchima indefinitâ terminatione diſperduntur: Inter hæc vaſa majuſculum unum & grandius notatum, exactéque jam à ſæpiùs laudato * authore, aliiſque deſcriptum, à ductu hepatico paululùm antè cyſtici inſertionem emergit; indeque veſicam ad poſteriora cervicis propè collum ſubit, duplici

* *Spigelius Iaſolinus. Bauhinus. Riolanus. Aliique.*
* *Gliſſonius. Rudbeck Blaſius. Blancard. Sladus. Bartolinus Th. Perault. Verheien. Aliique.*
* *Amſtelodamenſes.*
* *Gliſſonius.*

duplici ordinario inſertione, per duos ſcilicet ramos, in quos propè veſicam diſpertitur ejuſdem truncus. Horum omnium canalium uſus ad unicam bilis in recipiens ſuum deportationem decantatus fuit; Hinc cyſt-hepatici ab * aliquibus; ab * aliis autem hepati-cyſtici meliori omine noncupantur. In grandiorum animalium jecinore reperta primò fuere hæc vaſa, ad humanum indè & hepar appropriata.

* *Perault.*
* *Verheyen.*

§. II.

Ipſe patienti curioſitate eadem vaſa ſæpiùs perſcrutatus in animalibus quamplurimis, Bobus, Equis, Suibus, & etiam Moloſſis vix ſtrangulatis, ductus primæ claſſis ſuperiùs deſcriptos à cyſtis cervice aut fundo non difficilè inſectabar uſque ad inſertionem in ramos trunci hepatici majores: difficiliùs originem alterius claſſis expoſitorum, ſeu ad ipſammet hepatis ſubſtantiam apparenter terminantium explorare poteram. Sed tandem, improbis laboribus non parcens; exactiſſimo, flatûs, cultri, oculi miniſterio, & face clareſcebat mihi, minutos etiam hoſce ultimos canaliculos, non minùs ac priores, ex ipſiſmet pori biliarii ramis exoriri, ſed minutioribus, magiſque in hepatico receſſu ſepultis. Varium amborum canalium numerum in ſubjectis variis attingebam: In hepate ſuillo, quod erat ultimò præ manibus tria tantùm, fateor, vaſcula primi generis, ſeu grandiores pori biliaris ramos cum veſica amplè communicantes, obſervabam; duo autem ſolùm alterius generis, ſeu à veſicula uſque ad remotiores, & minutiores ejuſdem pori propagines progredientia, inſequi poteram; licet numeroſiſſimi eſſe debeant ad unamquamque cyſtim felleam hujus familiæ canales, ſed ob exilitatem, inquirentium anatomicorum operam facilè eludentes. Quod autem præcipuè in ambabus harum fiſtularum ſpeciebus attentiùs obſervabam, earum erat diſtributio. Et ſiquidem tam vaſa hujuſmodi ad ramos ductus hepatici majores, quàm ad minores tendentia ex ramis conſtant variis in unicum truncum coaleſcentibus: ſed diverſitas eſt, quòd vaſa primi ordinis, ſeu à veſicula ad ipſummet ductum hepaticum, aut majores ſaltem ejuſdem ramos inſerta, truncum habent ſuum ad hunc ductum, diramationes autem

qua

qua parte communicant cum veſicula; in quam ſcilicet non unico trunco, ut in ductu, ſed diverſis intrant principiis, oſculiſque, ac ad minùs duobus: Quæ autem à veſicula cum intimioribus, & minoribus ductus bilarii ſurculis concurrunt; ſeu ſecundi generis vaſa, ramoſitates è contrà habent ſuas ad dictum cum poro bilario concurſum, ſeu diverſis, & ad minùs duobus principiis ex eo pullulant; Quæ indè ramoſitates ante veſicæ contactum in ceſpitem coalitę, eo indè unico in eam aperiuntur. Obſervabam inſuper hæc ſolùm deſcripta ſecundi generis vaſa obliquè in cyſtis tunicas inſeri; ac tuberculo ad eorum hiatum donari; non autem primi generis alia. Sed hęc omnia meliùs lectori conſtabunt ex nitidis iconibus ſuis, ſuo tempore, ad anatomes utilitatem, exhibendis.

§. III.

Quoniam autem curſus liquidi craſſioris, ut bilis eſt, infallibiliter à cavitatibus minoribus in majores dirigitur, ſeu à ramis in truncum, non autem è contrà; ut luculenter à celeberrimo *,* Viro demonſtratur; & manifeſtum eſt in motu bilis per porummet ipſum bilaricum, in cujus propaginibus agitur principium motus progreſſivi hujus liquidi, terminus autem in trunco ad inteſtinum protenſo; ſicque ex hac bilis via majori, & regia, norma deducenda eſt ad minores alias. Idcircò ex perſpecta canalium cyſtis habitudine prædicta, abſque ulla ſtatim hæſitatione percepi, in vaſis illis, quæ à veſicula pluribus ſoboleſcunt principiis, compoſitis indè in unicum truncum ampliores ductus biliarii tubos ſubeuntem, motum bilis fieri a cyſti ad ductum; in aliis autem, quæ principiis è contrà variis è ductus ramis minutioribus emergunt, indeque, in truncum conjuncta, veſicam ingrediuntur, bilis motum & è contrà fieri; à ductu ſcilicet ad veſicam; adeò ut omnia hęc ſpecialia cyſtis vaſcula ſint vię communicationis genuinæ, & reciprocæ inter ductum hepaticum, & eandem veſiculam; Quarum aliquę fluidum bilioſum ab illo ad hanc adferant; aliæ è contrà ab hac auferant, & ad illum devehant. Ex curioſo hoc veſicę felleæ ductuumque biliariorum duplicato commercio maximam in animali machina utilitatem animadverto.

, *Bellini.*

P §. IV.

§. IV.

Quoniam etenim ad chiloſeos complementum derivatio poſtulatur interpolata liquidi bilioſi à cyſti ſua per choledochum in inteſtina; ut vidimus ſuperiùs; Hęcque derivatio in duplici caſu impediri poteſt; vel ſcilicet cùm obſtructis (quęcunque ſit cauſa, ut materies limoſa, calculoſa, propriave craſſities aucta &c.) ramis ductus hepatici, ab eodem per conſequens deponi nequit in cyſtim bilis, nec inde ex ea in inteſtinum deferri; vel cum obſtructo meatu cyſtico, bilis ab hepatico in cyſtim deſcendere non poteſt; & præcipuè, ſi collecta jam pridem fuerit in veſica, ulteriùs tamen impar eſt ad tranſcolationem ex ea in cholidochum: Sic duplicibus hiſce communicationis viis duplici huic impedimento remedium apponitur. Et equidem demus interceptam eſſe, ob cauſam aliquam, cyſtici canalis permeationem, ſicque & prępeditum hic loci trajectum bilis ab hepate ad cyſtim, aut ab ea ad cholidochum; quotieſcunque ventriculus digeſtionis tempore veniet, ut ſupra, ad felleæ cyſtis preſſuram, liquidum in ea contentum, debitoque muneri præparatum, in ductus productos ab ea ad ramos majores hepatarios expreſſum, jam per hepaticum, & choledochum adhuc indè deſcendet in duodenum. Demus jam fortiter infarctos eſſe, aut compreſſos per occaſionem aliquam eis interaneam, aut extrinſecam ramos pori biliarii, ſicque per eos prohibitum bilis curſum ad truncum hepaticum, indeque ad cyſtim &c. non-nè per canales hepati-cyſticos, communicantes cum minutioribus ejuſdem ductus propaginibus, ideòque ad locum infarctus ſuperioribus, adhuc bilis in cyſtim deportabitur, ad ulteriores indè fluxus ſuos per ſupradictam ſtomachi actionem determinanda? Ob hanc ideò rationem eſt, quod quæ cyſtis radices ab ea ad ductum hepaticum, ad occaſionem impedimenti meatus cyſtici, derivationi bilioſæ ſunt deſtinatæ, in majoribus ejuſdem ductus diramationibus inſeruntur, non longè ſupra inſertionem ejuſdem cyſtici; ſeu minori quantùm poſſibile ſit ab inteſtino diſtantia; ut indè bilis à cyſti in porum elutriata, devehi ſtatim poſſit ad inteſtina: Quæ autem radices à ductu hepatico ad cyſtim devehere aptæ natæ ſunt, in occaſione impedi-

impedimenti ad ejuſdem ductus progreſſum, minoribus ejuſdem ductus propaginibus inoſculantur; longiùs ſcilicet quantùm poſſibile ſit ab ejus fine in inteſtinum; in ejuſdem nempe principiis, & radicibus; ut ſic ſuprà impedimentum remaneat per eaſdem libertas bili ad tranſcolandum in cyſtim. Et ecce quod circà denominationem tubulorum hujuſmodi cyſticorum conciliare poſſumus authores * ſuperiùs laudatos; cyſt-hepaticos eos appellando, qui à cyſti deferunt ad hepar; hepati-cyſticos autem, qui ex hepate ad cyſtim tranſportant bilem. Et Nota ductus hepati-cyſticos, etiam patula meatus cyſtici via, bilem ſemper in folliculum devehere, licet fluidi per hæc hepati-cyſtica devecti quantitas tantùm ſit minor quantitate fluidi per porum cyſticum delati, quantùm minor eſt illorum ſimul ſumptorum cavitas iſtius cavitate.

* *Perault. Verheyen.*

§. V.

Manifeſtum eſt igitur, diſperſum hoc per hepatis ſubſtantiam minutorum diverticulorum commercium artificioſum, liberum bilis fluorem ſervare per porum hepaticum, cyſtim, & ductum cholidochum, vigentibus licèt in hoc viſcere partialibus obſtructionibus variis. Quòd ſi obſtructio univerſalis ſit per hoc organon, aut in ipſomet ſecretionis fonte, ſeu glanduloſis concurſibus defixa, ut in ſcirrho generali; aut in tota ſaltem eadem cyſti, ut in pleno ejuſdem infarctu calculoſo; tanta non obſtante providentia, actum eſt de bilis diſtributione per dicta vaſa, & ab eis per inteſtina: Quod benè teſtantur ſuccedentes indè res affectorum malæ. Aſſertis igitur, ad calcem capitis, in duo verbula contractis, duo ſunt ad cyſtim felleam liquidi ſui immiſſaria, duo & emiſſaria: ex primis unum ſunt ductus hepati-cyſtici; ex alteris unum ductus cyſt-hepatici; ut mox vidimus; Utriuſque autem officium gerit per vices meatus ipſe cyſticus; ut etiam vidimus *Capitibus duobus præcedentibus.* Hujus in utroque inſtrumento duplicitatis commodum percepimus; ut ſcilicet in alterutro horum canalium genere una ſpecie à munere ſuo feriata, & intercepta, congener ſuppleret altera. Nec minor circumſpectio uſurpanda erat in organo, per quod fluidum per-

fluit ſat lentore præditum, ut facilè ſibi ipſi vias obſtruere poſſit; præcipuè quod partibus etiam aliis humani Corporis conſpicuis, ac ſola tenuiorum laticum turba irrigatis eadem applicetur cautela. Sic variæ obſervantur in cerebro, in medulla ſpinali, in utero, inoſculationes, uniones, commercia, in arteriis, in ſinubus, in venis; ut ſcilicet in aliquo ex hiſce canalibus præpedito fluidorum curſu, per communicantes alios perennari poſſet: Sic ideò duo jacent ad lumbos renes; ut uno impedito, per alterum adhuc celebretur functio ſecretionis urinariæ.

CAP. XXI.

Quantitas bilis, quæ in hominis hepate naturaliter excernitur.

§. I.

EX eo, quòd ſanguis bile ſpoliandus ſua, notabiliter tardigradus ſit per hepatis acinos; ut jam demonſtravimus: Quòd inſuper hepar, præter diaphragma, nullis circumſepiatur potentiis muſcularibus ejus moli proportionatis, quæ continuis indè preſſionibus, aut alternis, ejus functionem accelerent: Quòd præterea tùm liquidum ſecretum, ſeu bilis, notabiliter lentum ſit, & viſcidum; tùm ejus emiſſaria, ſeu ductus excretorii ad cavam viſceris regionem jacentes, ſint extrà actionem tùm diaphragmatis, tùm alterius cujuſcunque agentis extrinſeci, quòd liquida contenta ad fluxus ſuos detrudat: Quòd denique naturalis horum ductuum biliferorum poſitura in viſceris corpore, vel ad aſcenſum, vel ad planum, parùm ad declive ſuccos comprehenſos dirigat; ex his omnibus evincitur parum bilis reſpectivè ad totam humorum maſſam per datum tempus in hepatis colatorio ſecerni: Sicque dato, per authoris * toties commemorati calculum, quod particulæ felleæ in maſſa exiſtentes à ſanguinearum copia pluſquàm centies ſuperentur; concludendum eſt, quòd datâ, ut eſt communiùs, quantitate ſanguinis in homine ad lb. XX, quantitas bilis in maſſa non aſcendat ad unc. ijss: indèque dato quòd

* *Gliſſonius.*

quòd ſpatio 24 horarum poſſet totum ſecerni in colatorio ſuo liquidum hocce, ac cibariis reſtaurari (quod tamen ſubleſtæ eſt probabilitatis) remaneret quòd ſecretio bilis in hepate per datum diei tempus non tranſcenderet quantitatem allatam unciar. 2. ss: . Cùm autem in canibus per octiduum ab alimonia quacunque omnino prohibitis, ſicque ex inedia denatis obſervaverimus veſiculam fellis, & vaſa bilaria bilem adhùc continere; inferendum remanet totam bilis in ſanguine exiſtentis quantitatem ſpatio 24. horarum non tranſcolari in hepate: Sicque jam quantitas bilis, quę ſingulis diebus naturaliter ſecernitur in hepate hominis, reducetur ad minorem quantitatem, quam communem illam aſſignatam unciar: ijss. . Nec obſtat aſſerto experimentum, quo, ligatis poro bilario, choledocho, aut jejuno inteſtino in animali vivente, hi ductus bile ſatis turgidi obſervantur; eiſque per inflictum vulnus apertis, permulta ſatis bilis quantitas recolligitur; hoc etením non niſi poſt longum tempus accedit; & ſolùm per hoc, quòd ex intenſiſſimis doloris ſtimulis ab immani operatione excitatis per partium continentium, ipſiusque viſceris lacerationes, diſtenſiones, ligaturas &c. concitatur in experimenti martyre violentior multo, ſeu rapidior quàm naturaliter, fluidorum motus in hepate; fitque per conſequens & violenta ſecretio; copioſior ſcilicet quàm in ſtatu naturali.

§. II.

Quantitas autem mediocris bilis, quæ naturaliter in hominis hepate, & veſicula inſidet, eſt ad unc. circiter ſex, ſi experimento acquieſcere poſſum, quo ex cyſti fellea hominis benè conſtituti, & laqueo extincti bile tota diligenter extracta, indèque per repetitas ſyringationes aquę tepidę determinati ponderis, vaſis hepatis biliferis univerſis exactè à bile abſterſis; ex facta hinc ponderum aquæ, & bilis indè immixtæ collatione, prędictam bilis quantitatem in dicto jecore inſidere animadvertebam. Poteſt autem cum legibus motuum animalium, ſingulis hominis humoribus neceſſariò competentium, ſalvari exiſtentia unciar. 6. bilis in hepate & cyſti, & percolationis in eodem philtro unciar. tantùm unius, aut alterius per ſpatium nycthemeri;

me i; eodem ritu ac ſalvatur, aquas maximi lacus ſufficienter loco moveri per perennem ingreſſum, & egreſſum parvi fluminis: Undè ſicuti dicimus aquas lacus, quæ ad menſuram exilis fluminis eas ingredientis, & egredientis, motu cientur lentiſſimo, tantùm adhuc moveri in alveo ſuo, ut nullimodè putreſcant, quamvis dictum flumen ſuum ſit reſpectu ad earum quantitatem, in ratione multò minori, quàm unum ad mille; ſic à fortiori affirmamus, totam hepatis bilem, quæ, ad menſuram modicæ quantitatis ei per datum tempus adjunctę, tardiſſimo gradu per dictum viſcus ſpatiatur, conſtanter proprio in alveo loco moveri à minutioribus per grandiores ductus, quamquàm diei ſpatio addita quantitas in hoc colatorio ſecreta, ſit tertia, quarta, quinta, ſexta, aut minor pars ejus, quod ibibem reperitur ordinariò. Ex hac fluoris bilioſi tarditate in jecore, in ferè jam pori biliarii ramos non ſolùm ductus eſſe ejuſdem bilis, ſed etiàm, & aliquatenus receptacula. Et de facto in animalibus cyſti deſtitutis, ut Columbis, Equis, Mulis, Cervis; Vitulis marinis, Delphinis &c. canales bilarii ſupplent hanc vicem receptaculi; non ſecus, ac in avibus cloaca ſupplet vices veſicæ urinarię &c.

§. III.

Cæterùm aſſertis de quantitate ordinaria bilis tum in hepate inſidentis, tum per diem integrum in hoc colatorio excretæ, multùm repugnat Hypotheſis acerrimi * in rebus mechanicis viri. Hic Mathematicus ſuppoſitâ æquali fluidi contenti turgentiâ in vena cava, & in ductibus biliariis; ſuppoſitis inſuper curſu, & velocitate æqualibus in liquidis per cavam, & ductus laudatos excurrentibus; hinc facta collatione geometricâ orificiorum cavæ, & pororum biliariorum, invenit orificia circularia eorumdem pororum ſuperare ducenteſimam vigeſimam quintam orificii venæ cavæ; ſeu 225. partem amplitudinis orificii cavæ vix minorem eſſe tota amplitudine orificii communis horum ductuum; ad quam per conſequens, & proportionem ducit effuſos ex eiſdem orificiis fluores eodem tempore: Facto indè calculo mediæ quantitatis ſanguinis in homine ad lib. XX., indèque quantitatis circuituum totius ſanguinis per cavam in 24. horis ad 384. vices

* *Alph. Borelli.*

vices (ſuppoſitis ſcilicet quâque hora 16. circuitibus) infert, tranſire in dato tempore per venam cavam 7680. libras ſanguinis; & per conſequens eodem tempore unam ejus quadrigenteſimam, 34. ſcilicet libras biliosi ſucci effundi debere per canales biliares ab hepate intrà duodenum, ſed clara nimis ſuppoſitorum falſitas hanc ſtatim arithmeticam diruit. Et equidem, quò ad primum; nulla ferri poteſt paritas inter repletionem cavæ, & ductuum biliariorum; Cùm iſti longè minùs turgeant ſuccis ſuis, quàm cava contento ſanguine; ut quotidiana autopſia docet: quò ad ſecundum, & principalius; nulla omnino dari poteſt ſimilitudo inter velocitatem ſanguinis cavam alluentis, & liquidi biliaris per ductus ſuos derivati, quando non minùs efficaces occurrunt cauſæ, in hoc tarditatem, quàm in illo velocitatem, per dicta ſua vaſa producentes; qua ſtatim percipis, ſi refers tanta ad fluxum urgentia cavæ appoſita momenta; vaſis amplitudinem; brevem à motus impulſu diſtantiam; tunicarum elateres; perennes arteriæ ſociæ vibrationes; muſcularium potentiarum multiplicitates adjacentes; ſanguinis contenti tenuitatem &c. cum nullis hujuſmodi cauſis ad ductus biliarios in hepatis concavo occurrentibus; nullis ibidem muſcularibus potentiis; nulla competenter amplæ, & pulſantis arteriæ attiguitate; nulla tunicarum cingentium oſcillatione, aut muſcularium adjacentium, præter debilis capſulę, preſſura; alvei exilitate; maxima à motus impulſu receſſione; (ut jam ſuperiùs vidimus) notabili fluidi comprehenſi lentore, & craſſitie, &c. quæ imò omnia, additis fluxus impedimentis prædictis ad Coledochi terminum poſitis, contrarii effectus potiſſimæ ſunt cauſæ; turpis ſcilicet otii reſpectu ad humorem interfluum. Adde quòd aſſertum hocce mathematicum damnant penitùs placida ſuper hac re ulteriora, quæ idem-met author ex hiſce præmiſſis deducit: Inventam ſcilicet ſibi præ manibus tantam bilis quantitatem clariſs. Vir neſciens indè, in quanam occupatione eamdem exerceat; circulare facit, contrà quemcunque œconomiæ naturalis ordinem, tanquàm per Pelicanum in abdomine appoſitum; aſſerendo eam ab hepate in duodenum percurrere; hinc à venis meſeraicis, tanquàm ab hirudinibus

rudinibus exſuctam, per haſce, & per truncum portæ rursùs in hepar; ut ibidem ſcilicet tantam ſecretionem perpetuet: Quam jam hypotheſim ſuperiùs refutavimus. Mitto vos ad legenda in ejus opere paradoxa hæc, aliaque medica, eorumdemque probationes; ut ſtatim mecum ſubſcribatis, intricatiora medicinæ Gordia per ſolas geometriæ ſubtilitates elucidari ſufficienter non poſſe.

CAP. XXII.

Alter hepatis uſus, præter ſecretionem bilis.

§ I.

Licet proportio magnitudinis hepaticæ, reſpectu ad magnitudinem trunci portæ ingredientis, & trunculorum cavæ egredientium, ſit in ratione æquali, cum proportione tarditatis fluidi per idem viſcus excurrentis, & celeritatis ejuſdem fluidi per dictos venoſos truncos derivati, non minùs ac, ob eandem rationem, lacûs ſuperius ad exemplum expoſiti extenſio eſt in eadem proportione cum alveis utriuſque fluminis eum ingredientis, & egredientis; Sicque hepatis corpus tamquam exundatio duorum fluminum, cavæ, & portæ, in maximam reſpectu ad iſtarum cavitates amplitudinem expandi debeat, non minùs, ac lacus reſpectu ad ſua flumina; ex quibus jam pateat neceſſitas tam vaſtæ molis in hepate, licèt tam parva in eodem celebretur ſecretio; Quia tamen eadem fieri poterat ſecretio in hoc viſcere, cum multò minori ejuſdem volumine, ſicque, & majori animalis utilitate, ob minoratum ejuſdem organi pondus, variorum motuum libertati repugnans; paucioribus ſcilicet in eo conſtructis concurſibus glanduloſis; quibus, & canalium biliferorum principiis, ac progreſſibus appoſita ſimpliciter potentia aliqua muſcularis fluidi contenti ſecretionem, & diſtributionem accelerans, non minorem inſtitueret ſecretionem, quàm in multiplicibus: Igitur ſi hiſce non obſtantibus, tàm grande viſcus, cum tam modica

dica ſecretione, homini datum fuit; hoc certè non niſi ob ulteriùs aliquod commodum inſtitutum; quòd ſcilicet à tanta ipſamet viſceris magnitudine accedat in homine. Quoniam autem hocce ex hepatis magnitudine commodum non cadit ſuprà aliquod intùs actum in ipſomet viſcere, ut patet ex dictis. Ergo ſuprà aliquod ei exterius, ſeu ſuprà partem adjacentem aliquam; ideòque ſuprà Ventriculum; cui præ aliis attiguis partibus ſtrictiùs, & latiùs adhæret hepar; Ergo ſuper ejus functionem.

§. II.

Et ſiquidem, quoniam actio principalis ventriculi ciborum eſt ſolidiorum exſolutio; manifeſtè percipio ex pergrandis hepatici corporis ad ſtomachum accubitu hoc vaſto, acriter adjuvari facultatem hujuſmodi: Quod clarè oſtenſum vado per duo exempla mechanica, & familiaria, res ſolidiſſimas, ut ſunt oſſa duriora, in liquamen ſolutas exhibentia. Quòad primum; modum edocent Curioſiſſimi * Authores grandiora cujuslibet Animalis oſſa in liquidam ſubſtantiam per mediocrem M. B. calorem brevi tempore elixatione ſolvendi; dummodò ea continens vas in tali occluſione diſponatur, ut tùm igniculi in eum introducti, tùm ſubtiliora ejuſdem ſolvendæ ſubſtantiæ Corpuſcula ab igniculis extricata, & commota, foràs evolare nequeant: Sic vas hujuſmodi Cilindriacum Cooperculo ſtriatim diſpoſito arctiſſimè occluditur; quo ritu ignis Spicula per coctionem intromiſſa, Saliaque oſſium contentorum volatilia à diſſipatione impedita, in Elixæ materiei ſoliditatem retorqueantur; Sicque acriter súſque déque per totam ejuſdem compagem rotantia, liquidumque aqueum immixtum, quàqua versùm introducentia, eam tandem eliquent totam, & ſolvant. Simile, ob hepatis accubitum, accidit eſculentis in ventriculum depoſitis; pro ut recipiens hic uter digeſtivæ elixationis tempore, jam in inferiori orificio à ſphinctere, & mechanica tortuoſitate occluſus, in altero inſuper, ſeu ſuperiori orificio ab adjacentibus viſceribus, ſiniſtrorſum à lienis corpore, dextrorsum & præcipuè, à grandiori, & magis accumbente hepatis mole premitur adeò, & conſtringitur, ut tamquàm operculis ſtrictè appoſitis occluſus, tranſpirare non ſinat activiores menſtrui ſalivaris particulas, à digeſtivo conflictu exaltatas, ac extricatos

* *Boyle. Papinius.*

catos jam ipſiuſmet maſſæ cibariæ ſpiritus; Quibus indè in digerendam maſſam reverberatis acuitur ſolutiva virtus; eique per univerſam ciborum congeriem liberior aperitur via. Alterum exemplum ex Pharmaceutica illa operatione deſumitur, qua fruſta cornu Cervi ità alembici ſummitati applicantur, ut continuò aſcendentibus halitibus aqueis penetrata, emolliantur tandem, & à ſoliditate decidant ſua; quod præparatum C. C. Philoſophicum vocamus. Perſpice jam parem actionem in ſtomacho à jecore peractam: Obſerva vaſtum hepatis corpus adjacens ventriculo; ordinariam ejus caliditatem conſidera ex tanta ſanguinis copia, eum aſſiduè irrigante, lentoque paſſu lingente; & ſtatim concipies copioſiſſimos & halitus calidos humidoſque ex calido humidoque hoc viſcere expirare continuò debere; qui indè in ventriculi Cavum penetrati, ad ciborum ſolidiorum eliquationem unà cum ſaliva faceſſant. Dixi halitus Calidos, & humidos; quia Calidi, & ſicci halitus dictæ non opitulantur ſolutioni, ſed officiunt potiùs; majori ſcilicet in ſolvendo Corpore conciliata induratione. Simplices idcircò ignis halitus calidi, & ſicci collimant nullimodè ad ſolutionem C. C. in operatione prædicta: ſic non malè effati ſunt Priſci, Calidam nimis jecoris diatheſim ad chiloſeos imbecillitatem conducere; prò ut ex tali habitudine, alimenti peraſſatio potiùs, quàm elixatio ſuccedat; in qua ultima omni equidem jure, primæ digeſtionis naturam poſuere. Conſtat itaque ex dictis uſus hepatis ulterior præter ſecretionem bilis à ſanguine; volumine ſcilicet ſuo pergrandi, ad ventriculum accumbente, chilificationis complemento ancillari: Quod etiam arriſit omnibus penè antiquorum Scholis, Chilificatorium aliquale, præter ſanguificatorium munus integrum, hepatis moli aſſignantibus.

§. III.

Additur placitis vis, ex inſtituta obſervatione in animalibus voracioribus, ſícque validiora Chiloſeos inſtrumenta exigentibus; in hiſce etenim multò majùs quàm in Homine, proportionaliter ad alias partes, ſuperbit hepar; ventriculum inſuper ſtrictiùs circumcingens; & multiplicatis lobulis, tanquàm totidem digitis ad unguem complectens; Imò figuram, & molem ſuas ejuſdem figuræ, & moli exactiùs accommodans. Sic in Mure maximum,

per

per collationem ad partes alias, ſedet jecur, ventriculum tamquàm in centro ſuo involvens, & recondens: in Cane fortiùs adhæret hepar ventriculo, eumque ſtrictiùs, & ampliùs amplectitur, quàm in Homine: in Vipera, cujus ſummè energeticum eſt ſtomachi munus, hepar maximum eſt proportionaliter ad alias partes, non tantùm ſuprà, & circà ventriculum protenſum, ſed uſque ad duodenum; ad ultimam ſcilicet chilificationis opellam ibidem adjuvandam incubatu ſuo. Sed quid clariùs illuſtrare poteſt partium fiſtulæ inteſtinali adjacentium munus ad digeſtorium opus humido earum calore fovendum, quàm omenti V. g. disjunctio à dicti canalis incubatu in variis morboſis caſibus ſuccedens, quam indè notabilis excipit indigeſtionis habitus? Vſus itaque hepatis ſecundarius non eſt ſola hypochondrii dextri impletio, ut quibuſdam ex vetuſtioribus placet, ad ſolam indè corporis venuſtatem, poſt hæmatoſeos officium, tam vaſtè efformatum hepar aſſerentibus; quorum vaniloquia hujuſmodi, piget ulteriùs commemorare.

CAP. XXIII.

Tertius Hepatis uſus.

§. I.

Cùm itaque molem præ ſe ferat hepar notabilem: prætereà ſubſtantiæ diſtractilis ſit, & expanſilis; & tanquàm peninſula in abdominis cavo propendens, primo aortæ emiſſario, cœliacæ ſcilicet appendatur: ac præcipuè totam ebibat ſarcinam portæ, in cujus trunco, & diramationibus tertia circiter pars totius ſanguinis in Homine exiſtentis continuò reſidet; ſicque ampliſſimis vaſorum plexibus contextum audiat; ſic Alium inſuper revelat ſecundarium uſum ſuum; ſanguinis ſcilicet diverticulum eſſe unà cum liene, quotieſcunquè, vel copiâ, vel rarefactione auctus hic liquor ultra molem ordinariam, ulteriores etiam, amplioreſque vias exigit curſui ſuo; ſicque ampliabiles fiſtularum hepatis cavitates dilatando, orbitam aperiens grandiorem ſibi. Hæc autem diverticulorum cautela neceſſaria erat in animali, in quo, vel ob alimentorum copiam aut qualitatem, vel ob exercitia for-

tiora, irregularia animi pathemata, ſuppreſſas evacuationes aliquas, aut alias cauſas ſanguinis maſſam augeſcentes, aut rarefacientes turgeſcit hic liquor in vaſis adeò, ut extra eorum aream exundare poſſit, & ſpatium ſibi quærere in varias corporis cavitates, aut ſubſtantias, magis minùſve principales, cum ſubita indè animalis nece, aut graviſſimis ſaltem ſuccedentibus morbis; Quod tamen, non obſtante hoc diverticulorum beneficio, ſæpè & accidit; cùm ſcilicet ſanguinis ſubſtantia enormiter, & ultrà omnem menſuram, in ſuis canalibus inflatur, & augeſcit.

§. II.

Confirmatur hæc diverticuli, quò ad ſanguinem, ratio in hepate, ex eo quòd in animalibus copioſiori ſanguine præditis majus hepar eſt: Inſuper in pinguioribus animalibus, in quibus ſanguis partes ſuas divergit per totum corporis habitum ad pinguedinis fabricam, gracilius eſt hepar, quàm in macilentis, in quibus parva nutritio majus infert fluidorum volumen in vaſis: Hepar ideò Caponis proportionaliter minus eſt quàm Galli. Firmat ulteriùs aſſertum, ingentius hepar in calidioribus animalibus, in quibus ſanguis fortiorum motuum compos eſt; Sic animalium aquatilium hepata terreſtrium jecinoribus ſunt minora: Praetereà grandius in fœtu, & puero proportionaliter, quàm in adulto, prò ut in eis copioſior in diem viget ſuccorum nutritiorum affluxus in ſanguinem; hinc & in diem majoris diverticuli neceſſitas.

§. III.

Uſum inſuper hujuſmodi hepaticum plenè demonſtrant hæmorrhagiæ narium in levibus etiàm hepatis, & lienis obſtructionibus ordinariò accedentes; quo caſu per hæc viſcera competenti ſanguis non fruens ſpatio, ſicque copioſiùs, uſque ad eruptionem è vaſis, exundans ad partes ſuperiores, manifeſtum facit in hiſce organis diverticulorum munus. Hoc hæmorrhagiæ narium ſymptoma, morbis hæc viſcera infarcientibus ſuccedens, frequenter obſervo ad ægrorum thoros currenti hoc vere, quo tempore hæc ſcribo; Ubi febres penè omnes tàm continuæ quàm intermittentes deſinunt in depoſitiones hujuſmodi ad hypochondria. Sed meliùs elucebit habitudo hæc hepatis diverſoria ad ſanguinem, in altera hujus tractatus parte, ſtatum hujus viſceris præternaturalem exponente; Quam ſtatim aggredior.

HISTO-

HISTORIÆ HEPATICÆ
PARS SECVNDA.
Complectens quæ ad Hepatis morbos pertinent.
CAPUT PRIMUM.
Et Præliminare.
DIVISIO MORBORUM.
§. I.

MUſicam in Apolline, Medicinæ connectere, res apud Poëtas plena judicio fuit. Humanum Corpus per harmonicum partium ſuarum omnium nexum, ſuaves concentus edit, & concordes; Vitiato hoc ordine partium, diſcordes, & inſuaves. Quemadmodùm igitur Theoretica medicinæ pars ordinem rerum conſiderat, quæ ſtatum objecti hujus ſui naturalem, ſeu ſanitatem conſtituunt; Sic librat & Practica ordinem rerum, præternaturalem facientium, morboſum ſcilicet. Hiſce modulis ordinem quemdam inſecuti in Phiſiologica inſpectione Hepatis, Anatome, Structura, functionibus, ſecretionis modo, aliiſque ad eam ſpectantibus; non minorem in pathologica ejuſdem viſceris perquiſitione amplectemur: ut Primæ manuductione in alterius elucidationem conveniamus; faciliùs ſcilicet, quàm hactenùs fuerit, morbos Hepatis omnes internoſcentes, inter ſe ſe, ſedesque ſuas, differentias, & cauſas diſcriminantes; Saniùsque indè ad eorum curationem properantes: Cui certè inſtituto totæ diri-

guntur ſpeculationes ſcientificæ, totique Anatomicorum labores. Sic loquens de Medico Eccleſiaſticus: *Opera ejus ſunt neceſſaria.*

§. II.

Morbus quid ſit. Morbus; ille eſt corporis humani, aut partium ejus aliquarum ſtatus præternaturalis, in quo plurimæ ejuſdem, functiones, aut aliqua ſolùm, ſenſibiliter læduntur. Mitto hîc loci ſtatuum præternaturalium, morbi ſcilicet propriè dicti, morbi cauſæ, & Symptomatis varietatem; quæ ordinariò relativa ſolùm eſt, non vera; pro ut idem ſtatus præternaturalis per diverſos reſpectus conſiderari poteſt ut cauſa, ut morbus, ut ſymptoma. *Diviſio Generica partium humani Corporis.* Duo ſumma ſunt partium humani Corporis genera: fluidum, & firmum: ſeu liquidum, & durum: (quod ſemper eſt idem) ſeu humores, & Canales: Nec tertium datur, niſi ex utrorumque connubio: ut molle; quod ad alterutrum magis accedit, pro ut de alterutro magis participat. Mechanicè hîc, non Philoſophicè fluidum, ſolidumque conſidero; fluidum à ſolido, & viciſſim diſcrimino. Solidum hîc ſolùm intelligimus, quod terminis ſuis conſiſtens eſt; liquidum è contra: ſeu alia enunciandi formula; liquidum illud eſt, cujus adeò rupta eſt cohæſio partium, ob quarumcumque ſuperficiei lævitatem, ut invicem, & ſejunctim moveri illæ poſſint per vias diverſas: ſolidum è converſo. Sic ſolo ſenſus judicio contenti, non indè ulteriùs inquirimus, ſi ſenſibiliter fluida uſque ad ultimum componens ſint fluida, ſi ſenſibiliter ſolida uſque ad ultimam particulam ſint ſolida. Exponendis mox rebus præponenda erat neceſſariò hæc adnotatio.

§. III.

Duo igitur jam veniunt primaria morborum genera in homine, *Morborum Genera.* pro ut dictæ hominis utræque partes in ſtatum præternaturalem poſſunt aut ſimul, aut ſeorſum concedere. *Morbi à fluido.* Morbus in fluido conſtituitur ex mala ejus habitudine in mixtura, aut in fluiditate, aut in mole, ſimul, aut ſeorſim; ideſt, vel ex ejuſdem ſorditie; vel lentore, aut tenuitate; vel exuberantia, aut defectu. *Morbi à ſolido.* Morbus in ſolido oritur ex mala ejus conſtitutione, aut in laxitate, aut tenſione, aut ſolutione unitatis. Sicuti extra omne dubium eſt dari morbum in fluidis independenter à ſolidis, conceptibilem nempe abſque ſolidorum concurſu, ut ideò dicatur morbus in fluido

fluido ut fluidum; Sic morbum locari in ſolido independenter à fluido, ut morbus à ſolido ut ſolidum, nuncupari poſſit, conceptibilem videlicet abſque concurſu fluidi, manifeſtè evincimur contrà multorum ſententiam: & equidem, cùm ſolidum animale vim quandam habeat contractilem naturaliter, & ingenitam, eamque ſenſibilem abſque interventu fluidi, quam tonum dicimus, quamque obſervamus in villo membraneo, aut muſculari ab animali avulſo, qui ultra tenſionem ſuam diſtractus; indeque ſuæ libertati permiſſus, ſponte retrahitur ad ſtatum naturalem, ſeu priſtinum; imò vix unum invenias compoſitum, in quo ſpontanea non vigeat contractio; adſit in vitro, in metallis, in lapide, in duris omnibus, in aere ipſo, in ipſa aqua, fluidiſque cæteris; ut graphicè demonſtrat *Bellini*; Sic, & independenter à fluido vis hæc ſpontaneè contractilis vel augeri poteſt ultra ſtatum naturalem, quod eſt ſolidum in tenſionem induci; vel diminui, quod eſt ſolidum in laxitatem cadere. Tenſio, ſtrictior eſt ſolidarum partium, inter ſe ſe contactus, dejecta magis minuſvè è loculis ſuis interpoſita fluorum ſubſtantia: Laxitas, è contrà. Comprobat tenſionem ſolidi ultra ſtatum naturalem à fluidi actione omnino independentem obſervatio in juvene mihi familiari; in quo cutis brachium dextrum præcingens ſtrictiſſimam adeò præ ſe fert texturam, ut difficillimè ibidem lanceola pertundi poſſit ſubjecta vena, dùm non eadem res eſt in brachio altero. Evincit laxitatem ſolidi primariam quoquè, & independentem obſervatio *Meeckrén*, in milite illo hiſpano, cujus humeri cutis, mammæ, genuque dextrorum extenſilis accedebat adeò, ut per leviſſimam applicatam vim in primis partibus, ad os accederet; in tertia ad ulnæ dimidiæ longitudinem elongaretur; retracta hinc ſtatim, poſt remotam trahentem manum, ad naturalem textum, & lævitatem; & hoc nullimodè in cute lævas partes obtegente. Oſſa quædam duriora non nè per caſus varios in ſano quòad cætera homine ad tantam redacta mollitiem viſa ſunt; ut, inſtar ceræ, verſari facillimè poſſent in omnem ſenſum; in aliis autem indurata adeò, & rigida, ut, tanquàm vitrum fragilia, facillimè diſſilirent in partes, vel leviter contrectata? Quid vitii in hiſce caſibus concurrenti ad omnes partes æqualiter fluido imputandum eſt, ubi reverà non adeſt?

§. IV.

§. IV.

Morbi à laxitate ſolidi. Veniunt in animalis partibus à laxitate ſolidi præternaturali variæ affectionum ſpecies, inſontibus tamen fluidis. Undè etenim depluvia quædam limphatica, ſeu fluxiones communiter dictæ in partibus quibuſdam determinatis; in aliis aut vulneratis olim, aut aliter læſis frequentes dolores, congeſtiones, paralyſes, & alia mala; ab intenſi frigoris impreſſione Gangrenæ, & decidentiæ, niſi ex deperdito in eiſdem partibus tono, nullo habito fluidorum reſpectu; ſeu indita eiſdem laxitate, ex qua ſufflaminata oſcillatio; extincta ſcilicet fluidum ad eas appellens repellendi aptitudo? Et equidem omnes hi morbi in partes ſpeciales quaſdam accedunt communiter, dùm fluida omnia indolem redolent optimam. Occurrunt à ſolidi tenſione præternaturali variæ dolorum ſpecies. *Morbi à ſolidi tenſione.* Triplex eſt in ſolidis tenſio. Prima flatuoſa illa, quam convulſionem à repletione dicebant antiqui, à flatuoſo ſpiritu compagem ſolidi tumefaciente; quamque ab alkali elaſtico ſolidi ſinulos omnes quaquaversùm expandente deducunt ex recentioribus plurimi, & rigiditatem nuncupant, *Italicè Granchio*; facilis ſolutionis affectio; ut potè pura, & frigida ab Optimo *Sinibaldi* Romano curata, oleo ab Accurato *Georgi* Albiganenſi. Altera eſt à ſtimulo attiguo, quæ propriè dicitur ſpaſmus; ut violenta villorum retractio in ventriculo ad vomitum ciendum ex materia ibidem impacta. Tertia eſt ab inanitione; ut ſpaſmus poſt hæmorrhagias obveniens, aliaſque evacuationes immodicas; Ubi ſolidorum ſtamina, deductis fluidorum cuneolis per eorum intercapedines jacentibus; abſquè ullo ampliùs impedimento ſtrictiùs coëunt inter ſe ſe, ſeu contrahuntur, imminutis dimenſionibus ſuis; non minùs ac eadem cieantur tenſione fidium chordæ ab aere auſtrino, aut ignis vicinia fluidis ſuis incolis exutæ. Prima Tenſio à fluido reverà exoritur. Altera à ſolido primariò ut ſolidum; licet à fluidis tanquàm occaſionaliter dependens. Tertia prorsùs, & primariò à ſolido, nullimodè à liquidorum opere procedens; ut patet. Et hęc tanquàm digreſſione quadam afferebam; ut morbos monſtrarem verè, & primariò aſſignabiles in ſolido; independentes nempè à fluidorum concurſu Affectiones aliæ, propriæ etiam ſolidorum, & eſſentiales quas ſcilicet conci-

pere

pere in animali poſſum independenter à fluidis, accedent in ſequenti Capite.

§. V.

Venio jam ad Hepatis morbos; eoſque ideò, ex præmiſſis, in duplex ſtatim genus dirimerem, in alios ſcilicèt, qui ab Hepatis ſolido immediatè proficiſcuntur; & alios, qui à fluidis per hepar excurrentibus. Sed tertium adhùc expetunt genus morbi quidam, non ſolùm in Hepate, ſed cæteris etiam in humani Corporis partibus frequentes, quì ad neutrum ex dictis reducibiles audiunt; prout videlicet nec viſceris ſolido, nec circuentibus ibidem fluidis originaliter imputandi. Et revera, cùm in omnibus hominis partibus accedant ſæpè vermes, calculi, polypi, oſſa adventitia, flatus, aliaque corpora extranea; ex quibus indè ſtatus præternaturalis, ſeu functionum ibidem ſenſibilis læſio, ſeu morbus accedat; nec propriè corpora hujuſmodi ſupernumeraria duro partis, aut liquido referri debeant, pro ut eis inſontibus ordinariò, aut ſaltem perſæpè vigentia; Sic triplici claſſe morbidas Hepatis affectiones comprehendemus; Primâ nempè morbos à ſolido, alterâ à fluido, tertiâ, & ultimâ morbos ejuſdem æno-phoros, ſeu ab utriſque diverſos, quos ideò à corpore extraneo nuncupabimus. Quoniam indè tripliciter conſiderari poteſt hepatis ſolidum; vel ſcilicet ut totum ejus parenchima; vel ut pars ejus vaſcularis; vel ut portio ejusdem nervea; Sic triplici capite connectemus hepatis morbos à ſolido: Primo, morbos à toto ſolido; Altero, à ſolido vaſculari; Tertio, à ſolido nerveo. Morbos autem à fluido tùm ſanguineo, tùm limphatico unico capite comprehendemus; hoc inde obſervantes, quod, cùm notabilius hepatis fluidum ſit bilis ab eo ſecreta; rectęque, aut delinquentes ſint liquidorum per animalis organa ſecretorum diſpoſitiones, ſecundùm quòd recta, aut mala eſt ſecretionis habitudo; Sic tot capita ſubnectemus ad Hepatis morbos à fluido, quot ſunt vitiorum genera, quæ ſecretioni biliari competere poſſunt. Quibus omnibus pathologiam Hepaticam, Superis afflantibus, abſolvemus. Hęc erant, quæ in altera hujus tractatus parte, tanquàm pręliminaria, jure pręmittenda fore exiſtimaveram. Agé jam manus; in tabula.

Diviſio morborum Hepatis.

R CAP.

CAP. II.

Morbi Hepatis à toto ſolido.

§. I.

Quid ſit morbus, & quid ſit vitium.

AD morbos Hepatis perrecturi, neceſſum duximus in operis limine eos ab ejuſdem vitiis diſtinguere. Morbus, illa eſt (ut ſuprà) præter naturam affectio, quę in animalis inſidens parte, lædit ejuſdem actionem: Vitium medicè ſumptum illam affectionem nuncupant, quę partis, quam occupat, actioni non nocet, licèt præternaturam audiat. Varia ſunt Hepatis vitia, ſecundùm reſpectus varios, quibus à ſtatu hoc viſcus naturali alterari poteſt, abſque læſione functionis ſuæ. Sic reſpectu ad magnitudinem, frequenter in inſpectionibus vaſtiſſimæ molis offenditur hepar, duplæ ſcilicèt, ultrà naturalem, triplæ, quadruplæ, &c. inculpabili tamen undiquaque ſubſtantiâ contextum: cujus exemplum exhibet in puella *Carolus Offredi.* Simile apud *Schenkium*, *Moinichen*, *Stierum*, *Frankenau*, *Hildanum*, *Moëbium &c.* Hepar quatuordecim libras civiles pendens à *Ioanne frider. Huldenreich* obſervatum, extat apud *Ephemer. German. nat. curioſ.* Ingentiſſimum vidit in homine *Gemma:* & ad quadraginta librarum pondus in muliere, ut gravidationem mentiret *Bonetus* in ſepulchreto ſuo; ſæpiùſque nos in ſubjectis plurimis per varia morborum genera denatis demonſtravimus auditoribus noſtris. In molem enormem, naturalis tamen habitudinis (ut ſimplici vitio convenire diximus) grandeſcit hepar in pueris rachitide affectis; adeò ut totam frequenter epigaſtrii regionem occupet, & ipſum quoque ſiniſtrum hypochondrium attingat; interdum impleat. *Olim apud Romanos ars fuit anſerem ita paſcere, ut Hepar in immenſum accreſcens, totum prætereà corpus præponderaret*; ex Williſio. Ad hanc vitii claſſem reducendi ſunt tumores Hepatis quidam indolentes nullius in dies diſcriminis, qui ſpecies lupiatum audiunt *ex Zodiac. med. Gall. ann.* 5. Sic etiam hepatis hyperſarcoſes, aut fungi in vulnere

Hepatis vitia.

In magnitudine.

In numero.

nere ejus aliquo, aut ulcere prognati. Quò ad numerum; duplex vidit Hepar *Schenkius*: nullum *Pawius*, *Bauhinus*, *Zacutus*. Quò ad figuram; humanum Hepar in lobos diviſum obſervavit *Iac. Grandi*: globoſum *Rumlerus*: Quadratum, Cilindriacum alii. Quò ad ſitum; Siniſtro hypocondrio locatum jecur, dextroque lienem ſtupentes oſtenderunt omnis ævi Anatomici; hujuſque novitatis exemplar diligenter exponit *Mery* Chirurgus Pariſienſis in homine, pluſquàm ſeptuagenario; in quo ratione tranſpoſitionis Hepatis, omnia etiam abdominis, & pectoris viſcera oppoſitas naturalibus locationes occupantia obſervavit: ut videre eſt obſervat. ſuâ editâ in lib. *Iournal. des Sçavans* ann. 1689. Frequentem hanc etiam in quadrupedibus jecoris, & lienis tranſpoſitionem aſſerit *Ariſtoteles* in ſua *animalium hiſtoria*. Sed eſſet à penſo diſtrahi, cantumque Cuculi recanere, ſi hęc prolixiùs percurrerem. Morbi Hepatis pertractandi incumbunt nunc nobis; iique hîc ſolùm, quorum geneſis ſatis concipitur ex ſolo ſtructuræ organicę defectu, independenter ab alluentium fluidorum concurſu; ſeu morbi à ſolido ut ſolidum; illique in hoc Capite peractandi, quorum pręſentiam univerſo viſceris ſolido referrimus; quos ideò à toto ſolido vocamus.

In figura.

In Situ.

§. II.

Quadrat rei noſtræ diviſio præternaturalium in animalis partibus affectionum à vetuſtioribus inſtituta; in intemperiem ſcilicet, morbum organicum, & ſolutionem continui; & revera accomodatis moderniorum ſtylo hiſce morborum claſſibus; ſeu ad ejuſdem ſolidi varias conſiderationes relatis, nil exactius, nil clarius ordinari poteſt ad peculiares partium animalis ſolidarum pathologias completè delineandas. Et primò quò ad intemperiem ſpectat: nimis liberè præſentiam ejus in partibus animalis à fluidis independentem abjecerunt moderni, legibus circuitûs præventi. Varias antiqui intemperies diſtinguunt: alia apud eos ex variis qualitatum [ut aiunt] primarum, caliditatis, frigiditatis, humiditatis, ſiccitatis exceſſibus: alia ex variis ſecundarum qualitatum exorbitantiis, denſitatis, raritatis, mollitiei, rigiditatis &c. alia ex tertiarum qualitatum erroribus, in ſapore, colore &c. alia

Diviſio Morborum Hepatis à toto ſolido.

Hepatis Intemperies.

ex quartarum vitiis. Si licet vetuſtiorum idiomata loqui; fateor Hepatis in primis qualitatibus intemperiem, Calidam, frigidam, humidam, ſiccam, ſimplicem, vel complicatam ex liquidis ibidem transfluentibus, acribus, aut inertibus, copioſis, aut parcis, ſimpliciter, aut complicatè, auſpicandam eſſe; ſicque in hoc caſu nullam in hoc viſcere ſtabulari independentem à fluidis circumeuntibus hujus generis affectionem: Sed tantò certiùs aſſero in ſecundis qualitatibus intemperiem à ſolido viſceris ut ſolidum exordiri primariò, fluidis nullimodè ad ejus originem in cenſum vocatis; quantò clariùs vidimus præcedenti capite ſolidum animale abſque liquorum interventu, ſponteque ſua ſub eis omnibus poſſe reduci ſtatibus, qui denſitas, raritas, rigiditas, mollities, tenſum, & laxum dicuntur. Intemperiem Hepatis in qualitatibus tertiis rursùs ab alluentibus eum fluidis emanare concedo; ut diſcraſia ejuſdem acida, auſtera, pontica &c. Non eſt tamen, quòd primarum qualitatum intemperies à præſentia diatheſis, ſeu intemperiei in ſecundis, advenire frequenter non poſſit in Hepate; dùm ſcilicet in hujus viſceris prçternaturali conſtrictione, ſeu intemperie in denſitate, ineptior ibidem ſuccedere poteſt ſuccorum permeabilitas; eo quòd momentum ſanguinis adventantis per portam tantum non eſt, ut ſuperare poſſit auctam reſiſtentiam ſolidi Hepatici altiùs conſtricti: ſic ab imminuta hac trajectione ſuccorum, intemperies ſicca, & frigida, ſi quietè lenteſcant à libera affluentia impediti, paucique latices; vel ſicca, & calida, ſi ibidem incaleſcant impediti &c. frequentiùs autem à ſtrictiori ſolidi Hepatarii ſubſtantia, liquida variè impedita à fluxu ſuo obſtructiones ibidem, tumoreſque variorum generum congerunt; illeque tunc morbi aſpectus induitur, quem intemperiem cum materia nuncupabant majores noſtri.

Simplex. · *Cum materia.*

§. III.

Morbi Hepatis à tota ſubſtantia. Refero ad intemperiem Hepatis atoniam ejus, ſeu perfractam intimæ cohæſionis vim in ſolido ſuo; quam à tota ſubſtantia morbum dixerunt laudati vetuſtiores, ſeu corruptionem ſubſtantiæ, Innumeriſque nubilarunt quæſtionibus, & commentariis; ut videre eſt apud *Sennertum inſtit. med.* Ex vario atoniæ gradu, ſeu

varia

varia cohæſionis debilitatione, variæ & hujus generis affectionum Claſſes. Error in hoc ſtatu levior, flaciditas ſimpliciter dicitur, concidentia, laxitas; & apud antiquos imbecillitas Hepatis; de qua exemplis ſpecialibus *Scultetus*, *Piſo*, Aliique: ex hoc jam affectu notabiliter imminuta veniunt ejuſdem viſceris robur, oſcillatio, & reſiſtentia. Intenſior; vera eſt corporis jecorarii corruptio, ſeu ejuſdem interitus, & à vita divortium; quale eſt gangræna, ſideratio, & ſphacelus, obſervata in hac parte à *Dodoneo*, *Boneto*, *de Lamoniere*, *Ieremia* Martio, *Henningo Arniſæo* &c. Ultimus atoniæ, ſeu inſenſilis ſolutionis terminus eſt, completa putrilago; adeò ut viſcus hoc totum, eliquato partium ſuarum nexu, difluat omninò in tabum; quem ideò ſtatum colliquationem appellat *Aetius*; ejuſque exempla deferunt *Blankard* de M*orbis Hepatis. Ioh. Heurnius* ad aphor 45. ſect. 7. *Tobias Czaſchelius* apud *Ephemerid. Germ. Curioſor. Georg. Abrah.* Mercklinus, *Dodoneus*, *Aliique.* Variæ cæterùm deducebantur olim ab Hepatis intemperie affectionum ſortes. Ex calida ſic ejus intemperie, immediatè, vel mediante intemperato ab ea ſanguine illa petebatur affectio, quæ ex labe viſcerum hypochondria adimplentium, hypochondriaca ideò dicitur. Exponam alio opere morbum hujuſmodi ſæpè primariò ſanguinis, hinc ſtomachi affectionem eſſe; ſepè primariò ſtomachi, hinc ſanguinis: à ſanguine cùm ab animi affectu v. g., aut morbi alterius præceſſione exorditur; à ſtomacho cùm ab errore in victûs genere, aut hæreditario ſtigmate viſceribus indito. Affectiones cæterùm reliquorum viſcerum, Meſenterii, Pancreatis, Lienis, Uteri, præcipuè Hepatis &c. in hoc morbo complexè, aut diviſim occurrentes, ſimplices hujus morbi effectus eſſe ampliſſimè evincam, non principia; licèt ſæpè in morbi promptuaria tranſmutabiles. Quod de Hepatis intemperie calida, indèque neceſſariò fæderata ventriculi frigida pluribus in morbis vocitabat vetuſtas, nec obſoletum adhuc eſt à quorumdam ratiocinio, id facilè cum politioris medicinæ ſermociniis conciliare poſſumus; perſpicientes ex bile naturaliter acriori variè chilificationem perverti poſſe, ut impar in hoc caſu functioni ſuæ videatur ſtomachus, & cruditatibus auſcultans.

Flaciditas Hepatis, ſeu imbecillitas.

Gangrena & ſphacelus.

Colliquatio.

Affectio Hypochondriaca.

§. IV.

Morbus Hepatis organicus. Deſcendimus hinc ad alteram affectionis ſpeciem ex ſolido, ſeu morbum organicum; quem tamen, ut tùm abundè, omnibuſque claſſibus ſuis ab omnium ætatum Profeſſoribus expoſitum, tùm ad alias categorias malorum reductum, ſicco quaſi pede trajiciam. Sic numerum Hepatis auctum, extimamque vitiatam figuram ſuperiùs in ejus vitiis retulimus, non minùs ac auctam ſubſtantiæ laudabilis magnitudinem: hanc tamen præter naturam, ſeu morbidos tumores aliis capitibus trademus. *Locatio morboſa.* Quò ad morbum Hepatis in ſitu, & connexione attinet; adnaſcentiam Hepatis cum diaphragmate morboſam exponunt *Bonetus*, *Paiſenius*, *Wedelius*; cum coſtis ſpuriis *Hollerius*; cum utriſque Alii. Jecur violenter ad diaphragma coactum *Henr. à Moinichen*, *& Ballonius*; ad hypochondrium uſque ſiniſtrum *Hildanus*, *Bartholin. Th.*, *Segerus.* Ambobus renibus ſtrictiſſimè affixum *Bonetus in Sepulchreto*; Ventriculo arctè adnatum, indéque lethalis vomitus, *Bauhinus*, *Hermannus*; Pancreati firmiſſimè alligatum *Pavvius.* Sed familiares ſat ſunt in authoribus hæ cantilenæ. In delinquentibus hiſce omnibus Hepatis ſedibus variè læditur reſpiratio, ex variè diſtracto, aliterve læſo primario hujus functionis inſtrumento, diaphragmate. Raró, aut nunquàm imminutæ notabiliter magnitudini, ſeu notabili extenuationi, maraſmo, aut atrophiæ obnoxium jecur obſervarunt Practici, Secùs ac lienem v. g., pulmonem &c. cujus ratio Phœnomeni petenda venit à longè ſolidiori ejuſdem ſubſtantia, quàm condita ſint viſcera alia laudata: Præcipuè autem, quia totum hoc penè viſcus ex grandiorum Canalium ramis contexitur; quorum firmitas multò major eſt ſuprà parenchimatis compagem. *Niſus in ventriculum.* Maxima, cæterùm, ſummèque ſic ponderoſa Hepatis moles attiguo ſæpè ventriculo enormiter nititur adeò, ut eundem inferiùs uſque ad umbilicalem regionem cum maxima machinæ animalis pernicie detruſiſſe legamus apud *Bartholinum Th.* & *Saxoniam*; Præcipuè in obſervationibus anatomico-medicis v, & xxiv. Clar. *Iohann. Baptiſtæ Fantoni* Medici Regii, editis; & illuſtratis ab Amico *Iohann. Fantono* filio, apud Pedemontanos Anatomiæ Profeſſore, aulicoque medico; Eruditiſſimo viro;

Cujus

Cujus inſudantem rurſùs ſub prælo, & ampliatam anatomem totius expectat Europæ Plauſus. Deſcenſus Hepatis ex ſede naturali ſua ad abdominis inferiora, ejuſdem prolapſus dicitur, ſeu luxatio. Rarior eſt in Hepate, quàm in liene, ventriculo, inteſtinis, & renibus hic morbus, ob robur, poſitionem, & numerum ligamentorum ſuorum; quorum omnium relaxationi debetur hæc affectio: Extant tamen exempla dislocationis Hepatis, tumorem ideò circà umbilicum producentis apud *Laurent. VVolff. Strigelium* in *Ephemerid. curioſior. Germanis*; apud *Fridericum Loſſium, Alioſque.* *Luxatio.*

§. V.

Ultima morbi ſpecies ex ſolido adventans Hepati, eſt ſolutio continui, quam ſenſibilem intelligo, ſeu in partibus ſenſui occurrentibus factam, ad differentiam morbi ſuperiùs deſcripti à tota Hepatis ſubſtantia, in qua continuitatis ſolutio inſenſilis eſt, ſeu in partibus inſenſibilibus facta. Varias hujus ſolutionis ſpecies tùm à cauſa interna, tùm ab externa productas offerunt authores. A cauſa interna facta in Hepate hæc ſolutio continui, vel ſimplex eſt eroſio, vel ulcus; à cauſa externa, vel contuſio, vel vulnus; ab utraque, Hepatis rimæ notabiles, & fiſſuræ. Eroſio ſimplex in Hepatis ſubſtantia à transfluentibus Succis naturaliter acrioribus, videnda venit apud *Horſtium*, *Salmuthum.* Ulcus hepatis eſt, profunda, & purulenta in ejus partibus ſolutio, ſeu eroſio, frequenter ab abſceſſus præceſſione, hinc puris fodicatione, producta; Sæpè abſque apoſtemate, ab actis ſolùm acerrimorum ibidem commorantium laticum cuniculis. Admittimus *Benneto*, *Bellonio*, *Foreſto*, *Dodoneo*, *Braſavolo* inveterata Hepatis ulcera, fiſtuloſa, Cancroſa; nec difficilis res eſt in tenero parenchimate: ſed ex eorum exeſione, non purulentam ſolùm materiem, ſed fruſtula carnis ejus per choledochum, in inteſtinum decidua, indeque per anum excreta, ſervatis ſæpè ejuſmodi affectis, negamus *Math. de Grad.*, *Skenchio. Nic. Florentino*, *Julio Alexandrino*, *Herculi Saxoniæ.* Multò magis ridiculum eſt Hepatis ſubſtantiam vomitu rejectam eſſe; ut habet *Phil. Salmuth.* Bonam ſatis hujus rei enodationem ſcribit *Sennertus Praxeos lib.* 3. *cap. de ulceribus*,

Solutio continui in Hepate.

Eroſio ſimplex.

Vlcus.

Contuſio. *bus*, *& ſphacelo Hepatis.* Contuſio, ictus eſt agentis extrinſeci violentior in molle Hepatis corpus inflictus; ex quo ſubitaneæ villorum componentium diſtorſiones, diſtractiones, & fracturæ; hinc ceſſante ſyſtaſi partis, ſanguis non repulſus ad circuitum, turpiter ibidem concreſcit. Exemplum eſt apud *Salmuthum.* *Vulnus.* Vulnus eſt notabilis, & ſubitanea componentium perfractio pariter ab agente exteriori. In Hepatis vulneribus effuſus à canalibus ſanguis, facilè per alvum derivatur, vectus per ductus biliferos in inteſtina; caſum vide apud *Gliſſonium*, *anat. Hepat.* Vulnera Hepatis abſque grandiorum vaſorum laceratione ſanabilia perſæpè ſunt: ſic Hepatis fruſta ex abdominis vulnere foras prodeuntia, indeque cum ægri curatione abſciſſa, afferunt F*abr.* H*ildanus*, *&* *Fiſſura.* *Blankardus.* Fiſſuras Hepatis, hiatus, & rimas ab utraque cauſa, externa, & interna auſpicari debemus, ſi authorum obſervationibus credimus, eas tùm ab externis percuſſionibus exhibentibus, tùm ab interna diſpoſitione; ut apud F*ernelium*, *Gliſſonium.* H*eſſum*; præcipuè apud *Riolanum*, qui in hominibus marcore confectis majuſculas ſæpè ſciſſuras illas ex exſiccato, aridoque Hepate productas, ſerumque copioſum, tamquàm ex rupto vaſe, extillantes, vidiſſe affirmat in *Enchiridio ſuo anatomico*; quod tamen à *Tulpio*, M*oëbio*, omnibuſque cordatioribus meritò refutatur.

§. VI.

Sciſſuram Hepatis lethalem ex caſu, & percuſſione, undè ruptura portę, & mors ſubita, ex Præclariſſimo, Amiciſſimoque D. *Roſino Lentilio*, Archiatro Wurtembergico humaniſſimâ Epiſtolâ elapſo biennio mihi tranſmiſsâ, relatam habeo. *Ante aliquot annos*, ſcribit vir omni voto colendus, *Ruſticus ebrius prope Stuttgardiam in via mortuus inventus eſt; cujus corpus cùm aperirem, cavitatem abdominis totam ſanguine ſuffuſam reperi; ſuperiorem autem hepatis lobum, quo ventriculum contegit, in duas partes horiſontaliter quaſi cultro diviſum.* Memorabile erat, *ſtomachum pane, commeſtiſque farciminibus adeò fuiſſe diſtentum, ut nec digito preſſus vel parum cederet. Suſpicio hinc fuit Ruſticum in terra prolapſum fortè fortuna eò loci, quò hepar ſub cute clauditur, in lapidem offendiſſe, diſtento verò ſtomacho, & lapſui cedere neſcio, fiſſum fuiſſe hepar, ruptam venam*

portæ,

portæ, ſanguinem in cavitatem abdominis effuſum, ſecutâ morte ſubitaneâ. Ulteriores morbos tribuebant antiqui genuinę hepatis ſubſtantiæ, ab ea, tamquam à ſanguificationis fonte, dependentes; Lienteriam, fluxum hepaticum, Atrophiam, Cachexiam, omnis generis hydropes &c. Quæ alio loco principiis aliis conciliabimus.

CAP. III.

Morbi Hepatis à ſolido Vaſculari.

§ I.

EA vocamus Hepatis vaſa, quæ liquido palpabili devehendo apta nata ſunt; quo jure nervos ab Hepatis arteriis, venis, limphaticis, ductibuſque biliferis libenter proſcribimus. Eos vocamus Hepatis morbos à ſolido vaſculari, qui nullimodè ab humorum interfluentium culpa auſpicandi veniunt, ſed à mala vaſorum eorundem recipientium habitudine: cujus præſentia eluceſcit ſatis, dùm, currentibus liquidis per plura ejuſdem generis vaſa, eâdem ſubſtantiâ, eâdem copiâ, eodem impetu, iiſdem diſpoſitionibus omnibus, vas unum tentatur vitio, non aliud. Diſtinguimus morbos Hepatis ex ſolido vaſculari à morbis totius ſolidi; prò ut conſiderantur primi in vaſis Hepatis ſenſibilibus malè habitis, iiſque quibuſdam ſolùm, aut unico; alteri in vaſis inſenſibilibus, ſeu proprio parenchimate, iiſque omnibus æquè vitiatis. Eædem affectiones competunt vaſculari ſolido, quas ſolido in genere adſcripſimus; tenſio ſcilicet, & laxitas ultra ſtatum naturæ, præter continui ſolutionem. Sed cùm canalium tenſio morbifica à nerveis productionibus, eiſdem in modum telarum ſupertenſis, propriè accedat; ut videbimus in ſequenti Capite; ſic ſola canalium laxitas indebita, nec non unitatis ſolutio, examinandæ hìc veniunt. Peccantem in Hepate laxitatem vaſorum infallibiliter proſequitur morboſa eorundem diſtractio ab interfluentibus ſuccis, in eorum parietes cum victoria nitentibus. Variis veniunt nominibus præternaturales in hiſce vaſis diſtractio-

nes extrorsùm, & fornices, ſecundùm eorum varietatem. In Arteriis appellantur Aneuriſmata, Varices in venis; in limphaticis Hidatides; in excretoriis ductibus peculiari vocabulo carent.

§. II.

Aneuriſmata, & Varices Hepatis. Fornicant itaque in aneuriſmata, & varices arteriæ, & venæ; cum impedito, (quæcunque ſit cauſa) magis, minuſvè, à vaſis ad ſubſtantiam viſceris, aut viciſſim, fluxu ſanguinis, aut refluxu; ſicque copioſius per vaſa met-ipſa congeſto hoc latice, nativa eorum, aut, per caſus varios adventitia jam pridem teneritudo texturæ, aut loricationis infirmitas impar eſt frenandæ ejus urgentiæ ad extrà, auctæque expanſivæ poteſtati. Aneuriſmata ex ſimplici extenſione, per frequentes cadaverum exenterationes interdùm obſervavimus in hoc viſcere; ut nuper dextræ cœliacæ propagines enormiter dilatatas demonſtrabamus in extiſpicio hypochondriaci, moleſtiſſima ejuſdem vaſis pulſatione per longum tempus vexati. Alterius generis aneuriſmata, ſeu junctam in arteriarum tunicis cum notabili dilatatione & rupturam, non percepimus hucuſque in jecinoribus defunctorum. Frequentiores ſunt in hoc organo venarum morboſæ expanſiones, ſeu varices, ab imbecilla cohæſione villorum in propaginibus cavæ, & portæ; cui multùm opitulatur morbo, ſanguinis per hæc vaſa excurrentis momentum velocitatis minimùm. Exempla varicum in ramis portæ vide apud *Morton*, *Veſalium*, *& Guarinonium.* A conſimili in limphaticis, ac in venis, arteriiſque, contexentium *Hidatides.* villorum imbecillitate, & divulſione inter ſe ſe, Hidatides procreantur, ſeu fornices quædam per limphaticorum tractus in modum folliculorum elevatæ - Hidatidis geneſim, non minùs ac Aneuriſmatis, & Varicis mechanicè *In opere noſtro anatomico*, *& Sect.* 15. Exponemus. Familiaris eſt apud authores, ut *Panarolum*, *Ruijſchium* &c. hidatidum Hepatis tunicas perreptantium expoſitio; præcipuè in hydropicis. Quod plurimis antiquis, & recentioribus impoſuit, ut aſcitem ab hydatidum Hepatis ruptura paſſim auſpicarentur. Sed, licèt & poſſibile ſit hoc hydropis abdominoſi principium; conſtat tamen, & inculpabili Hepatis quocunque aquæductu, hoſce morbos accedere. Quod tùm autopſia

topſiâ probatur, ex inſpectis abſque ulla labe Hepatis limphæductibus in hydropicis quampluribus; tùm ratione, ex facili in quacunque parte limpharum colluvie, ſeu hydrope, à ſola earundem ſolutione à ſanguine per fibrarum interſtitia; ut alibi demonſtrabimus. Non omnes tamen, qui ex Hepatis involucro exſurgunt, eique appenduntur aquoſi tumores, hydatides ſunt: grandiores omnes ex limphatico latice inter ejus ſubſtantiam, & tunicam effuſo elevantur, inſontibus limphaticis. Imò & minutiores ſæpè, totamque hydatidum naturam exhibentes, à limphæductuum vitio non veniunt, quod patet ex nuperrima obſervatione mea hydropis veſicularis, facta in homine quadragenario; cujus viſcera abdominis omnia, Hepar, Lien, Meſenterium, Pancreas, Renes, Veſica, Inteſtina, &c. non tantùm innumeris penè utriculis ſero turgidis, ac omnimodam hydatidum ſpeciem repræſentantibus obſita erant; ſed hæ inſuper ſuppoſitę hydatides ſibi invicem per 4. aut 5. plana denſiſſimè adeò ſuperincumbebant, ut locum omnem adimerent, eas à limphaticorum dilatatione deducendi: non etenim vaſa limphatica, una invicem ad alia ſuperpoſita jacent in eadem parte: præcipuè, quod & in cavitate inteſtinorum met ipſa haſce offenderemus veſiculas, tanquàm hydatides ipſiſſimas; dùm cæterùm in fiſtulæ inteſtinalis cavo nulla repant limphatica. Quamobrem puſtulas ad ciceris grana pergrandes, ac univerſo jecori ſuperextenſas à *Cardano* obſervatas, limphaticorum vitiis non refero, ſed diſperſis cingentis tunicæ elevationibus, à ſubter effuſo ſero. Si autem quid eſt, quod genuinas hydatides à cæteris aquoſis tumoribus diſcriminet, ſumma eſt earum pelluciditas, à ſummè tenui præcingente tegmine, ſummèque limpido liquore ſuo.

§. III.

Circà unitatis ſolutionem in Hepatis vaſis, acquieſcere ſat poſſumus in expoſitis per caput ſuperiùs, eaque & vaſorum ſolutionibus appropriare. Hîc ſolùm addam, à bilis contentæ acredine notabiles frequenter exeſiones, ulceraque pati veſiculam felleam (quam jurè meritò inter Hepatis vaſa reponimus) ut adnotandum auditoribus exhibuimus in ſubjectis aliquibus. Illuſtriſſimus *Solutiones continuitatis vaſorum Hepatis.*

S 2 Pontifi-

Pontificius Archiater, *Io. Mar. Lanciſius* in aureo libro, & apud totum orbem acceptiſſimo, *de mortibus ſubitaneis* exponit cyſtim hominis, quinquagenario majoris non bile, ſed pure refertam, internaque ſui ſuperficie variis ulceribus laceram. Quibus caſibus ſi conſpurcata hoc ſucco exotico bilis in promptuario ſuo, indeque ad inteſtinum perfluens, Chiloſcos pervertat munus, Philiatris omnibus judicandum relinquo. Notabilis eſt ejuſdem veſiculæ perruptio, indeque ad abdomineæ Cavitatis, viſcerumque adjacentium abluvium, contentæ bilis effuſio; quæ ſæpè in cadaveribus occurrit, morbique genus peculiare conſtituit. Venit hæc vel à percuſſione, aut alliſu violento baculi, alteriuſve corporis externi, veſiculam per rixim frangente; ut exempla ſunt apud *Bonetum*, *Hoffmannum*, *Benivenium*, *Salmuth.* vel à derivatione impedita inſidentis ibidem, ac magis magiſque in dies collectæ bilis, ſicque vim in parietum cohæſionem facientis: hocque impedimentum effluxûs, vel à ductûs Choledochi intus ſuſceptione in cyſtim ipſam, exhibetur; ex quo dicti Canalis ſtrangulatio, non minùs, ac in intusſuſceptione unius inteſtini in alterum ad affectionem iliacam; Quem caſum afferunt, *in obſervationibus ſuis Chirurgicis Iob. à Meeckren*, & *Fabr. Hildanus*; vel à calculis ductum opplentibus; ut apud *Bertinum*, alioſque. Hanc ordinariò veſiculæ rupturam mors ſequitur, aut repentinè, aut poſt breviſſimum intervallum accedens, diriſque comitata ſymptomatibus, immani cruciatu, & eroſione viſcerum, febri, vomitu atroci, leipotymia, aſphixia, &c. ut videre eſt apud laudatos authores.

CAP. IV.

Morbi Hepatis à ſolido Nerveo.

§. I.

SEntire per nervos in partibus ſuis omnibus animal, extrà omne dubium eſt; ſicque & partium earundem membranas, ſimplices

plices nervorum expanſiones eſſe, tanquàm nervoſorum filaminum telas, pro certo habemus; prò ut minima cujuslibet membranæ in partibus portio, eſt ſenſilis. De Nervorum ſtructura, & diſtributione, uſibus inſuper, ſeu motu, & ſenſu, uberrimus erit ſermo *in Anatomes noſtræ ſect.* 22. Quoniàm eædem competunt ſolido nerveo affectiones, quas ſolido in genere tribuimus, tenſio ſcilicet, & laxitas: Cùmque videamus quotidiè in animalis partibus deperire ſenſum ex inducta laxitate in earum nervis, & conſequenter eorum in productionibus, ſeu membranis, ut cadit in atonia, paralyſi, reſolutione &c. inferre hinc debeo ſenſum naturalem in debita nervorum, ac membranarum tenſione fundari, ſicuti acriorem ſenſum, ſeu dolorem ab auctiori eorundem tenſione ortum trahere; ut de ſe patet. Tenſio nervearum partium dolorifera, vel eſt à cauſa eis externa, & attigua, diſtendente ſcilicet; ſeu tenſio per diſtractionem; ex qua ſpecies doloris contundentis emanant, ulceroſi, gravativi, ſimpliciter tenſivi, pulſativi, ac pungitivi; vel à cauſa eiſdem nervis intrinſeca, undè corrugatio, & criſpatura; quæ ideò, tenſio per contractionem dicitur; ex qua genus doloris lancinantis, proprièque ſpaſmodici. Sed hæc alibi luculenter demonſtrabimus.

Affectiones nervorum.

Dolor quid ſit.

Doloris ſpecies.

§. II.

Frequens eſt in Hepate dolorifera nervoſarum partium tenſio, ſeu criſpatura, ut aiunt; eaque non tantum in præcingente tunica, aut ligamentis; ſed & in omnibus per ejus ſubſtantiam diſperſis villis membranaceis; adeò ut coacto violenter viſcere, & penè ſtrangulatis ejuſdem vaſis, tùm acerbiſſimo dolorum ſupplicio torqueatur æger, tùm fluida omnia à curſibus notabiliter intercipiantur ſuis. Sævit hæc interdùm affectio in hypocondriacis, ictericis, hecticis, & in quibuſdam obſtructionibus. Obſervavit *Richard. Morton* in omnibus penè phtiſi icterica denatis horrendum, & ſpaſmodicum dolorem ab hypochondrio dextro per magnam abdominis partem productum, nullis remediis edomabilem; quibus poſt mortem apertis, Hepatis parenchima ultrà tonum naturalem compreſſum, conſtrictum, & compactum, ac quaſi coctum animadvertebat: ulteriùſque patefacit laudatus

Dolor Hepatis.

Author tenſivam hanc in nerveis Hepatis partibus affectionem per inſpectos eodem tempore portæ ramulos in amplas varices diſtentos; impeditâ ſcilicet contenti ſanguinis trajectione per Hepar à convulſiva diatheſi. *Hos omnes* (addit Clar. Vir.) *hoc modo decumbentes*, *querelas cum magnis ejulationibus ità attentè*, *&* *perpetuò facere obſervavi*, *ac ſi nullo alio ſymptomate afflicti eſſent.* Nec ſolus cruor ab inducta in Hepate denſitate ſpaſmodica præpeditur in propriis canalibus à fluxu ſuo, ſed & ſecernendi humores biliosi in excretoriis ductibus: Hinc ordinariò dolores hos Hepatis icterus excipit; ut ſæpiùs vidimus in praxi. Obſervabamus nuper in nobili muliere picrochola periodicos in plexu Hepatico dolores ſpaſmodicos, cum nervorum origine conſpirantes adeò, ut, in inſultûs præſentia, vel levi manus ad Hepatis regionem preſſurâ, immanes ſtatim, etiam cum mentis turbatione, inſurgerent dolores Capitis, facilè tamen à dimota manu ceſſantes. Dolor Hepatis in ejus inflammatione, ac obſtructionibus quibuſdam, ſpaſmodicus non eſt, ſed gravativus, aut ſimpliciter tenſivus; obtuſus ordinariò, & ſepultus. Periodici ex plexu Hepatico dolores communiter recrudeſcunt ad noctem; frequenter cum aliis abdominis plexibus conſentiunt.

§. III.

Dolores ab Hepate ſimpathici.

Cæterùm dolores Hepatis vehementes uſquè ad claviculam, & jugulum propagari ſolent; idque ex violenta annexi diaphragmatis tractione à dicto viſcere ei alligato, indeque per conſequens, & divulſione tunicæ coſtas ſuccingentis, cui ſuperiùs alligatur diaphragma; quæ omnia venire nequeunt abſque doloris conſenſu ad jugulum, ubi, tanquàm in puncto nixus, firmiter alligatur hæc tunica. Ad cervicem interdùm, ſcapulamve dexteram manifeſtatur hic dolor, ob arctam quoquè ad has partes colligationem pleuræ. Caſum habeo in quodam ex ægris meis, dum hæc ſcribo. Qui dolores in Hepatis ſuſpenſorio eum cum enſiformi cartilagine vinciente contingunt, uſquè ad ſterni medium protenduntur ſolùm, ob continuatam uſquè ibidem ligamenti expanſionem: Spaſmodici plerumquè ſunt; quia nulla illìc cauſa exterior, partem eandem diſtrahens, aſſidet ordinariò.

CAP.

CAP. V.

Morbi Hepatis à fluido.

§. I.

TRia Hepar alluunt Fluida manifeſta: Sanguis, Limpha, & recrementum ſpeciale, ſeu bilis. Sicuti naturalis in organis laticum alluentium habitudo, in libera eorundem trajectione conſiſtit, adeò ut, quò permeabiliores ſint in partibus ſucci, eò melior ibidem vigeat ſanitas; Sic morboſa conditio, in imminuta trajectione fundatur, ſeu imminuto, aut impedito eorùm quomodocunquè curſu ordinario, ſeu quodam, quicunque ſit, lentore morboſo. Ut toties promiſſus ordo ſervetur, percurramus jam in ſingulis hiſce fluidis lentores, peculiares ſuos; morbos hinc Hepatis ab eiſdem oriundos conſiderando.

§. II.

Et primò, quò ad ſanguinem: Per duplicem ad hoc viſcus defertur ſemitam hic liquor; per Cœliacam, per Portam. Quoniàm, ideò derogant à celeritate fluxus ſui ordinaria, ſeu lenteſcunt in canalibus liquida, quia plurimæ eorundem particulæ non tantùm in intimiorem, ac anteà contactum ſimpliciter implicantur, ſed cum niſu in eundem contactum, adeò ut molem grandiorem conſtituant primo imparem motui; Sequitur jam, particularum liquidi ſanguinei implicationes hujuſmodi, fieri longè difficiliùs poſſe in cœliaca arteria, quàm in porta. Et reverà, implicationes hujuſmodi, vel in devecto per canalem fluido, vel in canali devehente, vel in termino, cui devectum fluidum canalis dirigit, propitiam eis producendis habitudinem poſtulant. Quò ad primum; Sanguis per portæ fiſtulam tranatus in Hepar, longiſſimè diſtans à foco impulſus (*ut prima parte demonſtratum*) motibuſque ſuis per mollia abdominis viſcera non minùs notabiliter exutus, quàm activioribus, roridiſque partibus in eorum alimonias, alioſque uſus dimiſſis, multò minùs per conſequens

ſolutus

ſolutus eſt in partibus ſuis, quam Cruor Cœliacæ, cujus viciniâ cum fonte motus, nullaque adhùc componentium mobiliorum jactura, diviſam adeò, vegetamque compaginem conſtituunt, ut multò difficiliùs ad ſe ſe invicem hærere poſſint ejuſdem partes. Quò ad alterum; Canalis portæ ex trunco innumeris radicum mæandris coalito, indèque in ambages ramorum innumeras rursùs diffiſſo, in modum arboris compoſitus, ut alibi vidimus, liquidi derivati lentoribus multùm contribuit, & ſiquidem ſicuti in arteria cœliaca ramoſa divaricatio, ob robuſti motus, impetuſque; præſentiam in vecto ſanguine, ad eundem ulteriùs rumpendum inſervit, funditùſque attenuandum, illiſum in ramorum angulos; Sic diſtributio hujuſmodi in porta, ob notabilem jàm comprehenſi liquidi imminutionem motuum, juvat ad magis eundem implicandum, & retardandum à curſu ſuo: Adeò ut, inducta ſenſim gracileſcentia in propagationibus cœliacæ, valeat ad ſanguinem vividiùs impellendum uſque in Hepatis ſubſtantiam, portæ autem diramationibus indita, ad idem fluidum magis, magiſque remorandum in eadem ſubſtantia. Quò ad tertium; deſinentia cœliacæ in ſolas Hepatis tunicas, (*ut prima etiam pars expoſuit*) partes in majori, ſuper alias, tenſione poſitas, partes oſcillantes ſpontè, & contractiles, indeque tum permeabiles magis, poriſque rectitudinem ſuis ſinceriùs ſervantes, tùm in traditum eiſdem laticem ad fluxus per cavæ principia reverberandum, inſurgentes; multò minùs ſanguinis otiis auſcultat, quàm terminus portæ in molle parenchima, laxum, incontractile, & intricatum: Pręcipuè quòd multò breviorem percipis conferri viam ſanguini à cœliaca in cavam, quàm à porta in eandem venam; conſiderans à primæ extremitatibus in cavæ exordia per partes viſceris corticales, ut ſunt membranoſæ, elutriari hoc liquidum; ab alterius autem finibus per partes medullares, ut propriè ſunt parenchimatoſæ. Quòd ſi igitur longè frequentiùs delinquens eſt in lentoribus cruor portæ, eum in hac diſquiſitione ſolùm inſequemur.

§. III.

Morbi Hepatis à ſanguine. Quoniàm autem lentori morboſo diſpoſitus Cruor (quæcunque ſit

ſit cauſa, ut fluidiorum partium defectus, aut crudiorum abundantia; deſiſtens evacuatio aliqua ordinaria, aut exuberans; impreſſio frigoris, aut figentis miaſmatis; flaceſcens ſolidorum contractilitas, aut liquidorum craſis &c.) in illa canalis ſui portione lenteſcit, quę ambas huic morbo manus exporrigit; quæ ſcilicèt vel minima adeò diametri altitudine polleat, ut leviter implicatæ inter ſe ſe prædicto ritu particulæ ſanguinis aliquæ, jam molem agglomerent amplitudine canalis majorem, ſícque non permeabilem, ſícque obſtruentem; vel conica adeò habitudine gaudeat, ut ejus latera ad partes motus convergentia impingentes in ſe ſe liquidi particulas excipiant, ſuſtentent, ac ad fornicem iter inficiantem, mutuò implicandam cogant; quod etiam eſt ſubſiſtere, & obſtructionem facere: Itaque, cùm conicam propriè ſtructuram excludam ab animalis canalibus, qui nempè truncis ſolùm ſuis gracileſcunt proportionaliter ad lateralem ramorum productionem, adeò ut ramorum ſuorum omnium diametri ſimul ſumptæ, æquipolleant ſemper diametro majori trunci; patet jam ſubſiſtentiam ſanguinis in porta fieri ſolùm per primam cauſam, ſeu in anguſtiori ejuſdem capacitate, ſeu capillamentis ultimis, in glanduloſos concurſus Hepatis finientibus: In qua certè exilitate poſtrema, nulla ferè liquidi eſt pars (*Ut ſolidè diſſerit Bellini*) quæ ejuſdem canalis ſuperficiei non occurrat, ſícque & fortiorem ſuperandum obicem, majoreſque ſemper reſiſtentias ad ejus fluxum inveniat. Lentores cæterum hoſce ſanguinis, ſeu ſubſiſtentias in vaſis Hepatis inſenſibilibus, ſeu propriâ ejus ſubſtantiâ, & parenchimate, obſtructiones à ſanguine, eaſque veras vocamus, ab obſtructionibus ejuſdem liquidi in vaſis ſenſibilibus, tanquàm ab illegitimis, diſcriminantes; ut infrà.

Obſtructiones Hepatis legitimæ.

Obſtructio Hepatis à ſanguine.

§. IV.

Duplex venit obſtructio à ſanguine in parenchimate jecoris. Prima eſt, cum ſubſiſtentis ſanguinis implicatæ partes omnes uniformiter inter ſe ſe, ulteriorem ad motus inteſtinos validos aptitudinem non ſervant; ſed ſolùm non quieſcentes penitùs, nullo ſymptomatum ſtrepitu morbum produnt. Dicimus tunc obſtructionem ſanguinis frigidam, lentorem cum frigore, ſeu diſcra-

Obſtructio Levior. ſiam ſanguinis ſimpliciter viſcidam: hanc, plethoram vocabant antiqui; hancque etiam recentiores indigitant, retardationes ſanguinis in Hepate, aliiſque viſceribus afferendo à turgentium nimis vaſorum mutua inter ſe ſe compreſſione. Altera, cùm in moles vaſtiores concretæ pergrandes moleculæ ſanguinis, ſicque proprio fluxui obſiſtentes, adhuc tamen tenues aliæ, ſolutæ, mobilioreſque intertextæ, motus inteſtinos quoſdam ſejunctim exercent ſummè irregulares, & celeres; indèque acris perceptio caloris in parte; quorum indè accretio à ſuperafluente perenniter ſanguine, arietante in obſtructionis locum, & ab ulteriori permeatione impedito, trudens vaſa violenter extrorsùm, perhibet moleſtæ tenſionis ſenſum, à violenta adjacentis diaphragmatis preſſura, ſingultum, & tuſſim ſiccam; à repulſis in maſſam tu- *Obſtructio gravior, ſeu Inflammatio.* multuariè fluidis ibidem quietè appellentibus, febrim &c. Hunc affectum obſtructionem ſanguinis calidam appellamus, combuſtionem Hepatis, lentorem cum calore, ſeu inflammationem.

§. V.

Quia autem interdum, coercitæ inter partes ſanguinis inflammatoriè lenteſcentes, ſubtiliores particulæ impatientes compedum, ab eis ſe ſe expediunt, æqualique directione impetus in denſum agmen collectæ omnes, cavitatem excavant in viſceris *Abſceſſus Hepatis.* ſubſtantia locationi ſuæ conformem; hinc Hepatis inflammationi ſuccedit interdùm abſceſſus: Collectio videlicet partium harumce, à vaſis ſanguiferis fugientium in parte viſceris determinata. Concipis hinc facilè ſymptomatum omnium mitigationem in Hepatis inflammatione ad abceſſum vergente, ex diſceſſu harum partium impetuoſarum à ſinu ſanguinis; ſuper extenſionem folliculi ad partes in abceſſum coacervatas, ex ramoſioribus portiunculis in collectionis ſuperficiem, tanquàm in cruſtam implicatis; rupturam tandem apoſtematis non infrequentem, ex liquidi activiſſimi, acerriméque fermentantis extenſivo niſu ſuperadjacens ſolidum ultrà momentum cohæſionis ſuæ, vel ſubitanea, aut paulatina exeſione. Non eſt tamen, quod purulentæ omnes collectiones Hepatis, ſeu abceſſus, præviæ ſemper hujus partis inflammationi ſuccedant: Frequentes ſunt abceſſus Hepatis ex vulnere ad hanc partem inflicto

flicto; Non rari, poſt morbos chronicos varios cum nulla tamen præceſſe inflammationis ſuſpicione. Ter vidimus folliculatam collectionem puris in Hepate poſt hydropem univerſalem; ſemel poſt eſſentialem hecticam. Hos tamen ſpurios abſceſſus vocito; prò ut, nec puris conditione, nec periodo abſceſſibus phlegmonis filiis ſatis correſpondentes; ſed in utriſque lentiores. Notabilis eſt abſceſſus frequentia in Hepate poſt vulnus capitis cum effuſione ſub cranio, quod ab authorum admiratione adnotatum, vidimus & nos elapſo nuper biennio in Capitaneo quodam à Tolonis expeditione reduce, poſt duos menſes à capitis vulnere defuncto; in cujus cadavere abſceſſum Hepatis folliculatum ad pugni molem invenimus. Cauſæ hujus epigeneſis à capite ad Hepar ſat nervosè ab hominibus ampliſſimis eventilatæ videri poſſunt apud *Pigreum*, *Ballonium*, *Slegelium*, *Velſchium*, *Pareum*, *Greaume*, *Binoſquium*, *Mermannum*, *Petrum de Marchettis*, *Charriere*, & *Iob. Meekeranum*. Si in tantis authorum ſynodiis ſuum & offerre votum liceret, dicerem, ſat juſtum eſſe, quod, data imbibitione ſucci purulenti à ſanguine in parte aliqua determinata, ut in Capite, vagans indè commune hoc fluidum per corporis partes omnes, majores puris hujuſmodi portiones deſpumet in viſcere omnium maximo, omnibuſque conſiderabiliori, uti Hepar eſt, in quo longè majora quàm in aliis omnibus apponuntur vaſa, longèque majores quàm in aliis partibus eorundem diramationes; in quo lentior quàm in aliis omnibus ſuccorum omnium eſt curſus; in quo viſcidius, quàm in aliis omnibus ſecernitur liquidum, quod ideò ob ſimboleitatem texturæ, purulentam ſecum materiem per idem colatorium allicere à ſanguine poteſt; in quo denique nulla jacet ab extrinſeco generalis muſcularis potentia, quæ depoſitam, congeſtamque purulentiam repellat ad fluxum.

Abſceſſus hepatis poſt capitis vulnera frequens.

§. VI.

Abſceſſus hepatis memorabilis habetur in Jatromnematibus eruditiſſimi, & in ſocietate Cæſarea Leopoldino Carolina Collegæ noſtri *D. Roſini Lentilii* Conſiliarii, & Archiatri Wurtembergici, quem ideo hîc referre, etiam ultra operis inſtitutam brevi-

T 2 tatem

tatem, concernit. *Cùm appuliſſem*, ſcribit Cl. Lentilio medicus ordinarius, *reperio Dominum Patientem* 34. *circiter annorum valde debilem, totum emaciatum, genis rubentibus, tuſſiculâ ſiccâ cum diſpnæa laborantem, ſiticuloſum, nil appetentem, conquerentem de Epigaſtrii dolore, ſine tamen rubore, vel humore, tunc quidem ſenſibili. Caput non dolebat: Extra lectum morari non poterat: Alvus parum ſecedebat, ſputum erat viſcidum, & virideſcens, aliis cruentum reputatum; mihi non item, quòd nec fæteret, nel in pelvim aquâ repletam immiſſum, fundum peteret. Febris jam ultra* 4. *ſeptimanas deſæviens, periodica, horrore, & æſtu interpolata, caſtrenſis primò reputata. Hinc omnia in deterius ruentia ... tumor Hypochondrii dextri, nunc demum ſublatus abſceſſum in hepate prodidit: Diarrhœa hinc purulenta: Paucis autem poſt diebus æger expirabat. Factâ Cadaveris inciſione, in conſpectum venit hepar magnitudinis monſtroſæ, cujus ſuperior lobus ad os coxendicis exporrectus; idemque viſcus ſub hypochondrio dextro, mirum quantùm protuberante, planè faſtigiatum, notabilis cujuſdam inflammationis, & ſphaceli præbuit indicia; coſtis firmiſſimè adnatum, & octo librarum ponderis. In ipſa hepatis ſubſtantia, & quidem duplici lobo ſuperiori partis convexæ quantitas materiæ purulentæ vireſcentis, & pultiformis, non tamen fætidæ, menſuras duas exuperans, reperta fuit. Sub hoc viſcere latitans veſicula biliaria, limphâ multâ, viſcosâ, limpidâ, tincturæ omnis experte turgeſcebat, cujus quantitas effuſa duarum ad minimum unciarum numerum tranſcendebat. In medio ventre pulmonum lobi toti quanti lividi, profundæ inflammationis indices fuere &c.* Tria ſunt, quæ, ſuper hunc caſum, nobis animadvertenda offeruntur. Primum, tardam fuiſſe, & decollatis viribus diarrhæam purulentam, in vaſta nimis ſuppuratione, ut ſatis hepatis abſceſſus expurgari per ſeceſſum non potuerit. Secundum, non tantùm in ſuppuratis Hepatitidibus, quàm etiam in ſimplicibus, ad attiguum pulmonum lobum epigeneſim celebrari; undè ſputa idiopathica multigena, pituitoſa, flava, ſanguinea, puriformia, purulenta: Hæc hepatis cum pulmone commercia nonnihil vellicamus in problematibus practicis noſtris. Tertium; craſſiori, reticulari, ſeu præcipuâ portione oleosâ bilis per hepatis ſubſtantiam ab infarctibus variis irretita, & ab

ulteriori

ulteriori derivatione impeditâ, non præterlabi, & colligi in cyſtim, niſi ſolutiorem ejuſdem partem, ſeu merum limphaticum ejuſdem vehiculum: Ut indè liquida hoc ritu cyſtica limpida ſint, tenuia, & tamquam non bilioſa. Quod in pluribus hepatis obſtructionibus frequenter vidimus. Varia circa abſceſſus hepatis memoranda videri poſſunt apud decades varias ephemer. noſtrarum *Germ. nat. curioſ. apud Schenkium*, *Bontium* in medicina Indorum, *Boirel* alioſque authores.

§. VII.

Hepatitides frequenter etiam in abſceſſum migrant. Hepatitis eſt *inflammatio hepatis, non exquiſitè legitima; mixta ſcilicet, & producta ex calido ſanguinis, & bilis lentore per viſceris ſubſtantiam.* Hinc Hepatididi non ea ſolùm accedunt ſimptomata, quæ meram Phlogoſim comitantur; acuta febris, ſitis, exæſtuationes, genarum rubedo, & ſimilia; ſed inſuper quæ torridiori per hepar bilis infarctui, ſeu calido ictero ſolent ſuccedere; Linguæ amaror, aut flavedo, flavedo etiam major, aut minor per totum corpus, nauſeæ, laſſitudines, & hujus generis alia: febres præcipuè typhodes, ſeu hepaticæ periodis biliariis ordinariò alternantur; friguſculo, & æſtu quotidie ſe ſe, cum periodica pariter ſymptomatum ingraveſcentia excipientibus. Dolor in Hepatitide, frequentiùs uſque ad mammam protenſus, facilè auſpicandus ex prętumido viſcere, fornicem diaphragmatis in altius elevante, cum inducta etiam paſſione in ſuſpenſorio ligamento: indè etiam venit reſpirationis anguſtia, pectoris affectum ſimulans. Pulſatio ad Hypochondrium, & epigaſtrium moleſta, à cœliacæ dextræ ſanguine, in obicem phlegmonoſum impingente, directè impedito, lateràliter urgente, deducenda venit. Sed ſputa per hepatitidem pulmonaria ejici, flava, pituitoſa, ſanguinea, purulenta, aut intermixta, pleuritidem ipſam affectantia, morbi ſcilicet contagium, uſque ad correſpondentem pulmonis lobum introductum, indicantia; id eſt, quod alio loco intimiùs explorabimus. En recens ad exemplum Hepatitis, à nobis anno ſuperiori obſervata. Matrona quædam annorum 43., bilioſo-ſeroſę conſtitutionis, animi cutis, & menſium ſuppreſſionibus habita, dolore corripitur ad

dextrum hypochondrium pungitivo, ex epigaſtrio uſque ad mammam, & claviculam ſenſili, tuſſi ſicca, difficili anhelitu, pulſu parvo, & celeri, cum febre duplici tertiana. Tenſio, & elevatio ad regionem hepatis, & dolor, in dies creſcentia, cum duritie viſceris circumſcripta. Morbus primis diebus non cedens phlebotomiis cubitalibus, à ſecta tamen ſaphena remiſſior. Tertiâ die inſolentior, cum ſimptomatum recrudeſcentia uſque ad nonam. Copioſa poſt quartam expuitio ſanguinis liveſcentis, pituitâ viſcidâ, & coctâ immixti. Nullum à repetita miſſione ſanguinis, aut fotibus laxantibus, epiceraſticis, & paregoricis ſolamen. Tandem remiſſa febris, & ſymptomata, commotâ liberaliter alvo. Contumacior Hepatis dolor, tumor, & tenſio die decimaquinta, per repetita cathartica, & fotus, evaneſcentia. Ægra poſt dies 40. reſtituta.

§ VIII.

Cæterùm, citò curabilis eſt abſceſſus jecoris, ſi in vegeto Juvene, & virium prȩſentiâ, poſt breve morbi curriculum, ea loci opportunitate perrumpatur, ut facilis ſit per choledochum effluxus puris in inteſtinum, hinc & ejuſdem foràs eliminatio per ſeceſſum ſeu per diarrhæam purulentam, aut per vomitum; aut facilis ſit exitus per vulneris ora, ſi ex plaga productus; faciliſque indè relictȩ ab abceſſu concamerationis abſterſio, & conſolidatio. Abſceſſus jecoris hoc ritu curatos videre *Nic. Tulpius*; *Ioh. Iac. Harderus*; *Nic. Beckerus*; *Aliique*. Suſpecta mihi jure eſt apertio ad exteriora hypochondrii, ad abſceſſum Hepatis eo tramite foràs elutriandum, tùm naturaliter per motum intimum facta, tùm artificialiter per Chirurgi manum, licèt ab authoribus quampluribus ambæ ſint decantatæ Citò lethalia ſunt hujus genii apoſtemata, & ſubitaneam ſæpè necem afferentia, ſi circumſtantiis oppoſitis ad locum exitui imparem abrumpantur; ac vel totum inundent viſcus; vel per abdominis Cavum effuſa, contenta viſcera præfocent; quo caſu empyema Hepatis vocari poſſet. Diuturna ſunt, & incurabilia; ſi denſiùs implicata, ſicque in mobilitatis impotentiam coacta materies ad abſceſſum collecta, in terminis ſuis inalteratè quieſcat. Quod accidit interdum in ſpuriis abſceſſibus;

Vomica, & Tuberculum Hepatis.

ceſſibus; & Vomicam nuncupamus, ſi fluidior ſit maſſa comprehenſa; Tuberculum, ſi craſſior.

§. IX.

A morbis Hepatis ex ſanguine migremus ad morbos ex limpha. Exſurgunt in partibus animalis omnibus ab interſtitiis fibrarum texentium principia Canalium quorundam, qui, ob uſum ſuum, aquæductus nuncupantur, ſeu communiter vaſa limphatica; ſicuti ex ipſamet fibrarum ſubſtantia oriuntur venarum primordia. Calcat aquoſas haſce Fiſtulas liquidum quoddam in eiſdem partium omnium loculamentis ſecretum à ſanguine, quod, ductâ legitimè analogiâ, limpha dicitur; Cujus naturam, progreſſum, uſum, & ſecretionis cauſam abundè exponemus *in ſect.* 15. *operis noſtri Anatomico-pathologici*; & præſertim in peculiari tractatu rei hujuſmodi Hiſtoriæ deſtinato. Copia interdum, frequentiùs Craſſities, & viſciditas, Cauſa eſt, ut in partium ſpatiis ſenſim à ſanguine extricans ſe ſe hoc liquidum, in Canalium ſuorum oſcula derivari nequeat totum; vel quòd ſcilicet ea quantitate ſecernatur à ſanguine, quę nimia ſit Emiſſariorum alveo; vel quod ea implicatione, & volumine ditetur in componentibus plurimis ſuis, ut imparis ſit corpulentię ad tenuiſſima vaſorum oſcula ſubeunda: Hinc eum per ſolidorum ſinulos, & interſtitia exundare frequenter videmus, variaſque in aggeries colligi; elatiores in partibus, ſed molliuſculos, mobileſque tumores elevans in primo caſu; ut in aſcite; in veſicis ab epipaſtici ſtimulo elevatis &c. minores autem, ſed firmiores, & ſtabiles, in ſecundo; ut in ſtrumoſis glandularum infarctibus &c.

Morbi Hepatis à limpha.

§. X.

Utraque ex limphæ erroribus affectio, ſeu utriuſque generis tumor limphaticus competit Hepati. Frigidos vocant communiter hujus farinæ tumores, ad diſcrimen calidorum ex ſanguine emanantium, qui jecur adoriri poſſunt; ut Phlegmon, ſeu legitima inflammatio ſuperiùs expoſita, in qua ſanguinis concretiones abſquè violenta ductuum continentium tenſione, ſeu tumore notabili, non veniunt. Primâ tumoris limphatici ſpecie laceſſitur Hepar, cùm in fluidi ſoluti copias totum diffluit viſcus; ut in tumoribus

Tumores Hepatis.

moribus Hepatis œdematoſis univerſalibus; de quibus *Gliſſonius in* anat. Hepatis: *In hoc affectu totum Hepatis parenchyma ſpongiæ inſtar æqualiter intumeſcit, ſeroſoſque humores undiquaque imbibit. Hoc malo affectum Hepar interdum, in immenſam molem excreſcit*; tùm ejuſdem generis tumoribus partialibus; ut cùm ab aliqua Hepatis parte inſignis magnitudinis veſicæ ſero ſolutiſſimo plenæ propendent, quas etiam paulò poſt commemorat *Idem Author*, *eodem opere*. Sed hæc tumoris limphatici ſpecies ab ubertate hujus fluidi rara ſat eſt; Frequentior memoratâ à craſſitie altera; cùm ſcilicet inſpiſſati, ob varias habitudines ſanguinis, ſucci limphatici, inepti fiunt ad trajectionem per vaſa ſua, poſt ſuſceptam à ſanguine ſecretionem; ſicque in hujus viſceris corpore lentè implicantur; eumque morbum Hepatis adimplent, qui, poſt obſtructionem à ſanguine ſuperiùs memoratam legitimè etiam obſtructio dicitur, eaque limphatica. Hîc jam notate opportunè, limphaticas in parenchymate jecorario obſtructiones, ſolidorum ejus intervalla occupare, non ipſam ſubſtantiam; prò ut in hiſce ſecernitur à ſanguine limpha, ibidemque characterem imprimit erroris ſui; ſicque ſemper impoſterùm omni jure concipiemus, limphaticos in Hepate infarctus, inter membranas, aut inter lobulorum interſtitia perfici; dùm, concretiones ſanguineas, ſeu obſtructiones à ſanguine in intimo parenchymatis corpore, ſeu glandularibus concurſibus collocari, extrà omne dubium poſuimus.

Hepatis œdema.

Obſtructio Hepatis à limpha.

§. XI.

Varias adnumero in Hepate limphaticę obſtructionis ſpecies, ſecundùm gradus concretionis varios in hoc ſucco Hepatis incola. Et ſiquidem, qui lentoris Character ſupponi poteſt in limpha adhuc ſanguini maritata; ſit jam hic ab erratis in victus ratione; ſit à diſſonis animi motibus; ſit denique à re alia procathartica (quod nunc in cenſum non cadit), is vel laxioris, vel ſtrictioris compedis concretiones faciet in eodem liquido jam in Hepatis cancellis ſecreto, dummodò magis, minuſve in eodem ſubſiſtente fluido ſubtiliores ſuperſtites, mobilioreſque partes deperdantur, à circuitu, aut perſpiratione abreptæ; hocque ritu magis, minuſve

minuſve in craſſioribus reſtitantibus particulis niſus ad conta-ctum augeatur. Primam hujuſmodi concretionum ſpeciem ſimplex adimplet obſtructio. Componitur hæc quidem à ſucco in ſubſtantiæ jecorariæ interſtitiis inſpiſſato, ſed ea tamen fluiditatis quantitate adhuc prædito, quæ ſufficere aliquando poſſit ad eum rurſus deducendum in proprios canales. Hæc, illa eſt Hepatis obſtructio communior, quæ febres, alioſve morbos frequenter præcedit, comitatur, aut ſequitur; quæ non difficilè ſolvitur, vel vi naturali, vel remediorum: Huicque refero Hepatis infarctus illos brevi tempore naſcentes, minùſque renitentes, ex limpha crudiori, poſt immoderatos frigidæ potus, vel excedentem fructuum eſum, vel intempeſtiva remedia refrigerantia, vel crapulam, ſatietatemque nimiam, congeſta in ſanguine; indeque in hoc ſanguinis diverticulum eructata, & uſquè ad debitam ejus coctionem immorante: Haſce obſtructiones tanquàm criticas judico; adeò ut alveos grandiores ſanguinis, à fæculentiis ibidem projectis vindicando, graviores ſepè morbos antevertant. *Obſtructio levior.*

§. XII.

Venit indè firmior concretio alia, in qua tenaci adeò cohæſione ſiſtuntur grandiores limphæ particulæ, ut tenuioribus ejuſdem, ac agilibus partibus, vel penè in totum evolatis, vel penè in totum implicatis, omni penè deſtituantur fluiditate, qua removeri poſſint ab adhæſionis loco; Sicque fit ordinariò inſolubilis, concretionis hæc ſpecies; quam variè ſubdividunt Medici ab habitudine aliqua diſſimili humoris concreti. Atheroma dicunt à materia ſua ſevo ſimili; cujus congeſtionis exemplum in Hepate habemus ex *Gliſſonio anat. Hepatis*: Stheatoma ab humore lento, & glutinoſo, pultem, aut cremorem referente; quod & in Hepate obſervatum legitur apud Clar. *Ioh. Fantonum Obſervat. Anatomico-med.* 13. poſt *Segerum*, *&* *Velſchium*: Meliceridem autem à liquido mellis ſubſtantiam æquante: quem caſum anno elapſo auditoribus meis ſat maximum exhibebam in quodam Ductore militum, dùm eorumdem Noſocomio præeſſem. Miſellus per annum ferè, affectus dolore gravativo, & fixo, ad regionem exitus coſtarum ſpuriarum à vertebris oriſontaliter versùs hypochondrium *Obſtructio gravior.* *Atheroma.* *Stheatoma.* *Meliceris.*

drium dexterum anterius extenſo; Succedente hinc febricula habituali, emaciatione, intumeſcentia partis dolentis pallida, grandeſcente in dies cum coſtarum ſuperjacentium incurvatione; Mox ingruente & in dies reſpirationis anguſtia, adeò ut, tanquàm orthopnoicus, non niſi erecta cervice reſpirare poſſet; Tandem poſt ſupperadditam totius habitus intumeſcentiam, verè ſuffocatus, cedebat fatis, expletis duobus menſibus à principio tumoris. Aperto, primis aleis, tumore in Cadavere: Impetuoſa ſtatim eruptio lib. xx. circiter materiæ notabiliter ſpiſſę, ex mixta ſcilicet gelatina craſſiori, ſolutoque ſero compoſitæ, non albæ, ſed rufæ, non graveolentis, non purulentæ. Datâ per debitas inciſiones oculis viâ, totoque expreſſo à fodina ſua humore exundante, antiquæ meliceridis nidus offerebatur, ad Hepatis verticem, ſeu gibbam ejus regionem, qua lambit diaphragma. Effluxæ ad hanc congeſtionis ſedem poſt craſſiores, fluidiores & limphæ copioſiſſimæ; facta quaquaversùm expanſione, impetuque ad exitum, offenſo obice inſuperabili ad partes poſteriores dorſi, & anteriores hypochondrii; actoque ſic in partem debiliorem niſu, ſciderant hiatu ad pollicis diametrum notabili attiguam diaphragmatis faciem à longa jàm laticum exoticorum aſſidentia, & maceratione laxatam, & à tono ſuo deſtructam; indèque ad totum antrum thoracis dexterum exundandum excurrerant; Undè ſucceſſus prædicti. Inſpectio aperturæ ab ipſomet naturæ conatu tentatæ ad exantlandum humorem, intempeſtivam increpavit Chirurgi formidinem à me in tumoris invaleſcentia ſæpiùs ad apertionem, ſtimulatam Huic tumorum generi referri poſſunt minuſculæ aggeſtiones limphaticæ ad milii magnitudinem copioſiſſimè totam Hepatis ſubſtantiam quaquaversùm obſidentes, quas nupero menſe Martio obſervabam in Puella ſexenni longâ febricula, extincta. Acervuli hujuſmodi foveam ſibi congruam in Hepatis corpore, ſeu inter ejus acinos inſculpſerant, à qua indè facilè ſcalpelli acie abradebantur. Contenta materies albumen ovi ad ignem exactè induratum colore, & conſiſtentia æmulabatur. Quod autem notabile: par in Lienis ſubſtantia currebat affectio. Hîc etiàm reducimus ſimiles tumores varios accedentes in

Aliæque congeſtiones conſimiles.

in hepate, poſt longas ægritudines, nunc craſſiſſima, ac translucida gelatina refertos, nunc liquidiori opaca, variiſque colorum mixturis depicta. Sic Primus Italiæ Archiater, *Ioh. Maria Lanciſius* immortali lib. ſuo de *mort. ſubitan.* in Equite apoplexiâ denato obſervabat, poſteriori Hepatis parti, quæ diaphragmati adnectitur, inſidentem tumorem cyſticum æruginoſa velut argilla plenum, ex cujus adhærentia ſeptum tranſverſum eo loci ſubrufam coloris labem contraxerat; atque inde ſicca tuſſis &c. In his omnibus congeſtionibus, quæ eædem ſunt in origine, & natura, modicoque momento differunt, frigidus materię lentor legitimam nunquàm admittit ſuppurationem; Licèt ex tenuioris interdùm confluxu fluidi, miſcella, & orgaſmo quamdam pſeudoſuppurationis ſpeciem concipiat, à vera tamen variis de titulis diverſam: Ejus cæterùm viſciditas ramuloſas varias in collectionis ſuperficie densè implicat partes, ad continentis tunicæ, ſeu folliculi figuram adſtruendam; ut ſuperiùs annuimus.

§. XIII.

Maximus in Hepate concretionis limphaticæ gradus, ille eſt, in quo exhauſtâ omni roridâ limpharum portione, ſtrictiùſque compactâ gelatinosâ; ſeu deperditâ omnimodè mobilitate, in firmum, in durum vertuntur collecti latices, nullimodè ampliùs in liquiditatem reducibiles. Hujus generis morbus eſt, Scirrhus Hepatis; Cujus indolentiam, ſtabilitatem, imò & nullius ſæpè momenti incommodum facilè concipiunt, qui eum tanquàm ex liquidis in ſolidi inertis naturam, & formam tranſmutatis conſtructum penſitant. Particeps mobilitatis eſt Scirrhus Hepatis, non minùs ac alius cujuſque generis tumor, ſi tunicis ejus externis inſideat, non intimo corpori. Plures Scirrhi Hepatici obſervationes habemus in authorum paginis, plures etiam fallacias in eiſdem legimus; ut, Scirrhum jecoris ſuppurari poſſe; imò & factâ exteriùs Cauterio, aut inciſione aperturâ expurgari; Scirrhum jecoris legitimæ inflammationis Sobolem eſſe poſſe; Scirrhum jecoris remediis interdùm introſumptis curabilem; aliaque de eo conſimilia; Quæ omnia prorſus refello. Quòd ſi poſtremum in Hepate attingant fixationis, & indureſcentiæ ſtatum pituitoſi

Scirrhus.

V 2 liquo-

liquores, ut omni deperdita limphæ fluentis facie, tanquàm fex è liquorum evaporatione reſidua, non niſi ejuſdem calcem prę ſe ferant, Venient certè concretiones calloſæ, gipſeæ, tartareæ, ſabuloſæ, lapideæ &c. non multùm texturâ diſſimiles; in quibus omni exuta fluoris forma, & poſſibilitate, propriè ſolideſcit liquidum. Hujus farinę durities in Hepate obſervarunt *Gliſſonius*, *Platerus*, *Benivenius*, *Raygerus*, *Henen &c.* de lapideis in Hepate concretionibus ſermonem ad aliud Caput ſervamus. Expletis obſtructionibus Hepatis legitimis, tùm ex ſanguine, tùm ex limpha progenitis, quas propriè circumſcriptas vocant, illæ eſſent in cenſum ſubrogandæ, quas ſpurias voco; ſeu quæ non ex fluidorum vitio in ejus parenchymate, aut ſinulis exercito, ſed ex mala canalium ſenſibilium habitudine emanant, inſontibus etiam fluidis eoſdem implentibus, adeò ut per ſolos errores organicos, varias exhibeant interceptiones liquorum in ductibus ſanguiferis, & limphaticis. Sed hæc omnia *Capite tertio* jam retuli, ubi de morbis Hepatis à ſolido vaſculari; Ubi etiam de obſtructione cyſtis felleæ, ejuſque Canalium, prò ut ad dictam Categoriam faciente, loquuti fuimus. Cæterùm duo adhuc perpendenda veniunt circa expoſitas obſtructiones Hepatis. Primum, de quibuſdam affectionibus, ad haſce obſtructiones ſuccedaneis: Secundum, ſi in quibuſdam Hepatis, aliorumque viſcerum obſtructionibus conſtituendæ ſint jurè peccantium humorum fodinæ ad febrium præcipuè intermittentium periodos fovendas.

Concretiones Hepatis Calloſæ, Gipſeæ &c.

Obſtructiones Hepatis Spuriæ.

§. XIV.

Quò ad primum: Inter obſtructionis Hepaticæ Satellitia frequentes animadvertimus hæmorrhagias narium: [quod etiam poſt *Volcherum Coiter*, alioſque antiqui ſtigmatis homines varios, ſcripſit in praxi ſua celeberrima Expertiſſimus *Lucas Tozzi*, Partenopęum Decus] & equidem tantum ſpatii detrahitur ab orbita ſanguinis, quantum capacitatis aufert à vaſis ſanguiducis per abdominis viſcera diſſeminatis, vel comprimens, vel offerciens obſtructionis materia; ſicque in anguſtiorem locum coacta ſanguinea moles, non tantùm grandiori volumine ſuperiora impetet vaſa, ſed liberiora earum ora recludet, in nares ſcilicet hiantia. Diarrhœa in eodem

Stillicidia Narium ex Hepatis obſtructione.

Diarrhœa Hepatica.

eodem morbo non infrequens, quam ideò Hepaticam dicunt, petenda eſt à maſſæ alimentaris cruditate, & liquamine ex ſucci Hepatici hebetudine, aut defectu; præcipuè à tranſcurſu limpharum per Hepar plurimùm impedito, hincque in inteſtina undâ notabili regurgitantium: Enim verò; ſicuti in tantùm per animalis partes ſenſim ſecernitur limpha à fluido ſanguineo, in quantùm hoc ſenſim à cordis diſceſſu lenteſcit in capillamentis ſuis; ſicque copioſioribus, ſuprà alias partes, limphaticis donetur Hepar, quia majorem ducat in eo, ſuper alias partes, lenteſcentiam ſanguis; ſic data in ſanguine portæ, ob infarctum Hepatis, retardatione motus ultrà conſuetum majori, fiet, ut tardiùs & idem fluor per ſolida inteſtinalia proſerpens, majores ibidem ultrà ordinarium dimittat limpharum copias; eodemque tempore Cruor aortæ ob idem infarctus Hepatici obſtaculum, ab aſſuetæ quantitatis derivatione per primum emiſſarium ſuum, ſeu cœliacam impeditus; in majori per conſequens ſuprà conſuetum copiâ per ſuccedens alterum immediatè emiſſarium, ſeu arteriam meſentericam, ad inteſtina depluet; ut indè uberius ſerum per hæc viſcera extillare poſſit. Luxuriantes ideò in contumaci, fortique obſtructione Hepatis aquoſæ ſubſtantiæ per abdominis viſcera, diarrhœam prædictam faciunt, ſi cavum inteſtinale ſubeant; Cachexiam autem, aſcitem, aut aliam hydropis ſpeciem, ſi per partium ſubſtantias, meatuſque inſenſiles exundent, indeque per membranas, & integumenta extrinſeca; undè tumor abdominis, pedum, ſcroti, faciei &c. Non eſt tamen quod hydrops ſemper ab infarctu Hepatico ſoboleſcat, ut arridebat antiquis: ſæpè ejuſdem cauſæ cum eo conſocia eſt productio; ut limphæ lentoris, colluviei: & per hoc in frequenti Cadaverum hydrope defunctorum diſſectione, non Hepatis ſolùm Corpus obſtructum offendimus, ſed & meſenterii, pancreatis &c. Sæpiùs autem nullum cum eo Commercium ducit; ut patet ex frequenti obſtructi Hepatis præſentia, abſque ullo hydropis adventu; & viciſſim ex frequenti hydropis aſſidentia, abſque ulla Hepatis obſtructione; adeò ut hydrops ex cujuſcunque alterius viſceris principalis infarctu, imò & à quacunque majuſcula in animali ſecretione depra- *Hydrops.*

vaſa oriri poſſit: ſic non infrequentes ex vitio pulmonum, renum, meſenterii, ſtomachi, lienis obſervamus hydropes.

§. XV.

Quò ad alterum: aſſero quidem in ſtatu naturali totalem in partibus moram, ſeu adhærentiam prohibere fluidis, Circuitus leges: Aſſero tamen hujus rei aptitudinem in ſtatu præternaturali ex inſpectione varicis, aneuriſmatis, aliorumque affectuum conſimilium. Sic data in Hepatis ſinulis ſtatione ſucci alicujus viſcidi, qui à variè per moram fermentatis particulis ſuis novam induat ſubſtantiæ, ac texturæ formam; indeque vel ex propria, vel fluidorum continuò adventantium ſolutione, congruum recuperet fluorem ad limphatica, & ſucceſſivè ſanguinea ſubeunda vaſa; eum certè, ut febrilis acceſſus toties, & per determinata intervalla incitabulum concipiam, quoties à ſanguine in viſceris intercapedines eructatum, per determinata intervalla in ejuſdem ſinum revehi poterit: Stati hinc febrium recurſus, ſeu intermittentium periodi à ſucco, Hepatis, aut alterius viſceris loculamenta, tanquàm fodinam inhabitante, computari facilè poſſunt: Plurimùmque eluceſcit hoc in Hepar, & ab Hepate liquidi morboſi depoſitionis, & reſumptionis commercium, ad febres terminandas, & renovandas ex repetitis obſervationibus, quibus in ſubjectis quibuſdam continuam febrem ex repentino Hepaticæ obſtructionis ortu, & elevatione ſtatim judicari, indeque poſt longa intervalla recrudeſcere, evaneſcente ſtatim Hepatis obſtructione, animadvertebam. Quæ febrem ſolvit Hepatis obſtructio, criticam, ut ſuprà, vocare non incongruum duxi. Claudo prolixam hanc diſquiſitionem ampliſſima adhuc adnotatione; cui vobis exponendæ me teneri exiſtimo.

Fodina febrium in Hepate.

§. XVI.

Eadem eſt per Lienem, ac per Hepar, in liquidis memoratis curſus naturalis proportio. Et ſiquidem; quod ſtat ex parte arteriẹ: Idem diverticulum ſanguinis, ſeu Cœliaca, æqualiter ad Lienem, quàm ad Hepar bipartitur: Quod ex parte venæ: Lentus idem greſſus, quo ſanguis portæ ad Hepar apellit, cauſa eſt, ut eodem etiam lentoris gradu ſanguis per Lienis ſubſtantiam

percur-

percurrat; prout idem ſcilicet lentè progrediens per portam inteſtinalem Cruor, cauſa eſt, ut non niſi lentè ex Liene in oſculantem cum ea ſplenicam venam percurrens ibidem ſanguis derivetur; ob quam rationem ſplenica vena quater grandior eſt correſpondente arteria. Quamobrem, ſicuti proportionalis eſt lentor ſanguinis, & remoratio in Liene, ad lentorem ejuſdem fluidi, & remorationem in Hepate; ſic ejuſdem & gradus proportionaliter fluunt ordinariò in utriſque partibus infarctus, & obſtructiones; ſic conſimilis & proportionaliter eſt per conſequens in ambobus viſceribus limphaticorum numerus, copiaque, & motus devecti liquidi. Eadem in ambobus ſituatio; ambo ſcilicet viſcera eundem in abdomine horizontem, eandemque (ut ita dicam) lateralitatem occupantia. Itaquè lentoris præternaturalis habitudo in viſcerum naturalium ſanguine, aliiſque liquoribus vigens, non minùs in Lienis, quàm in Hepatis parenchymate infigi poterit. Et ecce jam, cur Hepatis obſtructio ſociam habeat ordinariam, & obſtructionem Lienis; nilque in cadaverum extiſpiciis familiariùs veniat, quàm utraſque partes ęquali infarctus culpa peccantes animadvertere: Illaque, inter duo hæc viſcera, in ſtatu ſano, & morboſo conſenſus, & connubia explicata, non mumialia, & ſympatica, ut apud Antiquos; ſed verè mechanica, & in vaſorum habitudine conſtituta. Sic in puellæ exemplo ſuperiùs §. XII. allato, eadem in organo utroque occurrebat congeſtionum miliarium diatheſis. Aliæ, & frequentes accedunt in aliis hominis partibus correſpondentiæ, non ab analoga vaſorum ſenſibilium, ſed ab inſenſibilium diſtributione petitæ; ſeu à compoſitionis, & ſubſtantiæ congeneitate: Ut conſenſus inter varias Corporis glandulas, longè licet diſſitas; cutaneas v. g., & bronchiales; renales, aut inteſtinales, & articulares; meſentericas, & jugulares &c. Sed extrà rem noſtram eſt materia hujuſmodi. Hoc addere hîc debeo, quòd, grandius in œconomia animalis incommodum, Hepatis obſtructionem ferre ſuprà eundem lienis affectum ſat ille noſcit, qui leviter conſiderat, ex primi viſceris obſtructione, ſuper eandem alterius duo mala conſequi notabilia; Impeditam ſecretionem à ſanguine recrementi, quod in eo

valdè

valdè ſeditioſum eſt; Impeditam diſtributionem ejuſdem in inteſtinum, in quo valdè eſt neceſſarium. Collige à dictis, ex lenteſcentia obſtructiva ſanguinis portæ in Hepate, non ſolùm, & eodem crimine implicari poſſe lienis ſanguinem, ſed, & aliorum viſcerum, ſuccum eundem effundentium in portam; ſic ut in obſtructionibus Hepatis, & lienis, iiſdem etiam communiter animadvertantur maleficiis obſita, Pancreas, Meſenterium, Omentum &c.; Obſtructionibus ideò lienis, aliorumque etiam abdominis viſcerum, quæ in portam ſanguinem ſuum transfundunt, ordinariò antecedere obſtructiones Hepatis; adeò ut in generalibus viſcerum abdominis obſtructionibus, quiſquis legitimè affirmare poſſit, primogenitam fuiſſe obſtructionem Hepatis, quod ſuper cæteras haſce partes magis eſt capeſcendis obſtructionibus diſpoſitum; prò ut ſuprà eas omnes liquido craſſiori tranſcolando deſtinatum; & econtra non obſtructo Hepate, ſeu liberè per hoc viſcus trajiciente, præter alios ſuccos, cruore portæ, difficillimè prehendi obſtructionibus alia abdominis viſcera, prò ut liberè fluunt per ea latices omnes, ob liberum ſanguinis portæ fluorem per vias ſuas; ut patet.

§. XVII.

Perpensâ jam obſtructione Hepatis ſanguineâ, & limphaticâ, remaneret hîc, etiam propriè humoralem conferre, ſeu bilioſam: expoſitis ſcilicet jam morboſis lentoribus ſanguinis in glanduloſis concurſibus Hepatis, limphæ in lobulorum, acinorumque interſtitiis, tertii jam memorati humoris, ſeu vernaculi ejuſdem partis recrementi, in vaſis peculiaribus ſuis lentores peragrare incumberet: Sed cùm principaliores à fluidis morbi in Hepate, aliiſque viſceribus naturalibus, ex variis ſecernendæ, aut ſecretæ bilis erroribus auſpicentur; hinc, ut penſo exactiùs incumberem, operæ pretium duxi, varietates eorumdem omnes novo quodam, nitidoque ordine exarare; ſingulas nempe ſub quinque vitiatæ Hepatis ſecretionis claſſibus, totidem in capitibus comprehenſis, colligendo. Sic primo Capite morbos Hepatis, aliarumque partium expromam ex aucta bilis ſecretione; ſecundo ex diminuta; tertio ex abolita; quarto ex depravata; quinto ex ſecretione ad alia etiam organa translata. Sit jam igitur. CAP.

CAP. VI.

Morbi à ſecretione Hepatis aucta.

§. I.

ANimalis ſanitas in debito locatur ſecretionum conſuetarum uſu; ſicut vita in debitis per ſolida, fluidaque correſpondentiis motuum. Hinc cùm à motibus ſecretiones accedant; vita ſecretionum principium eſt; & reciprocè ſecretiones ſunt principium vitę, dùm à vitiatis ſecretionibus, vitiantur, à ſuppreſſis, & ſupprimuntur motus vitæ neceſſarii. Præcipua ad vitam animalis faciens ſecretio, bilioſa eſt. Et quemadmodùm tota œconomię animalis perfectio à recto hujus ſecretionis ſtatu auſpicatur (*ut vidimus ſuperiùs.*) Sic omnes penè illius errores ab ejus vitio ortum ducunt. Bilis multipliciter (*ut ſuprà*) aberrare poteſt à naturali habitudine ſua; hinc morbos innumeros à viſcerum naturalium ſede oriundos procreare. Hîc primò conſideranda veniunt, vitium ejus in quantitate ſimpliciter nimia, ſub auctæ Hepatis ſecretionis titulo comprehenſum, affectuſque ab eo emergentes. Cæteræ ejus exorbitantiæ, morbique earum aſſeclæ, in ſequentibus capitibus ſub variis ulteriùs ſecretionis Hepaticæ diſſonantiis, accedent. *Vita, & ſanitas in quo fundentur.*

§. II.

In Duplici caſu exuberare poteſt liquidum bilioſum, undaque tumidiori in inteſtinum perfluere; vel cùm luxuriantibus reverà in ſanguine copioſiùs bilis principiis, uberior fit eorumdem tranſcolatio in Hepate, & derivatio in inteſtina: vel cùm conſueta ſolùm vigente tùm in ſanguine, tùm in colatorio quantitate bilis, eadem ab inſolitis corporis ipſius Hepatici, aut partium adjacentium contractionibus validè adeò, copioſèque per ductus ſuos, in duodenum exprimitur, ut ſoliti effluxus menſuram longè, & exigentiam tranſcendat. Venit bilis exuberantia in primo ſtatu; cùm poſt exercitia immodica, vigilias diuturniores, febres ardentes, *Duplex eſt exuberantia bilis. Vera Et apparens.*

ſpirituoſa alimenta, fervidaſque tempeſtates tanta in ſanguine extruitur quantitas ſalſi lixivioſi, retorridique reſino-ſulphurei, ut incerniculo ſuo, ac inteſtinis, ſuprà conſuetum exundandis ſufficiat. Accedit in altero caſu; cùm ex diatheſi ſpaſmodica Hepatis, ventriculi, aut inteſtinorum, in affectu hypochondriaco, febrium intermittentium principio, colica nervoſa, aliiſque contracturis morboſis, adeò premuntur attigua promptuaria bilis, ut tanquàm ab admoto emboli validiori momento, violenter, & uberrimè in inteſtina trudatur liquidum convaſatum. In utroque ſtatu grandeſcens in inteſtino proportionaliter cum copia & bilis ſtimulus; iſque à competenti Chili, aliorumque liquidorum inteſtinalium mixtura non ſatis imbibitus, & involutus, nerveam ejuſdem canalis laceſſit, & quatit tunicam: hinc tenſiones ejuſdem, & criſpaturæ, colica, hydrops ſicca, aliæque orgaſmi biliosi ſoboles: Borborigmi, & flatus præcipuè, ob alternè introductum in fiſtulam inteſtinalem, colliſum, & rejectum externum aerem ab eadem alternè contracta, & reſtituta (quam flatuum mechanicam ampliſſimè elucidabo in peculiari tractatu) Perfluens uſque ad cavitatem ventriculi tumidum humoris hujuſmodi fluentum, nauſeam ibidem procreat, ſputationes copioſas, vomitus, præcordiorum anxietates, cardialgias, vertiginem, dolores in ſuprema cavitate lancinantes, anorexias, alioſque ſtomachi, & capitis morbos: Quarum partium ſtrictiſſimum, ſubitumque reciprocè conſenſum ille radicitùs percipit, qui veram colit Anatomem. Tantùm etenìm inſequitur culter propaginum nervoſarum affluxum ad ſtomachum, ut non niſi ex glomo nerveo explanato contextam hanc partem oſtendat: Tanta inſuper eſt, ſuprà alias omnes corporis partes, nervorum à capite ad ventriculum excurrentium rectitudo, ut facilè percipiamus, concuſſionem, tenſionem, aut novitatem aliam in nervi extremo ad ſtomachum deſinente impreſſam, ocyſſime uſque ad extremum aliud, ſeù originem ad caput ſuam propagari poſſe. Imò ex copioſa bilis effuſione in inteſtina, & ventriculum, repentinam obſervarunt mortem *Veſalius*, & *Ballonius*.

§. III.

§. III.

Inter bilis affectus præcipuum tenet locum Cholera morbus; quem ab aucta hepatis ſecretione, ſeù copioſiori ultrà ſtatum naturalem in hoc viſcere ſecreta bile, & ad tenue inteſtinum ſuffuſa deducunt inter modernos quamplurimi; eò quòd in denatis ex hoc morbo, fellis folliculus non ſolùm bilem contineat ejuſdem tincturæ, viridis, æruginoſæ, aut alterius; ac tulerant ſucci in affectus vigentia ſupernè, infernèque erumpentes; ſed eadem ſemper extremè ſatur occurrat: Præcipuè quòd in gracilibus, & pichrocholis conſtitutionibus, in quibus exorbitantiæ bilis aſſueſcunt, frequens ſit hæc affectio. Alii tamen jecur in hoc morbo abſolvunt ab omni culpa, obſervantes choleram ordinariò, atque citiſſime ſuccedere ingeſtionibus cibi diſpepti, immodici, aut aliter pravi, aliiſque victus erratis: nec tàm præceps (*aſſerunt*) breviſſimo temporis ſpatio fieri in Hepate poteſt bilioſæ ſecretionis exceſſus hujuſmodi. Litem hanc ad veritatis trutinam conciliando: Volumus cum primis ſuccorum in cholera per vomitum, & alvum effluentium flavedinem, virorem, æruginoſitatem, aut formas alias, veras eſſe legitimæ bilis Hepaticæ tincturas: Affirmamus cum alteris enormem illam humorum copiam brevi temporis curriculo in eodem morbo elutriatam, ab aucta Hepatis ſecretione non auſpicari, ſed ab actione liquorum in tubo inteſtinali naſcentium, ibidemque in maleficos degenerantium. Et equidem aggeſtum in inteſtinis vel ab impura Chyloſi, vel ab arteriolarum eructatione, vel à ſubdola veneni præſentia liquidum exoticum, tumultuarium, & acre, eo pollere poteſt ſtimulo, qui, ſuprà vim fortioris cathartici, par ſit copioſiſſimis emungendis ſeroſis, aliiſque humoribus, ex innumeris per totam inteſtinalem faciem diſperſis hydragogis tubulis, ac ſiphunculis excretoriis, & præcipuè ex Hepatis, atque pancreatis emiſſariis; ut tot alvi dejectiones, vomituſque adimplens porrigatur materies. Dixi in inteſtinis choleræ incitamentum procreari, per quam rationem, vel modicum, ſuccis copioſiſſimè eliciendis ſufficiat, pluſquàm ferocius quodcunque purgans. Reverà medicamentum purgans, ſuum in ventriculo irritamentum inchoando, in violen-

Cholera morbus.

tam illicò contractionem ducit fibras ibidem motrices; quarum indè per totum inteſtinalem tractum continuatio, ſucceſſivam ejuſdem contractionis conſpirationem amplectitur uſquè ad podicem; adeò ut per totum hoc iter propulſæ inceſſanter, purgantes particulæ, ac ab omni mora per inteſtinorum parietes inhibitæ, ab eis fugitivè confoſſis mediocres ſolùm exhauriant laticum rivulos: Sed choleræ materia in tenuis inteſtini anguloſitatibus erigens caput, antequàm ad excretionem exſurgant ſenſiles tunicæ, jàm mucis adeò, pliciſque alligata jacet, ut ibidem longiùs degens, & ſtrictiùs affixa, integram vim ſuam explicare, ampliſque ſuccorum expreſſionibus proritandis vacare poſſit. Probos autem magnam partem humores exprimi in hoc affectu, non morbidos, comprobant, enormis ab excretionibus perfractio virium, ſectantes Leipothymiæ, aſphixiæ, facies hypocraticę, marmoreæ frigiditates partium &c. indèque, frequenter interitus; Et Præcipuè, notabile in inſultu nocumentum à quocunque purgante vel leniſſimo; ſolum ab alexipharmacis vivificantibus, imò & narcoticis levamen. Cùmque bilis potentiſſimum ſit tingens; ut patet, quando bilis cyſticæ ſolo ſemicochleari integram aquæ libram colore ejus genuino ſaturamus; ſic, ſucci omnes limphatici hoc in morbo foras è latibulis ſuis per exprimens ſtimulum eliciti, eo pingentur colore, quem bilis ab eadem expreſſione eructata, eiſque confuſa, adducet ex Hepate, ejuſque folliculi in duodènum; ità ut merè bilioſa appareant hæc liquida; non minùs ac plures aquę menſurę paucula cruoris quantitate imbibitæ, & intinctæ, ejuſdem colorem, & ſubſtantiam mentiuntur.

§. LV.

Bilis exundatio ſæpe critica.

Cæterum ſecretio in Hepate major quàm ordinaria, critica interdùm eſt; ut variis in febribus, aliiſque affectibus; quo caſu inter Hepatis morbos non adſcribenda; prout morbum non faciens, ſed ſolvens. Vidimus nuper ex ſubitaneo ſincerę bilis, ingentique vomitu curatam annoſam Hemicraniam; & 2. ab hinc annis judicatam 15. menſium Quartanam.

CAP.

CAP. VII.

Morbi à ſecretione Hepatis *Diminuta.*

§. I.

SEcretio bilis præter exigentiam naturalem imminuta in emunctorio ſuo, vel eſt ab ipſius organi, vel à bilis ipſius defectu. Accedit primò, quando ob conſtrictos præternaturaliter Hepatis ſolidos, ſeu in denſitatis intemperiem coactos (*ut vidimus Cap.* 2.), vel ob ſcirrhi, aliorumvc tumorum preſſuram, ſecretorii, & excretorii glandulæ bilaricæ meatus ad minorem, quàm deceat, amplitudinem reducuntur; ut indè & minor, quàm naturaliter fiat, trajici quantitas per eos poſſit liquidi conſueti, & adhuc naturaliter conſtituti. Venit ſecundò, cùm craſſiorem, viſcidamque craſim adepta bilis, colatorii Hepatici immiſſaria, & emiſſaria, naturali licet in amplitudine adhuc poſita, eadem copiâ, ac naturaliter petitur, in dato tempore permeare non poteſt. Craſſior fit bilis, vel cùm ſpiritu exuitur, aut aquea humiditate, aut utroque, per introductam exuberantiam caloris; ut in æſtivis febribus continuis; immodico exercitio; potuum ſpirituoſiorum intemperantia &c.; Vel, cùm in ea depreſſa liquidiora hæc principia, à terrei, aut gelatinoſi prædominio illaqueantur; ut in Chloroſi, Cachexia, obſtructionibus, affectione hypochondrica &c. Vel tandem, cùm craſſiores, irregulares, limoſaſque ſuas partes, tanquàm ſedimentum amurcoſum, & cretaceum, criticè in Hepatis colum deſpumat cruor, inſonti ſic cęterùm bili viſciditatem concilians: ut in ſpontanea intermittentium variarum ſolutione, interdùm videmus.

Paucitas bilis ex duplici cauſa.

Lentoris in bile extraordinarii triplex cauſa.

§. II.

Varii à manca bilioſi laticis percolatione in inteſtinum, enaſci poſſunt in primis viis, & ex his in ſanguine affectus. Chilus à bilis verrentis penuria in competentem occaſionem non poſitus induendi indolem roris puriſſimi, & juſtæ alchoolizationis ſublimitatem; crudus ſic remanens, caſeoſus, lentus, non tantùm fla-

tus in inteſtinis procreat, tenſiones, putrilagines, inappetentias, vermes; ſed in meſenterio, aliiſque viis ſuis turpiter implicatus, infarctus contumaciſſimos; in ſanguine intromiſſus, fæculentias, & craſſamenta, indeque febres lentas, macies; in viſceribus omnibus, & habitu corporis, chronicas omnis generis congeſtiones, putresque cacochilias. Sic facto vitiorum circulo omnes hydropis ſpecies ab hoc imminutæ ſecretionis Hepaticæ ſtatu emanare paulatim poſſunt; quotieſcunquè ſcilicet, poſt varias humorum diatheſes ab eodem inductas, aquoſę ſubſtantię ſanguinis ab aliarum implicatione ſolutæ, audeant in univerſo corpore, vel in parte aliqua, veteribus à viis deviare, novas cudere, ac in occurſantibus capacitatibus recolligi. Imminutam bilis ſecretionem ſequitur plerumquè uberrima Aſcaridum geneſis, & tripudium in inteſtinis; quæ indè animalcula à corpore fugare diſcimus majori per catharticum provocata ad duodenum quantitate bilis. Lepida eſt Aſcaridum hiſtoriola in amico meo. Is per annos jam plures (ut etiam in aliis aſſolet) hoſpes hujus generis verminoſæ familiæ, indomabilis à quocunque remedio, periodicam ſolùm ab eadem moleſtiam patitur. Et ſiquidem hora veſpertina (*Horolog. Gall.*) exactiſſimè ſemper nona deſcendentia ad ejus podicem tumultuaria horum viventium agmina, tantam ibidem, ſpiris celerrimis ſuis, minimisque aculeis moleſtæ titillationis terebrationem per horam integram, nempè uſquè ad decimam, excitant; ut nullis quaſi negotiis vacare vir poſſit tunc temporis. Omnimoda cæterùm petulcorum animalium in aliis diei ſpatiis quies; ſicque nulla prorsùs eorundem perceptio. Id conſtantiſſimè per omnes tempeſtates anni, omneſque ſtatus affecti.

Dicti lentoris effectus multiplex.

CAP. VIII.

Morbi à ſecretione Hepatis abolita.

§. I.

ABolita in jecore ſecretione bilis, peſſundatur tandem machinæ animalis ordo, pendens ab interrupta primæ coctionis

nis actione: Imò vidiſſe affirmant Authores ſubitas ſępè neces in ſubjectis; quorum cadavera cyſtim, ductusque alios Hepaticos, nec non inteſtina liquido bilioſo omninò vacua exhibebant. Cauſæ ſuppreſſæ omnimodè tranſcolationis in Hepate recrementi ſui, eædem eſſe poſſunt, ac in ſuperiori capite ad ſolam ejuſdem imminutionem conſcriptæ, ſed longè graviores; effectusque iidem ideò, ac expoſiti, ſed validiores & longè; adeò ut funeri manuducant præcipiti. Ex pleno bilis ideò defectu in inteſtinis non ſolùm vermes pullulant, chilique corruptelæ; ſed teterrimus excrementorum fætor, delirium, letargia, ſuffocationes &c. ab acore videlicet cibario ob bilis verrentis abſentiam putreſcente, obvios ſuccos omnes ſubvertente, ſolidaque nervea quatiente.

§. II.

Ex bilis effluxu in inteſtina ſuppreſſo, petenda frequenter eſt chiloſarum excretionum, aliorumque alvi fluxuum cauſa. Dempto namquè occaſionali principio ſolutionis ſuæ ab inutili fæcum ſarcina, facilè reſtitat Chilus in earum cloaca; cujus indè infectione fraceſcens, tanquàm excrementum non minùs evacuabile, per communem viam, foras ablegatur è corpore; poſtquàm ob liquiditatem ſuam, corpulentiam & eiſdem fæcibus liquidiorem conciliaverit Sæpè è converſo, ab eodem bilioſæ derivationis defectu in inteſtinum, origo adſtrictionis alvinæ procedit; deficiente ſcilicet unà cum bile, naturali ad excretionem inteſtinorum ſtimulo. Obſtupeo cæterùm de *Ariſtotelica* apud *animalium Hiſtoriam* aſſertione: Quòd ſcilicet omnimoda fellis privatio in bubulis victimis nonuſquàm perciperetur.

CAP. IX.

Morbi à ſecretione Hepatis Depravata.

§. I.

INſidens hìc declarandis depravationibus Hepaticæ ſecretionis, modos omnes ſecreti liquidi à norma naturali devios attexere

intelligo:

intelligo: Derivat etenim immediatè cujuſcunque ſecretionis depravatio à depravatione humoris, qui ſecernitur. Venio ideò jam ad cunctas ſpecies depravatæ bilis, ſeu modos præternaturales, morboſque indè in homine prodeuntes numeris omnibus abſolvendos; melioribus ſcilicet, quantùm potero, ordine, claritate, *Tres depravatæ bilis ſpecies.* & brevitate exarando. Bilis modi, ſeu qualitates ejuſdem omnes, quæ, in hominum morbis, vitii ſuſceptibiles ſunt, ad tres ſolùm ſpecies reducuntur, ſcilicet ad tactile, ad ſapidum, ad coloratum.

§. II.

Bilis morbi in tactili. Ad tactile referuntur illi omnes bilis ſtatus, qui ejuſdem conſiſtentiam reſpiciunt, ſicque à tactus ſenſu perceptibiles ſunt. Quoniam eſſe rerum animalium naturale, in quadam ſemper moderatione, ſeu mediocritate conſiſtit, longè ideò ſemper ab exceſſu diſtante; ſic in tactili habitudine bilis, duæ primariæ vitiorum claſſes accedere poſſunt, ſecundùm quòd alterutrum regnet mediocritatis extremum. Bilis itaquè vel debitam variat conſiſtentiam, tenuiorem induendo, quàm par ſit, vel craſſiorem aſſu- *Bilis aquea.* mendo. Aquoſior hic humor, fluidior, ac lixivialis in cachexiis quibuſdam, aliiſque ex colluvie ſeroſa affectionibus obſervatur; in quo ſtatu activa ejuſdem principia à redundante ſero nimis invicem diſſita, & tanquàm ſubmerſa, chiloſeos numeri imparia ſunt: Hinc varii primarum digeſtionum morbi; quos inter, diarrhœas interdùm vidimus diuturnas, non tam ex bilis per inteſtina fluxilioris materie, quàm ex alimentorum, coctione ex- *Limoſa.* petita non elaboratorum liquamine. Frequentior eſt bilis in ſtatum oppoſitum incidentia, ſeu in craſſitiem ultrà inſtitutum naturæ: Facilis nempè mutatio in liquido, cujus naturalis jam ſuprà alios humores viſciditas, in majorem ſat facilè accedit: Cujus videlicet ramoſæ, graveſque ſulphurum ſubſtantiæ facilè ab aqueis vehiculis ſequeſtrari, ſtrictèque inter ſe ſe compingi poſſunt; præcipuè cùm cauſa aliqua, ut æſtas, labor immodicus, ſolis æſtus, liquorum ardentium libido &c. roridam ſanguinis partem, ſeu oleagineo-volatilem, craſſiorum ſulphurum ſolutivam, adeò deprędat, ut limum ſolùm exſuccum, & in ſe ſe coactum Hepati ſecernen-

cernendum linquat. In hoc caſu, qui ideò creberrimus eſt, cruoris compagi ingraveſcens hoc recrementum, eoque vividiùs projectum in colum ſuum Hepaticum, ob indutam hanc ſpiſſitudinis formam, impar eſt ibidem viis liberè trajiciendis ſuis, adeò ut in ductuum ſuorum anguſtiis, ſeu eorum principiis lenteſcat, ad ſtabiliendam obſtructionem. Et quia lenteſcens bilis in ſcaturigine ſua, vel mobili quacunque, & ſeditioſa aptitudine deſtituitur; vel activa adhuc fovet in gremio, & inquieta principia, in lentoris loco ideò exſurgentia ad luctas; ſic lentorem bilis, non minùs ac ſanguinis ſuperiùs deſcriptum, in duplicem diſtinguimus, frigidum, & calidum. In primo igitur, bilis ſimpliciter limoſa eſt, amurcoſa; ſeu propriè frigida, apud antiquos; ut in hydrope poſt Hepatis obſtructionem accedente: In altero, non limoſa ſolùm, ſed acris ſed exæſtuans, & propriè calida; de qua in *ſequenti paragrapho:* In utroque, varii chiloſeos defectus emergunt: Vel etenim profundiùs involuta, vel altiùs efferata bilis elementa, ſuccos alibiles non ſatis, aut nimis ſolvunt. Concoctio autem bilis morbosè lenteſcentis in Hepate, nomen in arte tàm ſtrepitans, eſt in tantàm fluiditatem à ſuccis circumeuntibus redintegrari hoc fluidum per mutuatas in dies ſeri recentis copias, ut à ductuum ſuorum adhæſione disjungi ſat poſſit, & per emiſſaria ſua foràs à viſcere derivari. *Frigida.* *Calida.*

§. III.

Sapidum, conſiderabilis eſt adeò in humoribus animalis modus, ut Archigenes, ipſeque Medicinæ Protoplaſtes Hippocrates priſcis jam ab ætatibus, noſtriſque diebus *D. Ceſuin.* apud *Zod. med. gall. ann.* 1. *menſ. ſept.* morborum penè omnium, ac Symptomatum Cauſas à ſaporibus deduxerint; imò & naturales omnes partium humani corporis mutationes. Et reverà qua corpora ſapida organum guſtus habitudine afficiunt, eadem & apta nata ſunt ſuper alias omnes partes impreſſiones ſuas proportionaliter inſculpere, eaſque ideò variè permutare. Firmat Prædictorum ſyſtema gravis illa apud Eruditum *Lanzoni exercit. de Saliva* Obſervatio in Matrona, cujus ſaliva per 8. menſium curriculum deferebat à ſanguine ad linguam, & ora poſſibiles quaſcunque ſapo- *Bilis morbi in Sapido.*

rum ſpecies, ſibi invicem variis periodis ſuccedentes. Sapidum bilis naturale in prima hujus operis parte ſatis indicavimus: Præternaturale, ſecundùm dicta ſuperiùs, in duas claſſes tanquam oppoſita extrema dividitur. Peccat igitur bilis ſapidum, vel in eſſe obtuſiori, quàm deceat, vel in acutiori. Venit primo modo, cùm minimè amareſcens eſt, inſipida, aut dulci proxima; rebuſque ideò ſuis inepta. Induit hanc affectionem vel ex ſalium ſuorum deficientia, vel depreſſione, vel mole grandiori, inertiorique ponderoſitate; ut nec fluorem, phlegmate diluta ſuo, adipiſci queant, nec ad motus conſuetis actionibus congruos evehi. In Cachecticis, præcipuè mulieribus, aliiſque lentè ægrotantibus, delinquentem hoc ritu bilem ordinariò vidimus: Depreſſa etenim, & paupercula in hiſce morbis fermentatio ſanguinis, impar eſt cumulandis mobilibus, torridis, ſolutiſque ſpiculis, quæ inſapida bilis elementa faceſſant: Sanæ ſic bilis geneſim refermentantibus cruorem remediis, in hiſce caſibus procuramus. Inſipidam ideò, crudamque bilem non ſolùm varii præcedunt morbi, ſed & varii, variæque naturæ ſequuntur; ut ſic hoc bilis genus morborum ſit effectus, & cauſa: Fracidi chili ſtatus, congeſtiones, ſtagnationes, putredines emergunt; chloroſes ingraveſcentes in diem, cachexiæ, hydropes omnigenæ, totque aliæ affectiones, quot naſci poſſunt à dejecto, per hanc bilis fatuitatem, primarum coctionum negotio.

Bilis Inſipida.

§. IV.

Ad apicem alium Sapidi bilioſi emigrando, ſeu ad acutioris habitudinem; Bilem obſervamus à moderamine amaricantis ſui in acidam deflectere enormitatem, ponticam, auſteram, ſalſam, aliaque ad varios morbos incitamenta, quotieſcunque ob prævias in maſſa generali fluidorum motiones varias, variis figuræ modis ſalina ejus aculeantur principia, variiſque indè locationibus cum cæteris componentibus concurrunt. Ex ſalſa bile variæ in cutem eruptiones accedunt; Erpetes, Eryſipelata, Pſorę, Phlictenę, Impetigines, Epynictides, Ephelides, Maculęque illæ, quæ propriè dicuntur Hepaticę; in quibus omnibus colligitur, ſtillatque liquor erodens, flavuſque, ſeu bilioſus; ſubtilior ille ſcilicèt,

Salſa. Acida Pontica &c.

licèt, qui è foco ſuo jàm pridem in maſſam ſuggeſtus, niſi indè depuratorio eructatus ad corporis extremitatem fuit; ubi, ſpiculis ſuis à maſſæ implicatione expeditis, nec non ob initam ibidem moram potentioribus, exeſiones aggreditur in canalibus, ſolutiones in liquidis, aliaque mala. Quod accidit ad hominis extima per bilis ſalſedinem, idem, aut ſimile ab eodem projecto liquore ſuccedere & in intimis partibus poſſe, non inficior; Dùm ſalia bilis, ſuper alia omnia, irregularia, & mobilia, ſicque, & nocentiora conſidero: Ex hoc inde principio irruentias varias, & eroſiones internas perpetrari exiſtimarem; Enopthyſim, Phthiſim, Aneuriſmata &c. Variæ per vomitum, & alvum turbationes fluorum obveniunt ex acida bile, pontica &c. In hypochondriis æſtus, & anguſtiæ; in primis viis tormina, & tumultus; in coctionibus inordinationes quamplurimæ &c. Sed fæcundiſſima morborum mater eſt, bilis ultrà conſuetum acrior. *Acrior.* Notabilem judicamus acredinem in latice bilioſo, cùm ſubſtantiolæ ejuſdem, tùm Salinæ à componentibus aliis ſolutæ, ac ad ingentem attritionis, fluoriſque gradum evectæ, cùm Sulphureæ in brachiolis diſcerptæ ſuis, & ſubtiliatæ, ſummam concipiunt aptitudinem ad motuum rapidiorum rotationes, parteſque ſic obvias omnes magno vigore afficiendas. Bilis itaque ultrà naturam acrior veſiculam inhabitans ſuam, non tantùm tranſſudat ad partes adjacentes hepaticas interdùm, eas liniendo colore ſuo; ſed & intimè corrodit, ultimaque labe putrefacit: Ut legitur apud *Melchiorem Fribe* in *Ephemerid. nat. Curioſor. German.* Per inteſtina in ventriculum transfuſa, ardoris in eo ſenſum inſculpit communiter: Ut apud *Platerum*; eumque non ſemel erodit, & perforat: *Ut* apud *Rhodium*, *Dom. Salam*, *Panarolum*, *Bartholin. Th.*, *Alioſque*: Nervoſas ſæpè ejuſdem partes ſenſibiliter quatit: Sic qui præfervida hujuſmodi pollent bile, jejunium diutiùs protractum vehementi ſtomachi, aut capitis dolore ſenſim ingraveſcente perſolvunt: Nec niſi cibatus affectum tollit. Et ſiquidem, non minus ordinarium eſt, exundantem in ventriculo acorem bilioſum ab eduliorum ſubſtantia imbibi, & illaqueari, ſicque & ejuſdem ferociam ſilere, quam nervoſam ejuſdem viſceris tunicam à nu-

dis, & non involutis bilis aculeis laceſſiri, indéque & conſenſum trahi cum nervorum origine in capite; pro ut nulla inter corporis partes rectior, & refertior vergit nervorum productio, quàm inter caput, & ventriculum; ut vidimus *Cap. ſexto.* Cardialgia; Morſus ventriculi, quem ſodam dicunt, præcipuè in æſtate contingens, aliique hujus viſceris morbi ab eadem bilis eum exundantis turgeſcenti acredine petendi veniunt. In ſanguinem immediatè à ſede ſua, aut per galaxiam remeans hujus genii bilioſus humor, febres ardentes efficit, deliria, phrenitides, convulſiones, & manias *Ex Hippocratis oraculis.* Præſertim autem per inteſtina oberrans, colicas ibidem acerrimas excitat, quas ideò bilioſas vocant, efferoſque teneſmos, & diarrhœas; quibus contumaces dyſenteriæ ſuccedunt, ſi à muco inteſtinali imbibitus, & remoratus erodens hic liquor, fixam ibidem eligat ſedem ad fodicationes ſuas circumpoſitis tunicis commodiùs, & validiùs indendas. In recto inteſtino ſæpè hæmorrhoides exaſperat attritione ſua, ſicque tumefacit, & ad phlogoſes diſponit.

§. V.

Fluxus Hepaticus. Dùm ſermo eſt de diarrhœa, & dyſenteria ex hepatis vitio proficiſcentibus, ab inſtituto aberrarem, ſi de ulteriori alvi fluxu proximiùs ab Hepate dependente, Hepatico ideò dicto, elocutiunculam non apponerem. Infelix eſt adeò fluxus Hepatici inveſtigatio apud modernorum ratiocinia, ut de elucidatione Medicina deſperans, morbum inter Antiquos tam ſerium, morbis imaginariis adſcripſerit. Tantæ impoſturæ cauſa eſt, raritas hujus morbi; per quam difficilè examinari poteſt, & internoſci; præcipuè ejuſdem per circumſtantias varias cum morbis aliis affinitas; per quam idcircò in identitate originis cum ipſis (prorsùs cæterùm diſcrepantibus) confunditur. Sic Multi inter dyſenteriæ ſpecies reponunt fluorem Hepaticum: Alii inter hæmorrhoidum errata: Plurimi in vitiis ventriculi &c. Miſeri Antiquorum Codices! Ecquid tanta veſtrûm ſedulitas in ſignis veridicis hujuſce morbi, plenèque diſtinctivis exarandis; ebuccinantes ſcilicet, dejectionem eſſe fætidam, indolentem, ichoroſo-ſanioſam, ſeu flavo-ſanguineam, cum habitudine corporis ad ictericum, ad cachecticum,

ad

ad hydropicum; frequentibus præcipuè per alias partes ſanguinolentis effluxibus? Ecquid; Dùm Recentiores noſtri turpiſſimâ potiùs ignorantiâ obcæcari malunt, morbum palpabilem negando; quàm veſtros lectione dignari ſudores? Eja: Dicite illis, quòd, ſiquidem audire vos nequeunt, audiant ſaltem Sodales ſuos. Audiant *Iac. Bontium med. indor. lib.* 3. *obſerv.* 9., qui litteris ſeſquipedalibus evulgat, inveniſſe in homine poſt fluorem Hepaticum ſex menſium defuncto, *loco Hepatis ſolam membranam ipſum inveſtientem ſatis craſſam, inſtar ſucci; cui adhuc portio ſaniei, loturæ carnium ſimilis inerat, qualem tam longo tempore excreverat.* (ſimilemque caſum jam pridem viderat *Ballonius lib.* 1. *conſil.* 53. in ſex annorum profluvio, & *Th. Iordanus cap.* 19. *Phenomen. De Peſte*, in ſeptem ſolùm dierum morbo) Audiant *Clar. Drelincurtium in Theſ. diſcipul. ſuor.* apud *tom.* 2. *Bibl. Pract. ampliſſimæ* magni Reipublicæ literariæ Protectoris *Iob. Iac. Mangeti.* Qui, *fluxu Hepatico denatos aliquot aperuit, quorum jecur ad inſtar pomi putris corruptum, contrectantibus digitorum apicibus, ceſſit, & ad contactum levem diffluxit.* Audiant *Bonetum*, alioſque plures, quos hîc prætereo brevitati ſtudens. Et caſu quo, certiores jam de realitate, cauſam ejuſdem audire vellent: Dicam ego. Fluxus Hepaticus eſt Catarrhus hepatis. Et ſiquidem; vigeat jam [*quæcunque ſit cauſa*] liquamen ſeroſum in ſanguine portæ, qui hac ideò habitudine deveniat in Hepar, per eum diſtribuatur, per eum lenteſcat (*Ut ſæpiùs demonſtratum*): Sit jam in loco ſeparationis bilis à maſſa cætera ſua; ſit, inquam, in glanduloſis concurſibus (*Ut etiam expoſitum*) Ecce jam innatans ad maſſæ ſuperficiem (*Ut cap.* x. *primæ partis*) ſeparanda bilis: Ecce jam per meatus directos excurrens ad excretoria ſua: Erit ne ſincera in hoc caſu? Non certè. Natantes maſſę, non minùs ac ipſa, liquatæ portiones ſeri, non ſolùm ipſam imbibent, ac dilutiorem per conſequens facient, ſed ſolutas ulteriùs in plexu ſuo tenues cruoris particulas varias, eidem confundent, & nectent; adeò ut, ſuperans indè bilis ſuorum exordia vaſorum, purpureo hoc contubernali pertincta, ibidem compareat; trajiciat, viaſque ſuas omnes proſequatur, fluentum ideò luteo-ſanguineum largè ad inteſtina deferens miſcella hac ſua. Et

de factò patet, ex liquabili laxitate hac ſanguinis fluxus Hepatici principium auſpicari, eo quòd ſæpè in detentis ab hoc fluxu, ſanguinolenta comparia effluant ulteriùs per nares, os, uterum, hæmorrhoides, ſpiracula cutis &c. Præcipuè quod colliquativis frequenter morbis hæc affectio ſuccedat. Et ſicuti catarrhus Pulmonis v. g., ob acredinem, vel inſitam ſuam, vel acquiſitam à mora in veſiculis pneumaticis, maceratum diù continuis trajectibus viſcus, exedit tandem, variiſque malitiis labefacit; ſic catarrhus Hepatis, ſeu colluvies hujuſmodi ſeroſo-bilioſa, obſalia ſua, tàm per fluorem acceptum, quàm per initam in lacunis biliferis ſtationem ſummè aculeata, & nocentia, ſuum & viſcus poſt longas exundationes impetet, feriet, variiſque labis gradibus poſtremò afficiet. Fluorem Hepaticum ex polypis cavæ inferiùs videbimus.

§. VI.

Bilis morbi in colorato. Venio tandem ad coloratum; quod, licet in bile, aliiſque corporibus extimæ ſolùm ſuperficiei paſſionem indicet primariò; varias tamen perſæpè, eaſque ingentes intimæ coloratæ ſubſt.ntiæ habitudines ſucceſſivè revelat. Color bilis jam aliàs deſcriptus, vel in dilutiori declinat, vel in ſaturatiori excedit. Primum genus adimplet pallida bilis; cujus varii gradus notari poſſunt, ſecundùm majorem, aut minorem cruditatis ſtatum in liquidis animalis; ſeu ſecundùm majorem, aut minorem aquoſitatis principatum in bile ſuper activiora ejus principia. *Bilis Pallida* Pallida igitur occurrit ordinariò ad cyſtim ſuam bilis in delicatulis, in chloroſi; pallidior in cachexia, fluxibuſque cœliacis; pallidiſſima, & ferè abſque ulla flavedinis tinctura, ac tantùm non aquea, in hydrope, aliiſque morbis diuturnis; in quibus ſenſim deperierit motuum emicatio in ſanguine: In hiſce interdum affectibus albeſcens obſervatur, & candida, ut vidit *Diemerbroek*. Saturatioris colorati ſpecies in bile, adnumerantur variæ, ſecundùm multiplices gradus, per quos flavus bilis naturalis color ad nigrum accedit. *Vitellina. Porracea.* Sex communiter accenſentur à practicis: Scilicet, Vitellina, Porracea, *Æruginoſa. Cærulea. Glaſtea. Nigra.* Æruginoſa, Cærulea, Glaſtea, & tandem Atra; quarum cauſis, & effectibus plenæ ſunt antiquorum paginæ. Varia hæc coloratæ bilis

bilis genera vel per intimam ejuſdem fluidi alterationem producuntur, vel per ſolam ejuſdem humoris miſcellam cum aliis. Morboſas coloris mutationes in bile ex intima innovatione, ab acido quodam intricabili in ea plùs, minùſve redundante; ſicuti vividius coloris naturalis ſtabilimentum, ab alkalici volatilis ſolubilis præpollentia, deducunt recentiores omnes. Et reverà ex *Georg. Baglivi* experimentis; Bilis bubula cum aqua cinnamomi immixta, elegantiorem flavedinis ſpeciem induit; cum ſpiritu ſal. armoniac. colorem præ ſe fert elegantiſſimum, ad inſtar rubini undiquè clarum: Fuſca Bilis ſpiritui c. c. maritata, flavum ſtatim aſſumit opulenter clarum. Cum ſpiritu nitri confuſa, aut cùm ſpiritu ſalis acidi vulgaris, aut cum aceto, colorem illicò ordinarium permutat in vitellinum; hinc in viridem: Cum aqua forti; bullæ mox in ea lirideſcentes, cum tela veluti cærulea natante. Bilis humana ſpiritui vitrioli ſociata, ærugineum acquirit colorem, & ferè ad atramentum accedentem: Nigra autem bilis, effuſâ aquâ cinnamomi, ſuam ſtatim recuperat flavedinem. Memoratas in homine fellei coloris Phaſes ex intenſiori plùs, minùſve ſuper hoc liquidum caloris animalis actione, ſeu graduali torrefactione, roridiorìſque abſumptione inferre poſſumus. Et reverà ex *Williſii* relatu; flava bilis ex cyſti ſua exempta, ac cucurbitæ indita, ſi leni M. B. calori exponatur, brevi vireſcit, at poſtea inſtar atramenti nigerrima apparet. A ſuccorum autem delinquentium commixtione, abſquè vitio ullo proprio, depravatur interdùm bilis in colore naturali ſuo. Sic ſæpè vitellina occurrit; ovi ſcilicet vitellum craſſitie, & colore ſaturatioribus refferens, cùm craſſæ, uſtæque pituitæ eidem permiſcentur: Porracea; ſeu ſucci è foliis porrorum extracti colorem æmulans; Cum aqueo nimis, crudo, aut acri, ex alimentis ſcilicet aqueis, crudis, aut acribus, chilo deciduo, ſicque à lactiferorum oſculatione prohibito, bilis in inteſtinum confunditur; ex quo, albeſcentium, flavorumque liquorum, per alvum ſimul evacuabilium amalgamate, viridis perhibetur tinctura; non ſecùs ac Pictores viridem compoſitionem conſtruunt, ceruſſam miſcendo cum croceo colore, (Italicè) *Gialdolino.* Æruginoſa, ſeu æruginis colorem præ ſe ferens:

rens: Cærulea, ſeu cæli colorem oſtendens: Glaſtea, ſeu Iſatides, herbæ iſatidis, ſeu glaſti tincturam docens, cùm, aut è ductu ſuo in cavum inteſtinorum effuſa, acidum, & ſilveſtrem ſuccum pancreaticum imbibit; aut ſuccis ſtomachalibus, & inteſtinalibus variè inquinatis confunditur. Atra tandem, & fuliginis colorem exhibens, cùm in ventriculo, aut inteſtinis extravaſato ſanguini, ac per aliquot temporis commorato, commiſceri aliquantiſper contigerit, hancque illam eſſe famigeratam priſcis ſæculis atram-bilem inteſtinalem, autumat *Gliſſonius*. Multò mitiores ſunt, & longè minùs animali infeſtæ, coloris vitiati ſpecies in bile, quæ ab humorum peccantium connubio, quàm quæ ab intimo, proprioque ipſiusmet bilis crimine, conſurgunt.

§. VII.

Febres biliosæ.

Ut capiti colophonem addam; quærendum reſtat, ex quanam vitiatæ biliosæ qualitatis ſpecie procedant febres illæ, quas nuncupant communiter bilioſas Clinici. Non omnia recrementa ſanguinis, febris ignitabulum eſſe poſſunt, etiam à ſedibus ſuis retropulſa in ſanguinem: Illa ſolùm; quæ in promptuariis ſuis compagem invertunt ordinariam ſuam; hacque diſpoſitione ad cruoris alveum remeantia, inſurgunt in rei exoticæ naturam, ſeu in fermentum propriè febrile. Sic bilis in ictεritia (*de qua inferiùs*) ab Hepaticis incerniculis pergrandi licèt apparatu in ſanguinem retroverſa, febrilem tamen tumultum in eo ordinariò non concitat; quia nempe nullam ſubiit in vaſis ſuis texturæ immutationem; qua tamen aliquando adepta, febres etiam ſecum vehit: Sic ſæpè ictericos per ſe febricitare videmus in praxi. Variis modis in receptaculis collecta ſuis bilis ad craſim variari poteſt; vel ſcilicèt cum longiore, quàm par ſit, in eis mora protracta, ultrà exigentiam fermentatur; Sicque aduſtior, viſcidior, acriorque facta, ac ſanguini hac indole reaffuſa, febrem afferre poteſt: Ut cùm poſt longam ab alimentis abſtinentiam febris accenditur. Vel cum humido cicurante ſuo notabiliter abſumpto, ſalia ſua propiorem attactum, ſicque mordaciorem aculeum, ac ſeditioſam acquirunt prevalentiam; ut indè ſanguini tradita, eum projiciant in febrem: Ut cùm per labores immodicos, per alimenta calidiora, appro-

appropcrant febres ; præcipuè autem per intenſam tempeſtatis caliditatem ; ita ut febres ferè omnes æſtivæ ab alterato hoc ritu recremento bilioſo ortum ducant. Vel tandem cùm profluens in inteſtinum innocuabilis, à viſcerum primarum cachochilia conſpurcatur ; & ſic ab homogeneitate ſua immutata, in impuras efferveſcentias cogitur, quæ indè delinquentiæ, per ſuccos nutritios etiam ad ſanguinem delatæ, febri excitandæ ſufficiunt. Ut in febribus variis à primarum viarum inordinationibus, exortis.

§. VIII.

Legitimè in febribus bilioſis ſecundi generis, duplicem bilem, craſſam unam, tenuem alteram, utraſque ut febrium ſcatebras, criminantur Practici. Ex bile ſiquidem in cyſti, ductibuſque aliis ſuis inſpiſſata, per potentias *in prima operis parte* expoſitas, exprimitur faciliùs quod eſt in ea tenuiſſimum, & facilè fluxile, ac tanquàm bilis ſpiritus, quodque propter efferam mobilitatem ſuam, rapidumque operandi modum, non minùs aptum eſt attingendo ſanguini, quàm in eodem attacto excandeſcentiis ſuſcitandis; dùm craſſius reſiduum, & tanquàm prædicti ſedimentum, ſenſim à ſuccis circuentibus & per partes concuſſum, exaltatum, ac dilutum, novas ei ſuppetias ſuo tempore exprimendas præparare poterit. Sic febres hujuſmodi bilioſæ, ſunt communiter periodicæ; diſtinctoſque trahunt acceſſum, invaleſcentiam, remiſſionem. Aperit acceſſum bilis prædicta in inteſtinum exundans è foco ſuo ; ex cujus irritatione ad tunicas nerveas, concuſſio univerſalis, ſeu tremor : Hinc obvia ſunt ſæpè febrium harumce principia, repentinis, violentiſque evacuationibus bilioſi humoris per alvum, & vomitum, rigore ſtatim ſuccedente, obſignata. Invaleſcentiam producit ejuſdem liquidi ſalivalibus jàm ſuccis, nutritiis, aliiſve in inteſtino immixti, per eorum vias introductio in ſanguinem, efferveſcentia, & deflagratio : Nec per hanc viam deferri poteſt in venas, niſi quid ſummè tenue ; & de factò vidimus in *prima parte*, bilem in conſiſtentia ſua naturaliter conſtitutam, ſeu in tantam ſubtilitatem non redactam, quanta eſt in bile hujuſmodi febrili, per vias haſce nutritias trajici nunquàm poſſe. Declinatio tandem expletur à ſuſcepta

Duplex bilis genus in febribus variis.

Z per

per niſum ſanguinis ejuſdem bilioſi laticis deſpumatione, ſeu projectione; vel foràs omninò, per tranſpirationem denſiorem, ſudorem, ptialiſmum, diarrhœam, aut evacuationem manifeſtam aliam; vel foràs ſolùm ex eodem ſanguine, non è corpore; per depoſitionem nempe in fodinam rursùs ſuam, aut in viſceris alterius fundum. Sitis indomita, & amaror oris; linguæ flavedo, & ſordities; anxietas, & defectus cordis; ſæpè cardialgia, flatus, dolores ventris, boborigmi, aliaque ſymptomata haſce febres comitantia, petenda veniunt à portione aliqua bilis craſſioris, per ductus ſuos & unà cum tenuiori, ex Hepate in inteſtinum decidente, & ventriculum; quam ſpiſſitudo ab ulteriori itinere impediens, tunicis in hac fiſtula, pliciſque implicat; exoticè irritabilem facit, putridè fermentantem, halituumque rancidorum, & exſiccantium ſcatebram. Integrè intermittens eſt bilioſa febris; cum antè novam è promptuariò tranſmiſſionem foventis ſucci in ſanguinem, jam integrè excuſſus fuit ab ejuſdem ſinu, qui priùs tranſmiſſus: Continua, & remittens ſolùm, cum ante totalem ablegationem priſtini, jam novus ad febris recrudeſcentiam ſuppeditatur: Has ideò febres continuas per ſubintrantiam vocamus, ſeu radicaliter intermittentes. Autumnales febres ordinariè, hoc bilioſarum genus adimplent, ex craſſefacta ſcilicèt per calores æſtatis bile in colatorio ſuo, factaque ſic fodinis febrium producendis idonea Æſtivas febres ex bile etiam prognatas, ſuperiùs vidimus. Hyemales veniunt communiter ex limphatica, ſeu pituitoſa exorbitantia, à competenti tranſpiratione impedita, ſicque lentoribus per partes ineundis variis diſpoſita, nunc frigidis, ex propria natura, nunc calidis, ex remoratione inflammatoria ſanguinis à vaſorum preſſura, utriſque ut plurimùm febri viam pandentibus. Vernæ tandem febres produci ut plurimùm ſolent ab humore cujuſcunque naturæ, qui per hyemem in latibulis ſepultus, & otians, ab æthere novo excitatus, colatorium ſecernendæ ſubſtantiæ ſuæ conformem non ſtatim invenit; hinc quouſque reſtitat in ſanguine, eundem irritat immiſcibilitate ſua ad indignationem febrilem. Ex his, quæ de febribus non tantùm bilioſis, quàm tempeſtatis cujuſcumque domeſticis caſu ratiocinati

fuimus,

fuimus, colligi poteſt, febres non ſolùm continuas plurimas, ſed de genere intermittentium penè omnes, culpæ bilis imputandas eſſe; quæ nempè vel immediatè ex colatorio ſuo ſanguini ibidem perambulanti communicetur, ad febres varias continuas producendas; vel in inteſtinum deſcendens, ibidemque ſuccis nutritiis novis, aut ſaltem ſalivalibus illinc perpetuò ad ſanguinem recirculantibus immixta & ſubtiliata, per vias lactiferas deferatur ad alveum liquidorum generalem, pro febrium intermittentium origine.

§. IX.

Patet itaque meditanti, toties à bile cauſari febres poſſe, quotiès eadem deflectet à ſtatu naturali in qualitatibus ſuis, vel in tactili, vel in ſapido, vel in colorato, ſejunctim, aut ſimul: Imò non ſolùm variarum extenſionum febres, acutas, chronicas, continuas, intermittentes; ſed & ſitim, macies, maraſmos, inapetentias, vultûs pallores, hypochondriorum calores, & tenſiones, alvos nunc lubricas, nunc adſtrictas, borborigmos, colicas, obſtructiones, icteros, choleras, alioſque innumeros, violentos, aut lentiores, in primis viis, in viſceribus, in ſanguine, in habitu corporis, affectus, partím hoc, aliiſque capitibus expoſitos, partím ad tædium evitandum, omittendos.

CAP. X.

Morbi à ſecretione Hepatis ad alia etiam organa tranſlata.

§. I.

Bilem in ſtatu vitiato per alia ulteriùs colatoria, præter Hepar, ſecretam à ſanguine, frequens autopſia docet. Duplex eſt in animali ſecretio liquidorum in genere; (ut videbamus ſuperiùs in prima parte hujus operis) Alia ſcilicet, quæ media poroſitate organica, ſeu per glandulas, ut dicitur, & propria colatoria perficitur; alia quæ per ſolam poroſitatem inorganicam, ſeu ſimplicem per quaſcunque partes tranſudationem. Liquidum

bilioſum ordinarium licet naturaliter in ſolis glandulis, eiſque hepatariis ſecernatur; morboſè tamen, & à craſi ſua variatum, non tantùm per partes alias glanduloſas, ultrà Hepar, tranſcolationem acceptare poteſt, ſed per alias ulteriùs non glanduloſas. Hinc in hoc capite ſecretionem Hepatis ad alia ſępè organa, præter hepar, translatam, iſta duplicitate potitam inſequemur; eam primò attingendo, quæ in organis inconſuetis quidem, ſed glanduloſis, celebratur; ſecundò eam, quę in partibus ſubſtantiâ glandulosâ non præditis accedit; In utriſque locis bilem animadvertemus, vel otioſè ſubſiſtentem, vel ulteriùs derivatam.

§. II.

Bilis ſecretio translata ad alia organa glanduloſa.
Bilis ſecretio in glandulis ſalivaribus.

Secretio biliosa ad glandulas alias, præter Hepaticas, translata, totuplex eſſe poteſt, quot ſunt in nobis colatoria liquorum. Et reverâ in ſecretoriis ſingulis animalis glandulis transcolari bilem conſpicimus variis in caſibus; frequentiùs autem in glandulis ſalivaribus, urinariis, cutaneis. In incerniculis ſalivalibus bilis interdùm trajicitur, cùm aliqua ejuſdem pars per cauſas varias diſcerpta à tenacitate ſua, ſolutâ in molecularum corpulentiâ, & liqueſcens, motum, & conſiſtentiam induit, affines conſiſtentiæ, & motui ſeri recrementitii utilioris; ſic, ut ejuſdem fluore, & implexu perfruens, per philtrum tranetur & ſuum: Eòque magis ad clauſtra hæc inſolita ſublimatur, quò liberiori forsàn acredine ſua, eadem ampliùs grandefacit. In hoc caſu ſalivam conſpurcat connubio ſuo, aptamque facit ad linguam moleſtis amaroribus flagellandam. Sic amaritiem oris ex intima bilis præſentia in ſaliva frequenter exoriri, non ſemper ab amaris halitibus, ſurſum evolantibus è ſtomacho, ut placet *Sylvianis* quibuſdam, patet, ex eo quòd ſapida hæc linguæ, fauciumque affectio non tollitur communiter à remediis abſtergentibus bilem à ſtomacho, eamque diluentibus; ut in febribus æſtivis, autumnalibus, aliiſque occaſionibus obſervamus. Inter numeroſas glandularum ſalivarium myriades, per glandulas faucium in ſpecie familiarior eſt prępoſtera bilis ſecretio hujuſmodi. Hæ etenim glandulę magis, ſupra cęteras, aptantur bilis craſſitiei admittendæ; eò quòd tum amplioribus ſuper alias, ditentur tubulis ſecretoriis; per quos corpulen-

tior

tior derivatur illa, tenaciorque ſaliva, quæ in excreatûs formam projicitur; tùm amplioribus, & excretoriis; qui ideò, mediam earum ſubſtantiam pertundentes, ſatis viſibiles ſunt, nudoque oculo manifeſti. Eluceſcit aſſertum ex eo quòd in variis amaroribus oris, vividior ſentiatur ad fauces hujus ſapidi moleſtia, & tanquàm primaria ſedes; adeò ut non niſi gargariſmatibus, aliiſque oris abluviis ad glandulas haſce fauciales applicatis, bilemque ibidem infixam diluentibus, & edulcorantibus, ſublevemus affectum. Copioſa adeò bilis ſalivæ interdùm committitur, ut non tantùm guſtum moleſtè pungat, ſed inſuper ſalivam ipſam, appoſitaque corpora domeſtico intingat colore ſuo, fauces, labia, linguam, lina &c. ut non rarò videmus ad ægrorum lectulos.

§. III.

Bilis ſecretio in glandulis renalibus.

Nec minori frequentiâ per urinæ vias elutriatur bilis copioſa quantitas, in variis Hepatis, aliorumque viſcerum morbis; adeò ut ejuſdem moleculis exuberanter imbibitum excrementum hoc ſanguinis, ſaturatiſſimum præ ſe ferat colorem croceum, lintea, imò & matulas tincturâ ſuâ pingentem. Vidimus aliquando in icterico urinam colore, craſſitie, turbiditate, oleoſitate, opacitate, aliisque modis bilis conſiſtentiam, & formam omnimodè æmulari, totamque ſinceræ bilis perſonam referre: Et forſan eadem quoquè ſapiditate præditam inveniſſemus, ſi fædis hiſce obſervationibus daretur immiſceri. Eligit bilis ſemitam cum urina per renes; quando in ſanguine exuberat, & ob philtri ſui impedimentum aliquod, completis in eo excretionibus eſt impar; Craſſam interim, uſtamque habitudinem trahens, faciliorem ideò cum ſero ſanguinis craſſiori, & inutili, ſeu urinoſo, quàm cum ſalivali, aut alio, congeneitatem, miſcellam, & ſecretionem ducit. Nec difficile eſt notabilem bilis portionem per urinas perfluere in morbis; ubi in ſtatu naturali aliqualis quotidiè fluit ejuſdem portio, undè urinæ citrinus color ordinarius, & viſcidula compoſitio: *Ut vidimus alia operis parte.*

§. IV.

Secretio Bilis in glandulis Cutaneis.

Imò & minutiorum etiam glandularum cutis, hoſpes interdum accedit Bilis, ſudorem indè flavum obvia omnia intingentem pro-

 ducens,

ducens, cùm in maſſa communi competenter adeò attenuata fuit, ut gracillimas haſce vias ſuperare poſſit, & per eas erumpere. Curioſa eſt ſuper hanc rem relatio *I. B. Tavernierii*, celebris Itineratoris Galli Affert iſte *lib. ſuo de itinere apud Perſas*, hoſce populos longa aliquali viſcerum indiſpoſitione detentos, verno tempore decoctionem radicis chinæ recentis copiosè epotare; hinc ad lectum compoſitos, & denſiùs coopertos, uberrimis ſudoribus perfundi; ſudoremque adeò flavedinis participem eſſe, ut non tantùm pannos appoſitos hoc colore intensè commaculet, & lintea; ſed ex evolantibus ejus effluviis, ipſimet conclavis parietes, & tabulata ſaturatè pariter flaveſcant. In cæteris colatoriis omnibus ſecerni etiam poteſt liquidum bilioſum, indigeniſque ſuccis commixtùm, varias indè affectiones producere; ut in glandulis pancreaticis, inteſtinalibus, bronchialibus &c. quarum ſecretionum exempla brevitatis favore prætereo.

Et in cæteris aliis.

§. V.

Bilis ſecretio tranſlata ad alia organa non glanduloſa.

Secretio bilis in organis non glanduloſis; ubiquè per totum corpus exequi poteſt; pro ut in omnes corporis partes, à vaſorum oſculis, aut porulis, ſeu (ut loquar cum antiquis) per anaſtomoſim, aut diapedeſim, extillans, aut tranſudans hoc liquidum, effluere potis eſt, & colligi. Quid enim eſt, liquidum illud ſecretum è ſanguine, quod in partem aliquam laxitate, & atoniâ prehenſam tranſcolans, vel grandioribus ibidem congeſtionibus, eiſque folliculatis comprehenditur, vel minutioribus, ſeu puſtulis, *ut dicunt*, vel abſquè ſtabili congeſtione, aut folliculo per interſtitia fibrarum exundat, flaviſſimum cæterùm, & lentum; niſi perverſus humor è maſſa deciduus, competenti etiam bilis copia ſaturatus? Nil certè flaveſcit in ſanguine, quàm bilis. Flavæ hujus generis puſtulæ, & maculæ obſervabiles veniunt in partibus quibuſcunque corporis, præcipuè cutaneis; eaſque ideò à defixa in eis bilioſi humoris portione, Hepaticas nominant doctiores Practici, à mala ſcilicet Hepatis ſecretione adnatas. Vide de eis aliqualia apud tom. 1. famigeratiſſimæ *Bibilioth. Practic.* tot de titulis glorioſi *Ioh. Iac. Mangeti* Aſpredines quædam, & nigrities in facie, ab aduſta, per inſolatum, inflammationem, aut quam-

quamcunque aliam cauſam bile, ephelides vocantur. Præcipuè autem ob canalium contexentium diæreſim, colliguntur in partibus flaveſcentes à bile humores. Sic in variis animalis regionibus, aut ulcere, aut vulnere exeſis fulvi ſæpè perfluunt ichores; à bilis ſcilicet conſortio colorem mutuantes ſuum: nec ad conſolidationem reſtaurantur laceratæ hæ partes, niſi cum diſparentibus ſuccis hiſce deſtruentibus bilioſo-acribus, purus nutritius accedit; Cujus balſamica glutinoſitas diſſolutum recolligit, & nectit; cujuſque temporaneum ex hiatu partis effluxum puris generationem ſat inſulsè noncupamus. Frequentior autem, & notabilior in partibus non glandulofis bilioſi humoris translatio, icterus eſt, ſeu Arquatus; quem, ut apud Authores quò ad ejus naturam hucuſquè obnubilum, herculeumque cæterùm inter bilioſos errores morbum; attentiùs hic eventilandum propono. *Icterus.*

§. VI.

Quoniam, bilioſæ particulæ ſenſim à ſanguine expediuntur per portam (*ut in prima operis parte demonſtravimus*) adeò ut ad vaſorum Hepatis concurſus, ſeu ſecretoria ejuſdem viſceris meditullia appellentes, jam ſint omninò ſejunctæ à complexu ſanguinis; ſicque congruum earum craſſitiei canalem excretorium ſubeant; dum per attiguum alium fluidiori conſiſtentiâ præditus derivatur ſanguis; quotieſcunque ad biliferi emiſſarii exordium, aut progreſſum, quoddam aderit obſtruens, aut aliter offerciens libertatem canalis, impeditæ iſtæ à trajectione ſua, in ſanguinis maſſam retroverti debebunt, ac reaffundi. Sed cùm liquidi recrementitii partes, ſpontè jam, ſeu vi naturali, ab intimo ſanguinis nexu extricatæ, & ſejunctæ, tamquam à vita communi emancipatæ, non remiſceantur ampliùs eodem ordine, ſitu, diſtributione; uno verbo, eandem cum eo non ampliùs unionem repetant; ideò, refluent quidem in ſanguinem bilioſa hæc corpora; ſed ſanguini immixta, erunt eidem ut ſeparata: Hoc eſt *non cohærebunt cum partibus ſanguinis, ut coherebant priùs*; *ſed neque deducta extra ſpatium, intrà quod, & partes ſanguinis, & partes bilis non cohærentes cum ſanguine continebantur, & continentur* (ut verbis utar *Bellinianis. De motu bilis propoſit.* 30.) Quamobrem, *Icterus ab obſtructione Hepatis.*

brem, ut quid onerosum in maſſa, & improprium, eique tanquàm ſupernatans, foràs ab eadem ejicientur per alias animalis partes. Quòd ſi per colatorium aliud non fiat ejectio, ſed per partium tùm internarum, tùm externarum membranas, eiſque affixus hic liquor, flavedinem impertiatur ſuam; jàm veniet Icterus. Fæces igitur albeſcunt in hoc morbo à ſubtracto bilis curſu per inteſtina: Croceo è converſo, & praſſeo colore intenſiſſimo urina prætingitur; quia nil ſero ſanguinis partes omnes abluenti facilius, quàm ſua per eaſdem trajectione, quamplurimas affixas ibidem bilioſas particulas ſorbere, eaſque ſecùm per urinæ tramites rapere. Ex dictis, duplicem ab Hepatis impedimento Icterum diſtinguimus. Primus eſt, cum in ipſa-met glandulæ Hepaticæ ſubſtantia, ſeu ductuum biliariorum principio obſtruens inhæret cauſa, viamque bili præcludens; ſit jàm ipſiusmet bilis viſcidius quoddam, cretaceum, ſtrictiùſque concretum (ut eſt communiùs) ſit ſuccus quiſcunque alius ab erratis in victûs genere, aut animi affectu inſpiſſatus, ibidemque notas gerens degenerationis ſuæ; ſit ſcirrhoſa induratio &c. dummodò bilis ultimam ſecretionem non paſſa reflectatur in ſanguinem, indèque ad membranas partium. Alter, cùm ad ductuum bilioſorum progreſſus impedimentum jacet; adeò ut, licèt libera ſint penitùs bilioſa incernicula, præcluſis tamen, vel trunco, vel ramis ſenſibilibus ductus Hepatici, vel felleo folliculo, vel utriſque, vel omnibus, ſecreta jàm bilis impar derivationibus ad inteſtina, regurgitet neceſſariò in ſanguinem, ad ciendum Icterum: Sit jàm impediens materia, calculus, mucus, aliave attigua, aut impacta. Ut ideò hanc duplicitatem animadvertamus, primam icteritiæ ſpeciem, eſſentialem voco, alteram, accidentalem. Cæterùm, non in omni obſtructione Hepatis Icterus pullulat; quia nec omnis obſtructio Hepatis in intimis ejus glandularum meatibus exequitur, *ut vidimus cap.* 5. Nec omnis in ſanguinem retroverſa bilis, partium velamentis affigitur; ſed ſæpè per alia cribra exantlatur, *ut vidimus ſuperiùs.*

Icterus ab Hepatis vitio alius eſt eſſentialis, alius accidentalis.

§. VII.

Et quoniàm ſecretorii Jecoris meatus limitatæ capacitatis, & actionis

actionis exiſtunt; ſic data in ſanguine cauſa, quæ bilioſas ſubſtantias, vel copioſiùs, quàm in ſtatu naturali, producat, & acumulet, vel jam præexiſtentes uberiùs extricet à cæteris principiis, & colligat; redundans hæc copia non tota ſæpè excerni poterit per canales prædictos, licet debitè patulos; ſed tanta ſolùm, quæ eorum alveis proportionalis fuerit: reliqua reſtitabit in ſanguine; huicque, quia incongruæ, nec ampliùs miſcibili, ut ſuprà, idcircò continget per alias partes effundi, per quas foràs indè derivetur à corpore, ſi nempe erunt glanduloſæ; vel irretiatur ſolùm, earumque loculis affigatur, ut ſic Icterum producat, ſi non glanduloſæ. Et ecce alterius generis Arquatus; quem ideò procreant ſæpiſſimè febres ardentes, inflammatoriæ, aliæque notabiles; non minùs, ac potuum generoſorum immoderationes, ira, labores nimii, ſolis, aut tempeſtatis æſtus; quia largiſſimam explicant in ſanguine retorridi, ſolutique ſulphuris mercem, non omnem per philtra Hepatica, aut alia inſuper, tranſcolabilem, ideòque per vaſorum terminos in extimas partium oras, ſeu tunicas eructatam, & per eas palantem factam. Sic à venenis aliqualibus, ut ab aconito, arſenico, bufonum inquinamento; à morſu viperæ, aranearum, canis rabidi &c. accedit non rarò icteritia, prò ut rareſcibile vel ingeſtum, vel inflictum virus, partes ſanguinis omnes expandens, & diſſocians, uberrimas & bilis, ultrà conſuetum, copias icteritiæ procreandæ non impares efformat citò, & exſolvit ab aliarum amplexibus. Icterus vehementes conſequens dolores ſpaſmodicos, aut atrociorem colicam, ab exorbitanti etiam extricatione bilis à ſanguine, ob concuſſionum nervoſarum violentias, auſpicandus venit. Uno verbo: Icterus alius eſt à vitio viſceris, alius à vitio ſanguinis.

Icterus à febribus ardentibus, inflammatoriis, aliiſque. A potu generoſiori, Ira, laboribus, æſtu &c. A venenis introſumptis. A morſu viperæ, aranearum, Canis rabidi &c. A dolore ſpaſmodico: à colica.

§. VIII.

Et hæc ſunt duo primaria Icteri genera, quibus omnes cujuſcunque originis Auriginoſi affectus referri poſſunt. Primæ claſſis Icterus, ſeu à vitio Hepatis, limoſam ordinariò, & inertem partibus inſpergit bilem, quæ ſcilicet eandem refert conditionem bilis, quæ primos in Hepate infarctus condidit. Sic plerumque ſymptomaticus eſt Arquatus hujuſmodi, & chronicus; alioſque

Duo ſummæ Icteri genera.

Icterus primi generis.

in choream ducit ordinariò graviores morbos: Ipſa Icteri ſpecies eſt, ex qua frequenter phtiſim pulmonicam accedere, in hydropem indè fatalem communiter terminantem, obſervat expertiſſimus *Morton*. Deobſtruentibus, & catharticis curari debet; & meliùs forſan, ſecùndum methodum Hollandicam, diaphoreticis.

Icterus ſecundi generis. Alterius ſpeciei Icteritia, ſeu à cauſa ſolutiva ſanguinis, bilem geſtat ſubtilem, volatilem, & ut ait *Sylvius de le Boë* ſpiritualiſatam; ideòque quaquaversùm in corpore permeabilem: Qua de re in hoc icteri genere non albeſcunt excrementa, ut in priori, ſed potiùs intenſiùs flaveſcunt; tum multò citior eſt hujus ſecundæ icteritię, ſupra antecedentem, productio: Vidimus etenim à febre primo ſtatim die exortam, à morſu viperæ, poſt quatuor horas. Critica ordinariò eſt affectio, ut patet, morboſque pręcedaneos ſublevat; Ideò mox ſpontè ſua evaneſcens, remediis nullimodè eſt oppugnanda.

Icteri nigri: Virides: Aliique agnati. Icterus cæterùm niger, eſt flavus ipſemet intenſior, ſeu bilis viſcidioris reſtagnatio in partium velamentis: Quòd & de viridi dicendum, aliiſque agnatis Icteri ſpeciebus; quas omnes primæ ſpeciei icteritiis adnùmero. Favet problemati meo de icteri ſpeciebus, diviſio ejuſdem morbi, apud ſpectabilem inter Romanos Archiatros I. *Sinibaldum animadvers. pract.* in ſulphureum, & ſalinum. Primum, ab exceſſu ſulphuris retorridi bilem integrantis denominare vult Vir in æternum Colendus; Alterum, ab eminentia ſalis ſui lixivioſi. Sulphureum, viſciditate donari, & obtuſitate autumat, ac ab Hepatis infarctu originem trahere; Salinum, tenuitatem ducere, & acredinem, eumque non alvi conſtipationem, ut prior, afferre, ſed potiùs ex irritatione diarrhœas, & rigores. Icteri pertinaces; vel ſanati, & recidivantes, à calculo veſicæ felleæ progeniti ſuſpiciendi. Quod ſi ita eſt, incurabiles prædicito. In ictero à bilis Copia, tenuitate, & acredine, ſæpe loco ſanguinis è naribus, aut è cucurbitulis ſcarificatis, aquam flavam ſolummodo prodire, obſervamus in praxi. Sed nimia jam de ſolo morbo prolixitas in ſimplici relatu.

§. IX.

Secretionem bilariam, ad alia etiam organa non glanduloſa

tranſlatam,

tranſlatam, luculentiùs confirment communicatæ Eruditiſſimi D. *Paterii* noſtri obſervationes noviſſimę. Refert nobis Vir amiciſſimus, ad hanc februarii, & martii fluentis anni 1718. Epidemiam pleuriticam, & pleuropneumonicam, in tribus ſubjectis eodem affectu correptis, bilem per ſputa pulmonica copioſiſſimè, & cum euporia rejectam, non minùs ſapore, quàm colore genium ſuum individuum, retegentem.

CAP. XI.

Morbi Hepatis à Corpore extraneo.

§. I.

QUædam obveniunt in homine morborum effectus, aut cauſæ, quæ vel ejus ſolido, fluidove vitiatis imputanda non ſunt; vel licèt ab alterutrius, aut utriuſque erroribus producta, peculiaribus tamen eorundem affectionibus adſtringi propriè nequeunt. Sunt hujus farinæ res; Calculi, Vermes, Flatus, Polypi; Quorum genus (inquam) nec ad humorum, nec ad partium morbos legitimè pertinet. Quamobrem hæc eadem, pro ut in Hepate ſæpè occurrentia, ad complementum tractatus deſcripturi, congruum duximus in peculiari Capite aggerere, & Corpora extranea nuncupare; non minùs, ac productas ab eiſdem affectiones, morbos à corpore extraneo.

§. II.

Calculi Hepatis; hique duplicis generis.

Crebrò obſervabiles ſunt calculi in Hepate; qui duplicis generis audiunt: Alii, qui in ſolidum, denſumque Corpus concreti, verum æmulantur lapidem, aut tophum: Alii, qui lapidis laminam, ſeu tanquàm cruſtam fiſtulæ lapideam, aut ultimò ſoliдeſcentem obtenſam tunicam præ ſe ferunt. Primi, bilis folliculum ordinariò inhabitant; non ſemel propriam Hepatis ſubſtantiam: Alteri excernentium ſolùm ductuum, ſeu biliferorum alveos circumſepiunt: Utrique ex bilioſis particulis in durum concreſcentibus, & tanquàm vitrificatis, exoriuntur. Et equidèm,

 quòd

quòd liquidi bilioſi ſubſtantiæ ſalino-muriaticæ, viſcidoque ſulphureæ, abreptę à circuitus motu, & diſcerptę, gravitati ſuæ, mutuæque implicationis inſtinctui auſcultare nequeant; non miror: Quòd in ductus Hepaticos depoſitæ, ibidemque lentiſſimè progredientes, vel derivatæ in folliculum ſuum, ſicque quieſcentes omninò, niſu gravitatis naturali ſubſideant, ductâque ſubſidentiæ uniformitate ſtrictiſſimos occurſus ineant; facillimè concipio: Quòd inde ſpecialiori quadam ſalſi, & viſcidi conditione præditæ, in veræ ſoliditatis amplexus concreſcere poſſint, ac tanquàm Cryſtaliſari; & pro re facili teneo. Cogita etenim mucaginem acido-argilloſam ex diatheſi primarum digeſtionum conciliatam bili, ſalino-acria ejuſdem principia invicem coadunare, & adducere; hæcque eâ ditari figurâ, ut ſe ſe invicem poſſint per planas grandiores facies tangere, minimis inter ſe ſe reſtitantibus intervallis; clarè hinc lapideæ corporaturæ geneſim percipies. Biliares calculi ex eminentia principii ſulphurei, levis, & concremabilis, aquis projecti ſupernatant; igni traditi comburuntur; ex obſervatione *Bidloana*; cui quoque principio referendus eſt calculorum hujuſmodi ſaturatior communiter color. Cæterùm de primi generis calculis, ſeu ſubrotundis, & ſolidis, tum in jecoris acinis, intimâque ſubſtantiâ, tum in cyſtis cavitate repoſitis innumeræ leguntur ex Practicis obſervationes, non tam quò ad eorum numerum, quàm magnitudinem, figuram, texturamque variantes; quas ideò piget recanere. Mortes aliquando ſubitæ viſę ſunt ex aſſidentia in Hepate lapidum horumce pergrandium. A calculis, ſeu tophis in cyſti degentibus oriri frequenter Icteros, Pſoras, univerſales Puſtulas; & Tubercula, aliaſve habitus corporis defædationes; tùm Epilepſias, Hecticas, Maraſmos, ignotoſque morbos, quotidiana eſt Medicorum meditatio, & Inſpectio. Calculi alterius generis, ſeu cruſtæ calculoſæ Hepaticos ductus offercientes, raro obſervabiles ſunt in hominibus, frequentiùs autem in bobus, in quibus ad modum tubulorum excavati, per ramorum biliferorum progreſſus continuatâ ſerie propagantur, coralliorum brachiola æmulantes: Nec tamen ſolitis bilis effluxibus obſtant. Fragmina calculorum hujuſmodi notabilia,

bilia, in compluribus per inteſtina, medio choledocho; indèque per alvum deturbata vidiſſe, tradit *Gliſſonius*; cujus honorificam mentionem, tamquam Viri, ſuper alios omnes, de re hepatica optimè meriti, libenter in hoc opere multiplico.

§. III.

Liceat hîc, ad novæ hujuſmodi editionis ubertatem, aliquot de calculis bilariis, tum cyſticis, tum hepaticis obiter hiſtoriolas ſubnectere. Anno elapſo D. Comitiſſa D. . . . Ictero forti afficiebatur periodico, ſingulis nempe menſibus per dies 12. aut 15. recurrente. Gliſcebat ſuſpicio calculi, in cyſti fellea latentis. Nec opinio fefellerat. Calculum bilarium, ultra juglandis magnitudinem, & figuræ ad triangularem accedentis, nobilis fœmina tandem excernebat. Eo excreto, evaneſcebat icterus, quem indè paſſa ampliùs matrona non eſt, uſque ad hos dies noviſſimos integrè reſtituta. Calculi autem excretio fortuita, & plena diſcriminis fuit. Nempe 28. dierum Puerpera, Cathartico quodam fortiori per cujuſdam conſilium uſurpato, non ſolùm acerrimum hypercatharſeos ſtimulum patiebatur, ſed tantas inſuper ſus, deque per viſcera omnia naturalia criſpaturas, & niſus embolicos; ut tandem, inter tormina, & premitus, Calculum hujuſmodi cum mille humoribus excerneret. Hoc accidens per accidens fauſtum, ſemovendo aſſidentiam calculi, cuicunque alii remedio rebellem futuram, incurabilem forſan in dies morbum momento obtruncabat.

§. IV.

Benemeritus inſigniter de Medica Univerſitate, per tot edita opera, Amiciſſimus inſuper D. *Roſinus Lentilius* Archiater Wurtembergicus, ad epiſtolam nobis Pariſiis *per* elapſum biennium tranſmiſſam hæc addit. *Tumor aliquando hypochondrii, ſeu epigaſtrii potiùs dextri, curandus oblatus fuit; cum icteritio colore. Fruſtra tentatis pluribus, exhibui infuſum ex hepaticis deobſtruentibus cum purgantibus mixtum: Excreti ſunt pluſquàm trecenti per alvum calculi, ex rubro flaveſcentes: Aliqui Cardamomi quantitatem æquantes, alii minores. Detumuit Epigaſtrium, & æger convaluit. Calculos autem è veſica fellis prodiſſe nullus debito. Ejuſmodi calculorum in Saxonia*

multos vidi, è bubulo felle primo vere protractos, quibus intùs fæliciter utuntur ad pellendam auriginem, foris autem naribus attractus ſternutare facit. Obtigerunt mihi non ſemel nephritici, qui quamdiu ictero laborarent, tamdiu calculi dolores ceſſabant; Ictero deſinente iidem recrudeſcebant, reciprocis, ac alternantibus ſemper his affectibus. Succeſſit denique in horum aliquo, licèt aliquot poſt annis, cachexia, quam excepit aſcites lethalis.

§. V.

Calculi biliares tanto numero excreti, & ab experientiſſimo *Lentilio* æquali circiter minuſcula magnitudine circumſcriptos, ſedes ſuas figere forſan potuere, non tantùm in cyſti fellea, quàm etiam per hepaticum ductum, & meliùs per poros altiores bilarios, ubi molis rotunditatem, & parvitatem aſſumpſerint; inſtar calculorum in eiſdem fiſtulis nidulantium, à cl. Reverhorſtio obſervatorum. Refert etenim hic author Batavus in diſſertatione *de motu bilis circulari, ejuſque morbis*, non tantùm in tribus ſubjectis calculos cyſticos vidiſſe, liquidi à folliculo comprehenſi diſtributionem plus, minùs intercipientes, ſed ulteriùs calculos propriè hepaticos verſicoloris ſubſtantiæ, cinereę, albicantis, aut nigræ, calculorum veſicæ in modum, durioris, & ſolidæ, majores ductuum biliariorum ramos arctè obſidentes; eoſque in ſtationibus ſuis tamquam in varices dilatantes: Hæcque omnia nitidis figuris exponit.

§. VI.

Hæc inſuper habeo ex Jatromnematibus ejuſdem *cl.*, & toties laudati *Roſ. Lentilii*, & ex appendicibus anni 5. & 6. ephemer. germ: *Nordlingæ mulier quædam ſeptuaginta, & aliquot annorum, ex abſceſſu lateris dexteri calculos ex rufo flaveſcentes ultra centum, & plures, piſi, aut circiter quantitate cum pure excrevit, quæ hydropica denique expiravit. Abſceſſus autem fuit hepatis; & calculi, folliculi fellis.* Ex *Benivenio de abditis* ſic habetur. *Deceſſit his diebus mulier nobilis, dolore proſtrata calculi. Sed cùm nullum antea ex eo percepiſſet nocumentum, viſum eſt medicis mortuæ cadaver incidere. Et reperti ſunt lapides quamplurimi, non quidem ullus in veſica, ut putabatur, ſed præter unum, qui in tunica burſulæ fellis coloris atri, & ma-*

& magnitudine caſtaneæ aridæ continebatur, *cæteri omnes in panniculo, quo contegitur hæpar; undè etiam, veluti in folliculo dependuli, ſacculum effecerant.*

§. VII.

Sequentem caſum praxis noſtra adminiſtrat. Mulier quatuor ab hinc annis iſchuriâ prehendebatur per plures dies: Eâdem ſolutâ, in habitum ictericum, & cachecticum decidebat, cum urina copioſa, ſed inceſſanter pallida, tenuiſſima, & aquea. Ab excretione calculi, piſi magnitudinem æquantis urina coloratior reddita; icterus, & prætumida conſtitutio, aliqualiter ſublevata. Mox in integrum recrudeſcentia, cum urina pallidiſſima, & merè aquoſa. Frequentes indè, & ſubitaneæ ad pectus metaſthaſes, cum ſputo ſanguinis: Quæ tamen à miſſione ſanguinis ſtatim celebrata aut repetita, fæliciter remittebant. Mulier hiſce diebus ex novo ad pulmones decubitu, per phlebotomiam oportunè non revulſo, derepente è vivis ſublata eſt. In cadavere non tantùm calculos reperiebamus renales, ſed & cyſticos quamplurimos, & hepaticos, figurâ, mole, pondere, conſiſtentiâ, & inflammabilitate diſſimiles. Adeo verum eſt, non minorem intercedere conſenſum inter renales calculos, & hepaticos, quàm inter eandem lithiaſim, & podagram; in qua ultima calculi etiam per artus frequenter aglomerantur: Nam, ſicuti, gorgonicâ concretione prehenſi, renum, aut veſicæ ſoluti latices, in eorumdem cavitatibus lapideas aglomerationes aggerunt; hoc idem à fortiori præſtare poterunt, niſu eodem lapidifico perciti, qui per reſervatoria hepatica cumulantur, lentiores ſucci: Ut plena eſt, & creberrima noſtra per praxim obſervatio,

§. VIII.

Finiamus Hepatis calculoſum argumentum obſervatione *Realdi Columbi*, qui Romæ in ipſa-met vena portæ Cadaveris Sancti *Ignatii* tres calculos bilioſos invenit; ut habetur ex vita ejuſdem ſancti: Adeo jam, bilioſa corpora, in tophos ulteriùs concreſcibilia, per ipſammet portam arctè coadunata jam ſunt, ibidemque ante ſecretionem hepaticam à toto ſanguineo diſtincta, & ſecreta; Ut in prima parte hujus Hiſtoriæ fuſiùs probavimus. Nunc ad vermes hepaticos.

§ IX.

§. IX.

Vermes Hepatis.

Non tantùm vermibus inſenſibilibus ſcatere naturalia omnia, ſed variarum ſpecierum ſenſibilia hujus naturæ inſecta in omnibus animalium, corporiſque humani partibus, liquidis, ſolidisve; in vaſis, & extra vaſa facilè catulire; Hinc ex nidis ſuis per exitus ſæpe varios, per vias inteſtinales, ſtomachales, urinarias, etiam ſudoriferas; per naſum, per aures, per oculos, per umbilicum, per cutis hiatus morboſos, per alias quaſcunque naturales, aut præternaturales aperturas foras excerni; longa eſt omnis ævi Obſervatorum authoritas. De vermium animalium natura, geneſi, generandi modo, nido, ſpeciebus, differentiis, uſibus, & proprietatibus, alterius diſquiſitionis negotium eſt. Hîc ſolùm vermes hepaticos hiſtoricè referemus.

§. X.

Pullulat in Hepate Vermium fætura, cùm iners eſt bilis acredo, & vieta; non minùs ac in puerorum cavo inteſtinali frequentes ſunt, ob eamdem cauſam, vermium turmæ. Hinc in Cachecticis, Ictericis, & Hydropicis familiarior eſt hæc Hepatis fæcundatio. *In cyſti fellea reperti quandoque ſunt lumbrici: At hoc in hydrope ſublatorum cadaveribus, quorum nempe biliaris veſicula pituitâ potiùs, quàm bile repleta fuerat, tantùm obſervatum eſt.* Hæc *cl.* & famigeratiſſimus D. *Andry*, Regius apud *Pariſienſes* Profeſſor. Reverà bilis amaror præſervativum eſt fraciditatis ſuccorum inteſtinalium, undè vermium inteſtinis aſſidentium inordinationes poſſunt accedere: Ob eamdem à putredine præſervandi habitudinem, aloe, ſimplicium amariſſimum, eſt cadaverum balſamum. Sic ob fractam bilis aciem, aut impeditam ejuſdem in inteſtinum viam, ſcatentium in hac fiſtula lumbricorum vitia præſidiis amaricantibus, bilis analogis, peſſundare uſus eſt. Bilis, quæ naturali habitudine ſua pollens, vermes inteſtinorum inquilinos arcet ab affectibus morboſis, projicit in eoſdem affectus, & fovet, quoties vitiosâ indutâ acredine, eoſdem irritet, & ſuccos ſuos nutritios depravet: ut alio opere exponimus.

§. XI.

Vermes in hominum Hepate ordinarios cucurbitinos eſſe, quorum

quorum figura ſoleam æmuletur piſcem, teſtatur *Malpighius*; eamque animalculorum ſpeciem etiam in brutorum jecinore animadvertit, præſertim in bobus; quibus ſolùm morbum hunc ſpecificum eſſe, non hominibus, malè effantur *Amſtelodamenſes* apud *Gliſſonium*. Enim verò Hepatis humani ramos bilarios vermium multitudine confertos obſervavit *Thomas Cornelius*; copioſiſſimos in puero per ipſos-met venæ portæ ramos Hepaticos *Emilius Campolongus*: In Hepatis lobulis, ſeu ipſâ-met viſceris ſubſtantia quamplurimos viderunt *Schenkius*, *Bauhinus*, *Montuus*, *Gemma*, Aliique. Grandiorem unum in cadavere puellæ, occupantem choledochi meatum, minorem alterum ad Hepatis tunicam exteriùs ſolùm adhærentem vidit Wieri filius. Quatuor teretes vermes in ipſo portæ trunco à ſe inventos memorat *Spigelius*: idem etiam *Bidloo*: ſed introitus, eisdem à *Spigelio* effictus, ſcilicet per venarum meſeraicarum orificia; & aliæ inſuper circumſtantiæ non minùs graves, polypoſa potiùs ibidem inchoata, & ampliata, hujuſmodi corpora evincunt, quàm inſecta, & verè viventia, ex inteſtinis prorepta. Verminoſam cæterùm in Hepate colluviem, morbum bobus, aliiſque forſan animalibus contagioſum eſſe, aſſerunt *Amſtelodamenſes* prædicti. Curioſum cæteroquin eſt, quod affert toties laudatus *Gliſſonius*: In ovium ſcilicet lue ſeroſa affectarum jecinoribus, crebrò tumores contingere, in quorum medio cavitas quædam aquâ referta reperitur, per quam vermiculi lati, rhombi piſcis figuram repræſentantes, hoſpitantur, & innatant. Ex vermibus Hepaticis, ad hujus viſceris flatus veniamus.

§. XII.

Craſſi ex viſcidis fermentantibus ſuccis elevati ſpiritus, aerique aliquali innatantes; ſeu flatus, *ut dicunt*, eo fruuntur in animalibus imperio, ut liberè per univerſi corporis ambages, non ſecùs ac vermium ſeminia, expatiari poſſint: Data inſuper eiſdem eſt celerrimi excurſus libertas. Hinc non tantùm per inteſtinorum Cavitates, ſed etiam thoracis, abdominis, Capitis, cordis, cerebri, lienis, renum, & cunctarum partium; per fluidorum omnium alveos, & fluenta, per membranarum, fibra- *Flatus Hepatis.*

Bb rumque

rumque intercapedines, per artus, per habitum corporis, per membrorum, & viſcerum intimiorem ſubſtantiam, denſo agmine excurrendo; partes animales univerſas tum doloriferis diſtentionibus in dies excruciare valent, tum variis morborum larvis afficere: Adeo ut, jure merito Egregius *Pechlinus* aſſerat, nullum eſſe morbum, quem flatus non faciat, aut augeat. Flatuoſorum excurſuum ſoboles ferocior eſt morbus ille, quem flatum ideo furioſum, flatulentum ambulonem, aut ſpaſmum flatuoſum appellant authores Hepar non eximitur à flatuum inſultu. Obrepit aliquando inter ejus ſubſtantiam, & membranoſum tegmen manipulus flatuum, Qui repentinum tumorem nullimodè renitentem tactui, ſubitam reſpirandi anguſtiam, nec non inconſtantem tenſionis ſenſum in hypochondrio, cum facili indè, & ſubita ſolutione, producendo, geneſim ſuam, & inſtabilitatem depromit. Statûs hujuſmodi deſcriptionem vide apud *Sennertum.*

§. XIII.

Polypi Hepatis.

Polypos tandem, non minùs gelatinoſos, quàm carneos in ramis cavæ, & portæ per hepar diſperſis frequenter obſervavimus in ictero, cachexia, longiſque viſcerum cacophragiis. In Homine poſt diuturnum Hepaticum fluxum, indèque ultimam maciem defuncto, pro tota morbi ſede, cavæ ramos in Hepate, polypis ſolidiuſculis obſeſſos animadvertebam. Recordabar experimentum *Loweri*, qui, curſu ſanguinis in jugularibus canis per ligaturas applicitas intercepto, brevi obſervabat, totum animalis caput ſeroſâ exundatum colluvie, per meatus omnes effluente. Analogiam ad noſtrum caſum concilians, dicebam, ex ſanguine cavæ hepaticæ, per polypos, tanquam per leviores ligaturas remorato, facilè in glanduloſis concurſibus ſerum laxiùs exſolvi potuiſſe, per meatus indè excretorios alacriter corrivandum cum bile. Hoc tamen ad diſſolutionem Lovverianam ſuperaddito, quòd minutiores ulteriùs à fugiente hoc ſero abreptæ cruoris aliquales particulæ, communi itinere ad inteſtina profluebant, pro fluxu hepatico excitando.

CAP.

CAP. XII.

Prodromus ad Praxim morborum biliariorum.

§. I.

Bilis triplici de titulo, ſuper alios omnes animalis, humor eſt alterationibus ſubjectus; Et propter conſiſtentiam ſuam, ac lentorem curſus; & propter vaſtitatem viſceris, quod occupat; & propter principiorum, ejus complexum concurrentium pluralitates, diſparitates, momenta. In cenſum cauſarum bilem alterantium, pręter multigenas ex propria ideo temperie expetendas, addenda inſuper ſunt errata ſex rerum non naturalium, & præſertim variæ tempeſtatum, & ambientis impreſſiones. Hæc omnia Therapeiæ biliariæ campum aperient vaſtiſſimum.

§. II.

Cauſis tot variis expoſitis, bilem in ſtatus præternaturam varios conducentibus, eoſdem met ſtatus, ſeu morbos bilis particulares peragrabimus. Bilem ideò morboſam in ſeptem claſſes partituri erimus: Videlicet. I. in bilem ſolutam præternaturaliter, ſed naturali non acriorem: 2. in ſolutam, & naturali acriorem: 3. In bilem naturali craſſiorem, defectu activorum principiorum. 4. In craſſiorem ſimpliciter, ob vehiculi ſeroſi penuriam. 5. in craſſiorem, ob reſinoſam principii oleoſi compactionem. 6. in craſſiorem, ob torridam terreo-ſalinæ ſociatę ſubſtantiæ diſpoſitionem. 7. tandem in ſtatum bilis medium, ſeu mixtum; Ex craſſamento ſcilicet, aſperitate, & acredine principiorum omnium, aut plurium. Hiſce omnibus claſſibus morbos ſoboleſcentes ſuos ſuccenturiabimus.

§. III.

Bili ſimpliciter ſolutę, ſeu nimium dilutæ, & effœtæ morbos varios appropriabimus, dependentes ab irrita, aut ſaltem imperfecta bilis ſecretione à ſanguine, ob minorem ejuſdem liquidi ſuſcipiendæ

cipiendæ cohæſionis facultatem; ut varias icteri ſpecies benigniores; aliaſque, per varias animalis partes, renes, inteſtina, ventriculum, glandulas ſalivarias, aut ſimiles bilis ſecretiones morboſas, ſed placidas; Inſuper inappetentias, bilioſas eructationes, ſputationes, nauſeas &c.

§. IV.

Bilis ſoluta, & inſuper acrior; vel ſimpliciter volatiliſata eſt, & tamquam ſpiritualiſata; vel ſimpliciter ſalſa; vel mixta. Ex prima, Cholera morbus, & aliqua Arquati genera procedunt; Lumborum inſuper & hypochondriorum prava accidentia, vertigines, precordiorum anxietates, ardor ventriculi; varii morbi capitis, & ſtomachi: Exploſiones, & rareſcentiæ in ſanguine; ephemeræ, cauſones, & ſynochæ. Ex altera ephelides, ignes ſacri, aut perſici; Herpetes; imò omnes penè cutis affectiones, ex bilis morſu per eamdem depaſcente. Ex bile præternaturali, volatili ſimul, & ſalſa Eryſipelata producuntur, & ſimilia.

§. V.

Craſſior ob deficientiam principiorum moventium,& mobilium; ſeu cruda, iners, & ſtimulis ſuis naturalibus carens, lentores frigidos manuducit, indolentes, contumaces; opilationes inſuper, & chloroſes; ulteriùs cachexias, & hydropes. Quid bilis actuoſitatem deperdat, & quomodo ex deperdita, naturalis œconomiæ everſiones accedant, latiùs hîc loci eventilabimus.

§. VI.

Craſſior, ob vehiculi limphatici penuriam, quaſdam icteri claſſes explicabit; calidas inſuper obſtructiones, ariduras, & exæſtuationes, precipuè chilificationis tempore; habitum luridum, pichrocolum, terreum, ſubflavum, viſcerum intemperies, temporaneas pedûm, & manuum incaleſcentias; eamque preprimis depravatę diſtributionis digeſtivę habitudinem naturalium viſcerum, quæ ſtomachi frigiditas, & hepatis ſimul caliditas apud antiquos vocitatur. Reſinam hoc pacto bilioſam hecticarum etiam principium eſt. In reſinoſa bilis prepollentia hujuſmodi, factâ ſanguinis, aut plurimarum ejus partium, tamquam oleosâ ſuperficie, liquida aquea in ſanguineum flumen introducta, per intimam ejuſdem compa-

compagem inſinuari non queunt, nec dictis concretis partibus affigi; ut nec aqua communis oleo intimè admiſceri poteſt: Nec ideò ſolvere valent, nec dilatare; concretas partes elongare ſeu, ut dicitur communiter, humectare, & diluere. Hinc in hecticis eſſentialibus nullum deducimus ex meris humectantibus auxilium; Totum venit dumtaxat ex refermentantibus, & exaltantibus. Dabimus nos in hoc opere additamentum quoddam ſalinum, quo mediante aqueæ particulæ per galaxiam introductæ, reſinoſis ſanguineis nubant; ſolvant ideò, dilatent, & elongent.

§. VII.

Craſſamentum bilis à ſulphureo ſuo, non minùs reſinoſo, quàm exaltato febres exporriget continuas periodicas, friguſculis, & exorbitantibus exæſtuationibus ſe ſe excipientes; ardores viſcerum contumaciſſimos, & fortes, linguæ ariditates, & aſperitates; anxietates, laſſitudines, vomitus bilioſos, ardentiſſimam ſitim, & clamoſam; faucium, & oris inceſſantem amaritiem, & ſimilia.

§. VIII.

Viſciditas bilis terreo-ſalina, ſeu cretaceo-cauſtica febres variorum generum in intenſionibus, extenſionibus, & ſucceſſionibus producit, ſi, ad turbas excitandas ſuas, in maſſam generalem introducitur. Quòd ſi gliſcat dumtaxat per viſcera, colicam, diarrhæam, teneſmum, dyſenteriam procreat; in ventriculo ſingultus, ſodas, vomitus, convulſiones, cardialgias, languores. Eadem itaque delinquens bilis febres facit, aut morbos ſine febre. Primas, ſi à reſervatoriis ſuis per vaſa referentia denuò ad ſanguinem retrogreditur; alteros, ſi ab eiſdem reſervatoriis per vaſa excretoria defertur ad receptacula alia, abſque commercio cum ſanguine. Sublimatur in primis; præcipitatur in alteris.

§. IX.

Tandem mixtum bilis ſtatum, ex craſſamento, copiâ, exaltatione, & acredine febres intermittentes varias progignit, exquiſitas, ut dicitur, & ſpurias. In hiſce febribus dies ipſi à febre vacui ſigna adhuc bilioſæ exorbitantiæ deferunt; ut inappetentias, virium proſtrationes, pulſus parvos, os amaricans, linguam flaveſcentem, Cardialgias, urinas croceas, habitum improvisè icte-

 ricum

ricum, capitis lancinationes, dolores ad hepar, & epigaſtrium tenſivos, ſitim, ardores, nocturnam inquietudinem. Omnia unam bilem redolentia: ſerum ipſum ſanguinis, Phlebotomiâ, aut cucurbitulis extractum, ſaturatè flaveſcens.

§. X.

Poſtea ad examen practicum ſpecierum apud antiquos morboſarum bilis ſedulò deſcendemus. Bilem, vitellinam vocatam, bili craſſiori, cum torridiori ſulphurei ejuſdem elementi habitudine, & præpollentia imputabimus. Aliæ bilis morbidæ famoſiores priſcorum gerarchiæ, tamquam mixta corpora, & exotica, ex variis humoribus diſſimilibus, confuſis invicem, & recoctis reſultantia, in palam venient. Hinc de morbis omnibus biliariis, qui hujuſmodi delinquentiis arrogantur.

§. XI.

Tanta bilis vitia non à ſolo ejuſdem liquidi interno principio, ſeu temperie ſua facillimè alterabili; ſed magis à cauſa extrinſeca, & vario præcipuè ambientis, & tempeſtatum ſtatu, auſpicanda veniunt. Ex ſuccis omnibus animalibus, ambientis novitatibus bilem primariò ſubjici; hyeme depreſſam, & obtuſam ſub ſeri compedibus, prædominio, & genio jacere; excuti verno tempore; expandi ulteriùs æſtate, & excandeſcere; hinc tandem autumno majores intemperantias ſuas explicare, ſucceſſivè videbimus. Graduales bilis per ver, æſtatem, & autumnum alterationes eô notabiliores extant, quô aeris ambientis, & reſpirati temperies tempeſtatibus propriis non correſpondet; præcipuè ſi fervores, & æſtus aut longiores ſint, aut intempeſtivi ultra tempeſtatis exigentiam aut intenſiores ex ventis auſtralibus nimiùm, & pertinaciter efflantibus; aut irregulares ex intermixtis improviſè aquiloniis. Siccitas inſuper regnet, & imbrium, ac pluviarum defectus, major, aut minor, qui prædominantium eorumdem ventorum anomaliis ortum debet; Unde bilis peraſſationes, ut dicitur, majores, aut minores; ſeu nimiæ componentium ſuorum rigiditates, & compactiones, ob magis, minùſve abreptas ab eorum ſinu cicurantes, & leniores humiditates; exaſperata in conſequens, & acuata ejuſdem principia. Quæ certè bilis affe-

ctiones in tot morbos per æſtatem conjurant; præcipuè ad autumnum, & principium hyemis crebriores, contumaciores, interdum & acutiores; ſenſim deperditâ in liquido bilioſo liquiditate illa artificiali, quam rarefactivus æſtatis calor ſervare aptus erat.

§. XII.

Stagirita in libro *Problematum* memorat bilis affectus ex varia ventorum perflatione per æſtatem, & autumnum: *Quod ſi ſicca æſtas, & aquilonia, & autumnus ſiccus, iiſdem aquilonibus perflatus, morbo bilioſos infeſtat; An' ad idem corpus eorum ac temporis habitus vergunt: Itaque veluti ignis igni adjicitur. Cùm enim corpora exſiccentur, quantùmque in his dulcedinis erat, evaporatum ſit, vehementerque incaleſcant neceſſe eſt: Ut dum humor conſumitur, aridæ lippitudines oriantur, reſiduoque quod bilioſum remanſerit, eodemque recaleſcente, febres acutæ, ut pote ex bile ſincera, invadant.* Problem. 12. ſect. 1. Animadvertit etiam *Ariſtoteles*, impreſſiones morboſas bili inditas ab intemperantiis æſtivis faciliùs versùs hyemem depromi; quo tempore liquida animalia priùs per ambientis calorem rarefacta, in ſe ſe condenſantur. *Vitia bilis per æſtatem contrahi debent; morbi acuti, qui certè ex bile conſiſtunt, per hyemem potiùs urgent.* Problem. 6. ſect. 1.

§. XIII.

Veris ſiccitatibus, longis, aut exceſſivis fervoribus æſtatis intermixta improvisè imbrium, aut pluviarum ubertas, ſubitaque idcirco in ſuccos animalis aridiores introducta humectatio, laxatio, & ſolutio, ad morbos etiam biliares aggerrimos viam tritiſſimam, ſternit. Id etenim tentat ſolvens ambientis aqueum, maſſæ humorum pertraditum, ſuper coctam jam bilem, ejuſque aſperiora, & exaltata ſalino-ſulphurea principia, quod aqua communis cocto lapidi, ſeu calci ſuperaffuſa, ejuſque ſales, & igniculos in fluorem, & motum dilatans; rabidas ſcilicet efferveſcentias ciere. Phaſim hujuſmodi æſtate 1714, anniſque aliis præcedentibus obſervavimus.

§. XIV.

Succeſſivè igitur ad ventorum, & ſiccitatis laudatas habitudines, fervoriſque idcirco notabilis in tempeſtatibus concepti, factum

ctum eſt; ut ad annum elapſum 1715. Grande facto bilis craſſamine, & aculeo, explicans ſe ſe ad Majum menſem præcocior æſtatis æſtus, indeque vehementer proſequens, ob auſtros aſſiduè afflantes, ortamque ad plagas omnes noſtras, totamque Italiam, ariditatem, delinquentias ubicunque biliares epidemicas inſperſerit. Provinciis illis noſtris, ubi parciùs, aut nihil ad veris finem, & æſtatis principium pluebat, aut ubi pluviæ tardè nimis effundebantur, optimâ licèt climatis temperie donatis, ægrorum numerus increbuit. In ditione *Claraſcenſi*, & *Cuneenſi* habitantium medietatem biliaria ægritudo corripuit. Ad ipſammet *Cunei* civitatem, cui, præter generalem cauſam, fluvii etiam alluentis exſiccatio accedebat, duo habitantium trientes ægrotabant. Ad vicinias *Claraſci* nunquam pluebat; Et nemo penè hominum ab aliqua bilis affectione immunis factus. Vigente hoc influxu, *Taurinum* imbres aliqui, à veris principio inchoati, identidem emolliebant; Hinc minor longè in Hac metropoli ægrotantium bilioſorum numerus; Licet æſtus non minor datus fuerit; aer inſuper puritate, & diflatione inferior aere memoratarum urbium, & ditionum; Grandior inſuper fructuum, aliarumque rerum non naturalium intemperantia. Fluet ideò hoc capite de Epidemiis biliariis variarum tempeſtatum diſquiſitio.

§. XV.

Bilis itaque à tempeſtatum anomaliis in ſtatum præternaturalem conjecta, tripliciter morboſè adoritur; vel ſcilicet febriliter; vel non febriliter; vel mixtè. Febriliter, cùm jam vitiata in ſanguine, poſtmodum in reſervatoriis ſuis collecta, & tamquam recocta, in eundem ſanguinem reaffunditur; ibidemque extranei fomitis, ſeu humoris non ampliùs miſcibilis conditionem aſſumit, ad febres varii ordinis, ſecundùm diverſam ſubjectorum diſpoſitionem, producendas; ut variis locis ſuperiùs indicavimus: cur autem aliquibus ſubjectis continuas inferat, mitiores, aut acutiores; aliis intermittentes varias, ejuſdem naturæ humor; attentè hîc loci explicabimus. Non febriliter bilis infeſta eſt, cùm ſecreta à ſanguine, ex viſcere ſuo ulteriùs derivatur, remeatu in ſanguinem non facto; ſeu per inteſtina à choledocho delabens, diar-

diarrhæas ſimpliciter, dyſenterias, teneſmos, dolores, ardores, vomitus; ſingultus, ſitim, defectiones, alioſque primarum viarum affectus procreat. Tertio autem modo, ſeu mixtè ſubjectum ſuum invadit bilis præternaturalis facta, cum ambas metitur vias; ſanguinis nempe, & inteſtinorum. Hinc dyſenteriæ v. g. complicatæ, ſeu cum febri, aut acuta, & tamquam inflammatoria; aut mitiori, & protractâ. Curioſa erat nobis hiſce diebus ægritudinis biliariæ alternatio. Dyſenteria in juvene exquiſita, accenſâ per vices febre ſtatim ceſſabat; febrè deferveſcente, & remiſſiori factâ, recrudeſcebat. Hoc autem per menſem, & ultrà. Alternationes hujuſmodi quinque, aut ſex dierum ſpatium exactè menſurabant. Integrè tandem dyſſenteria judicata, & ſoluta febris à magiſtrali hypecacuanæ adminiſtratione.

§. XVI.

In bile per ſubjecta varia febrili, aut non febrili prævalens ſupra craſſitiem acredo faciliori curationi viam ſternit: E contra, cum craſſities ſupra acredinem dominatur. Siquidem, expedita à tenacitate humoris, & facta totius juris acredo, in vegetas ideò irritationes inſurgens, majores etiam in ſolidis, liquidiſque, ſyſtaſes, & niſus imponit; undè impacti, aut immixti extranei vegetior, & celerior excuſſio, aut extruſio ſuccedat. Sic dyſenteriæ quamplures in Epidemia memorata, aliiſque ſimilibus facilè cedebant ſpecificis ſuis; & febres ante ſeptimum, imò & ante quartum circuitum abſque uſurpatione febrifugi judicabantur; Quæ in aliis ſummam contumaciam induebant: Et ſicuti præcox in hac Epidemia bilis coctura, & deflagratio morbos æſtivos per vernum tempus anticipabat; ſic & autumnales morbi ordinarii ultra conſuetum præibant. Quare Tertianæ; & Quartanæ, *Septembri* & *Octobri* ordinariò triumphantes, *Iulio*, & *Auguſti* ſolum principio viguêre. *September*, & ſequentes menſes intermittentibus carebant; previè excuſſâ, quæ in ſubjectis diſpoſitis deflagraverat bile.

§. XVII.

Poſt hæc omnia abundè pertractata, deſcendemus ad ſolemnia

Cc quædam

quædam febrium continuarum bilioſarum ſymptomata; eaque ſimpliciter ex eodem individuali principio deducemus. Exanthemata ſpuria copioſiſſima, nunc planæ, aſſerrimis pulicum morſibus analoga, ac ſimiles in malignis verè febribus eruptiones cutaneas ſimulantia; nunc etiam faſtigiata, & papullata, febres bilioſas æſtivas quamplurimas in junioribus, & pauperculis præcipuè, comitari ſolita, auſpicabimur facilè ex variis ad habitum corporis glomeratis bilioſis arefactis ſubſtantiolis. Hæmorrhagiæ, dolores Capitis ab eodem fonte emanabunt, molibus nempè bilioſis ad aliquam ſanguinis partem in majores cohæſiones perſtrictis; major in conſequens denſitas, & reſiſtentia fluorum; & major ſanguinis ad tergum appellentis niſus in vaſorum latera: Hinc tenſio, dilatatio, dolor, diapedeſis: facilius autem in capite, quàm in alio quocumque recipienti; Quam nempe per partem unda ſanguinei laticis uberior perfluit, & grandiores inſuper vaſorum flexuræ, & grandiores anguſtiæ. Sic etiam delirium bilioſum: ſic palpitationes bilioſæ, & pulſuum intermittentiæ à diverſitate denſitatum ſanguinis in diverſis vaſorum tegmentis explicabuntur. Febres ideo bilioſas ab extrinſeco particularum ſanguinis turbamento, quæ ob memoratorum, aliorumque ſymptomatum ſatellitia, & complicationes, obſtrepentes, & feroces, perperam malignæ nuncupantur, à propriè malignis diſcriminabimus.

§. XVIII.

Miſſionis ſanguinis utilitates, inutilitates, aut noxas in variis morboſæ bilis ſtatibus perpendemus. In bilioſis generaliter rareſcentiis à ſanguinis miſſione religiosè abſtinendum eſſe proponendum veniet. Eductio ſanguinis ſpatium, & momentum liberius liquidis rarefactis, aut rarefaciendis procurans, morbo augmentum conciliat. Ideo valet in hoc caſu Antiquorum axioma: *Sanguis eſt frenum bilis.* Succenturiatur *Avicennæ* monitum: *Cave ne inducas efferveſcentiam bilioſorum.* Bilioſum explodens ignitabulum per phlebotomiam non tollitur, non imminuitur, quin imo intenſivè adaugetur. Tantumdem ad ejuſdem impetum ſuperadditur, quantum reſiſtentiæ detrahitur; quæ certè diminutio

reſiſtentiæ

reſiſtentiæ tanta eſt, quanta eſt quantitas ſanguinis, per lanceolam detracti. Per hoc generale principium dicitur communiter: *Venæ ſectione ſanguinem agitari.*

§. XIX.

Poſt ſaniores Curationum Cardines in prædictis omnibus perpenſos, varios præſervationis modos à morbis bilioſis ex lentore, & acredine, ob calidum tempeſtatum, & ſiccum, diffuſè memorabimus; Humectantibus præcipuè appropriatis, & matutinis copioſis potionibus. Qui longis potionibus v. g. thæ, caffé, aut calidæ meracioris quotidie aſſueſcunt; ex hiſce neminem quem noverim, bilioſis per æſtatem, aut autumnum efferationibus correptum vidi: ſcilicèt reparatâ quotidie defficiente per diſſipationum injurias bilis fluiditate, nec non acore cicurato.

§. XX.

Morbis ideo bilioſis, Verno tempore confuſis, & ſporadicis, æſtate, & autumno ſolitariis, & endemiis, hyeme mixtis, & multipliciter ob pituitæ prædominium, aut concurſum larvatis, aut depreſſis Hippocraticæ conciliabuntur obſervationes ex quibus elucidationes deducemus quàmplurimas; & curandi modos. Principales idcirco *Divini Senis* ſententias, bilis erratis variis congruentes, quantâ potuerimus ſedulitate, commentabimur.

§. XXI.

Exempli Gratiâ. Circa bilis morboſæ motiones. *Surditas bilioſas alvi dejectiones, ſurditatem alvi dejectio ſedat.* Coacæ Prænot. & Aphor. 28. ſect. 4. & Bilis orgaſmus eſt. *Febrienti, aut per bilem æſtuanti in tempore foras diſperſa bilis, bonum: Diffuſa verò, ac diſperſa ſub cutem, toleratu levior eſt habenti, & curatu facilior ſananti: Diffuſa autem, ac diſperſa & ad unam aliquam corporis partem allapſa malum.* lib. 1. de morbis: Bilis methaſtaſes bonæ, aut malæ. *Bilis ſi ſua ſponte aut infra, aut ſupra proruperit difficiliùs ſedatur.* De locis in hom: Cholera morbus. *Lactis agitati exemplo commoto humore quidquid in corpore retinetur à principiis ſeponitur: Et bilis quidem cum ſit lentiſſima in ſuperficiem diſcedit. Secundo loco ſanguis: tertio Pituita: Ex his autem*

humoribus maximè gravis eſt aqua. 4°. de morbis: Vitiatæ bilis per corpus ſecretiones. *Bilis eorum omnium, quæ in corpore inſunt cum ſit glutinoſiſſima, maximè diuturnas ſtationes facit:* De natura hominis: Obſtructiones ex Bile.

§. XXII.

Circa febres bilioſas. *In Homine incaleſcente corpore aqua foras exhalat: Quod verò eſt bilioſum, cum cohærens, & denſum ſit, neque ſimiliter extenuatur, neque exhalat: Verùm extenuatus bilioſus humor efficit, ut corpus incaleſcat: Copioſiùs autem, & meliùs alimentum febri ſuppeditat.* 4°. de morbis. *In Bilioſis ſpiritus magnus, & febris acuta cum præcordii intenſione juxta aurem abſceſſus facit.* In Coacis. Hæc omnia febribus bilioſis æſtivis, autumnalibus, & hyemalibus aliquot concernent. Quibus etiam referendus eſt Hippocratis textus: *Febres magna ex parte à bile oriuntur.* De nat. hominis.

§. XXIII.

Hepatitis. *Morbus hepaticus: Dolor acutus in hepar incidit; & ſub ultimas coſtas, & in humerum, & in claviculam & ſub mammam: & ſuffocatio fortis tenet, & aliquando lividam bilem revomit, & rigor, & febris primis diebus debilior habet, & dum tractatur hepar dolet:* De internis affectibus: Hepatitis vera, ſeu bilioſo-ſanguinea. *Alius hepaticus morbus: Dolores quidem eodem modo premunt in hepar, & color differt à priore: Interdum vomitus bilis pallidæ cum fructu; ſi verò non vomuerit, bilis ad oculos pervenit, & fiunt valdè pallidi, & pedes intumeſcunt:* Ibidem: Hepatitis ſpuria, ſeu bilioſo-ſeroſa. *Hepaticis ſputum multum cruentum, ſive intus ſubputridum, ſive ſi merè bilioſum fuerit, ſtatim perniciem denotat:* Coacis prænot. Hepatitis cum pulmonis affectu complicata. *Hepatico colliquatio cum raucedine, malum portendit, idque præcipuè ſi cum quadam tuſſi contingat:* Ibidem: *Ex bilis in thoracem fluxione tabidi, & ſuppurati:* De Locis in Homine: Phtiſis Hepatica, ſeu Icterica. *Hepate dolentes cum oris ventriculi dolore, ſopore, rigore, & alvo exturbata, cum corporis extenuatione, ciborum faſtidio, multis tenuibus ſudoribus difluunt, & purulenta per alvum demittunt:* Ex Coacis:

Hepatitis

Hepatitis lentè in abſceſſum, & tabem migrans. *Iecur purulentum ſi aduratur, & fluat pus purum, & album, ſani fiunt; In tunica enim pus continetur.* Aphor. 45. 7. Hepatitis feliciter ad partem gibbam viſceris dexteram lateralem ſuppurata, & per cauterium aperta: Ut nobis interdum contigit. *Ex Hepatis uſtione quibus pus amurcæ ſimile prodit lethale:* Coac. & Aphor. Hepatitis frigida; ſeu ſteathoma Hepatis, Cauterio externè apertum. *Hepar vehementer de repente dolentibus febris ſuccedens remedio eſt:* Ex eodem in Coacis: Hepatitis ex ſolido nerveo, ſeu convulſiva in Hepatis ligamentis, & membranaceis partibus. *Iecur aquâ repletum, ſi eruperit in omentum, iis venter aqua repletur, & moriuntur:* Aphor. §. 7. Hepatitis ſeroſa, undè aſcites à limphaticorum Hepatis ruptura. *Quibus Hepati dolor hi ſanguine per alvum egeſto, ſervantur; non autem egeſto, moriuntur:* Coacæ: Fluxus Hepaticus Criticus in Hepatitide exquiſita.

§. XXIV.

Pertinentia ad Icterum. *Icterici non admodum flatulenti ſunt.* Aphor. 72. 5: Icteritia diſſolutiva. *Morbus regius ſi poſt ſeptimam febribus ardentibus ſuccedat, ſudoris indicium eſt; neque enim exſudare, nec alias uſpiam abſceſſum facere conſuevit ſed ſanantur:* Icterus Criticus. *Quibus in moleſtis febribus, ſeptimâ, nonâ, undecimâ, aut decimaquartâ die morbi regii oriuntur, bonum, ni dextra præcordia obduruerint; ſin minùs, res in dubium venit:* Coacis: Criticus etiam, aut ſimptomaticus cum exundatione hepatis icterus. *In febribus ardentibus, ſi morbus regius, & ſingultus quintâ die, lethalis eſt:* de Indicat: Icterus merè ſimptomaticus, & malignus. *Regio ex morbo fatuitas, aut ſtupiditas malo eſt:* Ibidem, & prædict. Icterus cerebri. *Regius morbus ante diem ſeptimum inislioſa febre cum rigore ſuccedens morbum ſolvit; citra rigorem verò intempeſtivè obortus, lethalis:* De natura victus in acutis: Diſcrimen Icteri critici, & ſymptomatici. *Regii morbi ex hepate ſubalbidi, ex aliis viſceribus nigricantes:* De morbis vulgar. Diſcrimina arquati ordinarii & nigri.

Et ſimilia à Medicinæ oraculo depromenda; Quæ omnia opulentiſſimam ad praxim hepaticam noſtram ſupellectilem explicabunt. Nec ulterius in Prodromo.

HISTORIÆ HEPATICÆ
PARS TERTIA.

Aperiens ea quæ Morborum Hepatis, præcipuè Biliariórum Terapeiam, ſeu Curationem adimplent.

AUTOR LECTORI SUO,
In hanc Partem introducendo.

POSTQUAM ante hos tres annos, & quod excurrit, Bibliopolarum Genevenſium rogatis binas primas partes Hiſtoriæ Hepaticæ ampliatas elargitus fuerim, & tertiæ inſuper Prodromum, ad calcem earum adjiciendum, tranſmiſerim; Hæcque poſtmodum ſingula, typis illico reddita, quo minùs ad hos uſque dies prodirent graviſſimis de cauſis imperaſſem, multa mihi quidem occaſio per totum id temporis allata eſt, non ſolùm Prodromi illius noſtri inſtitutum maturiùs reviſendi, perpendendique; ſed etiam ex parte non adimplendi. Nam ex his, quæ ad peragrandam Hepatis Therapeuticam Provinciam pollicebar in Prodromo, alia ſanè videbantur theoreticè admodum, & ſcholaſticè ſuſcipienda fore, quæ puram praxim, & ſimplicem obſervationem, quibus tantummodo inſtruen-

inſtruendam hanc partem deſignaveram, non ita directè concernerent: Alia inſuper nimis ſtrictè poſita, veluti ſi novis, ſeveriſque legibus ad inveſtigandas tot claſſes delinquentiæ biliaris medentes voluiſſem compellere. Meditanti itaque mihi quo paſſim alio ſcribendi genere meam hanc Therapeiam aggrederer, quam utique liberaturus fidem meam, ante annos multos impoſitam, ſimul etiam humaniſſimis ſummorum Hominum Votis, & ſæpè iteratis celebriorum Academiarum invitationibus, ut morem aliquando gererem, colligendam demum decreveram; Practica ideò Adverſaria mea iteratò volutanti, atque cum novis quotidie ad ægrorum lectulos obſervationibus compellenti, appulit Amici doctiſſimi diſſertatio Epiſtolica, ex qua gratiſſimum fuit opportunius deligere conſilium, editique jam Prodromi formam magnam partem oblivіſci.

Enim verò de biliarium morborum, noſtris regionibus ſub vario aſpectu frequentium, ſæpè & popularium naturâ, generibus, extenſionibus, & ſucceſſionibus accuratiùs perveſtigandis jam diu ſollicitus, ſimulque, quantum obſervandi, legendique aſſiduitas valeat, in dies inſtructior, cum ſæpiùs non cum diſcipulis dumtaxat, ſed cum collegis meis de latiori, quàm apud modernos conveniat, eorundem morborum ditione, ſermones inſtituerem. Cl. Collega noſter D. Lelius Thomas Guidettus, Urbis, Totiuſque Eporedienſis Provinciæ Protophiſicus, Piloſophus, & Practicus indefeſſus, urbem, ædeſque meas frequenter conveniens, illâ, quæ nos ab adoleſcentiâ conglutinat, ſtudioſâ conſuetudine, ſingulares adeo circa eoſdem biliares morbos ſemel, iterumque obſervationes communicabat; ut quod illas in quendam ordinem collectas, nec non ſub modulo diſſertationis digeſtas inſcriberet, & tranſmitteret, eidem author fierem. Expedita Epiſtolica diſſertatio cum non ità multò poſt à Viro accurato reddita mihi fuiſſet, eamque non candore ſolùm, & judicio, ſed ad multifariam bilioſorum affectuum Hiſtoriam, tutâ diagnoſi, prophylacticâ, ac therapeuticâ adminiſtratione non modicè ſpectabilem deprehenderim, in id me facilè contuli, ut ab eadem deſignatæ

partis

partis meæ argumentum & caput inſtituerem. Imo cum in hac de morbis biliariis exercitatione ii omnes hepatis morbi, aut non obſcurè delineati, aut etiam adamuſſim expleti, mihi obviam fierent, qui in bonam praxim accedunt, conſequenter inter eorundem deſcriptiones loca illa omnia optabilia comperirem, quibus facilè foret obſervationes meas his morbis referendas, & gravioribus cunctis Prodromi partibus præterea reſpondentes, interſerere; firmavi animum, quam Therapeuticam meam Hepaticam forem exaraturus, ab hac amiciſſimi Viri Therapeia exordiri, cum eadem proſequi, & cum eadem, minimè recedens, abſolvere, non ideò in Prodromi ordinem ulteriùs pergens, ſed in alium, variumque & ut Guidetti Diſquiſitiones ſe porrigent, abruptum, & miſcellaneum; id tamen conſultum ducendo, ut hujuſmodi editiones Prodromum adhuc intactum proferrent, tum ut iſte prioris inſtitutionis noſtræ monumento ſuperſit, tum ut Tironibus, morbidos varios bilis ſtatus curioſiùs perveſtigantibus non exilem facem præſeferat.

Atque ut ad ſummam novæ hujus partis me conferam: Cum rari in hominibus ab interiori principio morbi ſint, qui vitium aliquod biliare ſibi non aſciſcant, ita non ſolùm proprios hepatis morbos omnes, qui medicis curationibus ſubjiciuntur, aliqua bilis delinquentia immediatè conjectatur (quod facilè intelligit is, cui ignotum non venit, ex viſceris cujuſcunque morbo læſam iri ejuſdem actionem, aut ſaltem productum ex actione) ac penè omnes antecedit, ut in hujus partis progreſſu palam fiet. Quæ paſſiones hepatis à bilis errore non producuntur, pleræque vel medicis curationibus non ſubjacent, vel à cauſa aliis etiam partibus communi ortum ducunt, nec ideò particularem Hepatis; ſed generalem curationem depoſtulant. Soli bilis morbi videntur in Hepate ſpeciatim reſpici, ceu nativi hujus viſceris, & domeſtici; ſolique præſidiis hepar directè ſpectantibus oppugnantur.

Morborum Hepatis Genera, Origines, Sedes, & ſucceſſiones pathologicâ ſuperiori parte deſcribendo, eos vel propriè à ſolido, vel à liquido interfluente, vel tandem à tertio Cauſæ genere,

genere, ſeu ab inſidente corpore prorſus extraneo profectos animadvertimus.

Inter morbos hepatis à toto ſolido, intemperies in primis, ut dicitur, qualitatibus; vel ſimplex, vel cum materia; jam vel à fluidis hoc viſcus interfluentibus, ſed non bilioſis, ideſt ſanguine, & lymphâ primordia conſequitur; vel à fluido in eodem ſecernendo, aut ſecreto, ſeu nominatim biliari: Si à primis; propria hepatis curatio non indicatur, ſed univerſalis alterutrius, aut utriuſque fluidi: Quod ſi à Liquido propriè hepatico, ſeu biliari; jam Curatio erit biliaris. Intemperies hepatis in ſecundis qualitatibus conſtituta, quæ à fluido non eſt, ſed proximè à ſolido, ut ſolidum, remediis non emendatur. Atonia hepatis ſi à propria intemperie ortum ducit inſontibus fluidis, rursùs incurabilis; ſi à fluidis generalibus, fluida generalia proſpicienda. Jecoris ad attiguas partes adnaſcentiæ morboſæ, varices, aneuriſmata, ductuum excretoriorum dilatationes præter naturam, tandem & hydatides, quæ jam lymphaticorum hepatis varices ſint, aut ab eiſdem diſtincti, interſperſique ſuccingentis tunicæ aquoſi tumores minutuli, æquè medicis auxiliis omnibus rebelles ſunt, non ſecus ac ſimiles in viſceribus aliis affectus: Hæque ut & aliæ hepatis nunc memoratæ affectiones, quæ revera per ſola extiſpicia palam fiunt, ſigna propria & conſtantia non adeò proferunt, ut in his potiùs conjiciendis, quàm recenſendis, noſtram hanc hiſtoriam immorari oporteat. Senſibilium in Hepate ſolutionum continui, ſciſſionum, abſceſſuum, ulcerum, vulnerum &c. Theoriam ſuperiori parte ſatis excuſſimus: Horum omnium praxis naturæ potiùs viribus, quàm artificialibus remediorum refertur. Quædam interea de horum diagnoſi, quædam de prognoſi, imò & Curatione, ut loca ſe porrigent, adhuc attingemus. Jecoris ſpaſmodiam ſuperiùs attulimus. Hæc idiopathica ſat rara eſt; ſuum interim diagnoſis, & curationis locum implebimus. Morbi à corpore extraneo vel inſanabiles, vel præſidiis generalibus, & per univerſalis Cauſæ oppugnationem ineundi.

Atqui hepatis morbi, quos praxis ordinaria curandos exhibet, biliares ſunt plurium generum febres, intermittentes, aut continuatæ, acutæ, aut tardiores, vehementes, aut manſuetæ, ſtationales, aut vagæ; benignæ, aut pernicioſæ; Tumores inſuper varii, calidi, aut minus calidi; hepatitides, obſtructiones graviores, aut leviores; dolores præterea majores, aut minores; icteritiæ, colicæ, choleræ morbi, vomitus, diarrhϾ, dyſenteriæ, teneſmi, biliares præſertim pleuritides, aliique plurimi ex eadem ſcatebra affectus, qui licèt fortuito majus, aut minus ſanguinis, aut lympharum vitium importent, tamen aut à bilis vitio immediato, aut non ſine bilis vitio immediato naſcuntur: Ideò quemadmodum præcipui biliares ſunt morbi, ità etiam Therapeia hepatica, quæ non extra eoſdem quærenda eſt, erit & ſigillatim biliaris. Qua de re ſi, quantum ſibi conſtat diuturna noſtra obſervatio, per Guidettiana morborum biliariorum commentaria, quæ morbos omnes ex bile productos indigitant, aut abſolvunt, morborum biliariorum genera omnia, dominatus, vires, diagnoſim, prognoſim, nobiſque inſuper tutiorem redditam auxiliorum medicorum adminiſtrationem diſtribuam, nonne genuinam, optandamque in morborum hepatis curationibus Therapeiam oppidò attigiſſe confidam? Quod reliquum: Meæ hujuſmodi cum ſupradicti Cl. Viri animadverſionibus ordine propoſito intermixtæ; ut clariores evaderent, utiliores inſuper, & curantibus acceptiores, longè ab omni Theoriæ, & hypotheſium farragine, ex practicis ſimpliciter eventibus proferre annisus ſum. Has ideò practicos Canones nuncupare poſſe videbar; veluti nudas, & incomptas, nec niſi ab ægrorum lectulis ſuſceptas veritates, ſimplici ſtylo, non eloquenti, non fucato exaratas, his omnibus complectens. In aliquo tamen morborum biliariorum genere gravius occurrens argumentum, & vaſtius, quod ideò Canonum numerum amplificaret, eorumque res longiùs protraheret, neceſſariò me compulit, ut Canones in protractiores Paragraphos, ceu totidem Capitula, converterem, eiſque omnibus tractatum peculiarem aggererem: quod præcipuè in bilioſa pleuritide advertes.

vertes. Hæc nempe, veluti ingentis momenti affectio variaſque per regiones, ac tempeſtates frequentiſſimè erumpens, interdum etiam populatim deſæviens, & pernicioſa, hucuſque tamen, quod ſciam, non ſatis perſpecta, aut deſcripta, diligentiùs ideò à nobis perſpicienda, deſcribendaque videbatur. Nemo enim, ni fallor, Hippocratica hucuſque conciliavit oracula, quæ dejectiones alvinas, præcipuè biliares, naturales, aut artificiales in veræ pleuritidis invaſionibus interdùm commendant, interdùm condemnant. Ænigmaticum hunc divini Senis ſermonem per calculum praxeos, bilioſas propriè pleuritides ab aliis diverſi generis diſcriminantem, ſolvere feliciter ſperamus, diviſis ad varias pleuritidum conditiones præceptis magni Legislatoris ſpecie diſcordibus: Cui ſtudio ab accuratiſſimo Guidetto noſtris de Conſiliis inchoato non minori obſervationum ſyndrome noſtram & operam impendemus.

Et quoniam ad morborum biliariorum genus pariter præcipuum quadrare videtur febris biliaris periodica, veluti aliarum omnium biliariarum longè frequentiſſima affectio, quæ, ſi multùm inclementes, poſt ver non optimum, fervidiores præcipuè, ſiccioreſque æſtates adfuerint, noſtrarum aliarumque regionum incolas magis, aut minùs epidemicè percutit: Hac de re poſt noſtras, & Guidettianas de febribus, aliiſque morbis biliariis diſquiſitiones, biliares pariter Conſtitutiones epidemicas annorum 1711. 1712. 1713. 1714. 1715. 1716. 1717. 1718. 1719. 1720. 1721. 1722. 1723. & partis ann. 1724. unico tractatu comprehenſas adjicimus. In rebus his omnibus practicis, candidiſque naturæ ægrotantis, curantiſque inſpectionibus, etſi, quantùm poſſibile à Theoreticis principiis eſſe me declinaturum pollicitus ſim, quia tamen in phyſicis diſquiſitionibus, & præcipuè in morborum primordiis, quæ non ſemper ex ſeſe ſat latè patent, diligentiùs explorandis, optandum eſt, ad aliquod ſolidius principium confugere, ubi ratio, cum authoritate & experientiâ conſpiret. Nos ideò in commentariis his noſtris ad illud accedemus principium, quod ut ſummâ au-

thoritate innixum; rationi inſuper conſonum, & ab accuratiori experientia elicitum, viris optimis communius eſt, ſcholiſque omnibus luculentiùs acceptatur. Nam ut de praxi medica decernit Hippocrates lib. de Carnibus: *Neceſſe eſt qui hanc de arte medica tractationem ſuſcipere volet, commune ſententiis principium ponere*; nec poſſunt nec debent in praxi ſaniori novitiæ obſervationes qualeſcumque ab optimis artis veteribus præceptionibus deſciſcere; Ad ipſum igitur Hippocratem confugiam, cujus placita uti authoritate plena, ratione & experientiâ manu ducta, ſententiis omnibus communia, ſumméque idcircò ſpectabilia ſeduló amplectar. Sub his me totum reponam; In morbis omnibus biliariis explendis ex puriſſimo hoc fonte limpitudinem, & ubertatem hauriam: Præcipuè quod in his morbis enucleandis, nec aliquis, opinor, divinam Hippocratis ſolertiam ad hos uſque dies imitatus eſt, nec planè doctrinam interpretatus. Hæc contigit ad hanc partem præfari. Tu noſtris his fruere ad bilis morbos laboribus Lector, ſi candidus, ſi docilis, ſi prudens, & amicus veritatis es, cui tantum hæc aliaque noſtra maximè probanda fore arbitramur; iiſque etiam atque etiam inſtructus, fac impoſterum ut tu, aliique feliciùs valere queant. Atque ad Præfationis coronidem, & tuam inſuper aliorumque omnium eruditionem nobileque documentum, liceat hîc graviſſimum Hippocraticum textum, *lib. de Arte* veluti in medicam Homiliam concinnatum recenſere, & ſuſpicere: *Nonnulli turpiter inſectandis artibus artificium ſuum collocant; neque id quod facere ſe credunt meo quidem judicio obtinent, ſed ſuæ ſcientiæ oſtentationem faciunt. At eorum aliquid, quæ nondum inventa ſunt invenire, quodque inveniſſe, quàm non inveniſſe præſtiterit, ſimiliterque imperfecta ad finem deducere, id mihi videtur illius eſſe munus, qui* intelligens exiſtimari expetit. *Qui verò ea quæ ab aliis ſunt inventa apud imperitos traducit, is ſanè prudentiæ exiſtimationem tueri velle non videtur, ſed potiùs naturam ſuam, aut ignorationem malitiosè prodere.*

Solis.

Solis enim artium ignaris hoc opus competit, qui ambitioſiùs quidem contendunt, neque tamen improbitate ſua ullo modo præſtare poſſunt, ut aliorum opera vel recta calumnientur, vel non recta reprehendant.

IO. THOMÆ LELII GVIDETI

Eporedienſis Urbis, ejuſque Ditionis, atque Andurninæ Vallis

V. PROTOMEDICI,

DE BILIOSIS AFFECTIONIBVS,

& præſertim

DE BILIOSA PLEVRITIDE,

DISSERTATIO EPISTOLARIS,

Ad Ampliſſimum Virum, Doctorem Amiciſſimum

D. IO BAPTISTAM BIANCHI

Anatomiæ, & Medicinæ Profeſſorem Taurinenſem Celeberrimum.

1. *Summo gaudio epiſtolam tuam, Vir Ampliſſime, iampridem optatam nuper accepi; nec jucundius quidpiam per humaniſſimas literas tuas nuntiare mihi poteras, quàm te paratum exhibendo primogenitis fœtibus Anatomico-Pathologicis hepaticis, quibus virtus tua præmaturè floruit, germanos tandem maturæ praxeos fructus ſuperfœtare. Medicinam profectò noſtris temporibus librorum ſupellectile, & copiâ in dies auctiorem, noviſque inventis præclariſſimis illuſtratam ſpectamus, & admiramur; in-*

tereà morborum inſidiis iugiter obſeſſos mortales validioribus propugnaculis inſtructos nequaquàm perſpicimus; quippe fecundandæ Phyſiologiæ vacarunt ſagaciores Medici, in obſcuro relictis Pathologicis Diſquiſitionibus ad rectam medendi rationem apprimè facientibus. Quid prodeſt, quæſo, ægrotis hominibus præclarum illud immortalis Harvei inventum ab universâ Phyſicorum Republicâ dignis laudibus celebratum; quid tot, tantæque ab hoc invento illatæ hypotheſes; Si vitale microcoſmi liquidum in fontes, rivulos, flumina, lacus, & maria optimo jure diſtinctum, jugiterque circumfluum novis duntaxat, itidemque ignotis ſalium peregrinorum copiis devehendis obſtringitur, totque inde ſalibus Theorica Medicina condîtur, ut inſulſa tantundem remaneat Practica? Quid, inquam, proderit, ſi deturbato Apollinis Tripode, & debellatâ elementorum, humorumque quadrigâ, nova è chimicis fornacibus elementa excutiantur, dum interim voraciſſimo febrium rogo cremari non deſinunt humana corpora? Fortaſſe complures morbi lethales habiti clades ſuas uſque adeò non extendiſſent, ſi Hippocratis Oracula, aliorumque Veterum monumenta novis in dies obſervationibus exculta, atque locupletata fuiſſent, non verò contempta, aut ablegata. Hoc ſanè graviſſimum conſilium laudatus Cous, pro ſuâ erga homines charitate, lib. de Arte; de Priſcâ Med., *pluribuſque locis inſculptum poſteritati reliquit. Sed tibi tandem, Bianchi doctiſſime, clarior illuxit dies, qui ſcriptis, & opere Hippocraticam Medicinam in bonam frugem reſtituis.*

De

De Vera inquirenda Medicina Canones Practici.

CANON I.

IN Praxi nemo hypotheticus fortunatè ſe geſſit. Recta ad librum naturæ, non ad machinam intellectus conſuetudo philoſophandi; Bona non jam ex Chartaceorum Anatomicorum pagellis, ſed ex Cadaveribus, præcipuè morboſè denatis Anatome, quæ inſuper, cum aſſidua ægrorum obſervatione comparetur, (*nihil etenim* ait Cl. Bartolomæus Euſtachius *ad medicorum eruditionem conducibilius eſt*, *quàm morborum cauſas in ipſis mortuorum reſeratis cadaveribus explorare.*) Sedula conſtitutionum in morbis animadverſio; Parca quidem, ſed opportuna remediorum quantitas, atque ſelectio, Judicium circa medicas novitates non præjudicatum, ut ſcilicet apprimè dignoſcantur, quæ ſint ad praxim proficuæ, quæ inutiles, quæ noxiæ; Aſſidua præcipuè in Hippocratica obſervatione exercitatio, felicem aliquando Practicum inſtituunt.

II. Ità ex *Bacone de Verulamio de augm. ſcient.* Lib. 4. Cap. 2. "Quod ad Curationem morborum attinet, multa ſunt quæ "deſiderantur: Primum eſt, Intermiſſio diligentiæ illius Hip"pocratis, utilis admodum, & accuratæ, cui moris erat nar"rativam componere caſuum circa ægrotos ſpecialium, referen"do qualis fuiſſet morbi natura, qualis medicatio, qualis "eventus.

III. Ità ex *Baglivio epiſt. ad ſpectatiſſimum Andrium.* "difficil"limis hiſce praxeos Medicæ temporibus, in quibus omnia ſpe"culationum, & hypotheſeon fluctibus agitata, turbataque vi"demus, non ante ceſſura tempeſtas eſt, quàm medici ſpre"tâ opinionum arrogantiâ, & faſtu, ad Hippocratem cla"vum tenentem, & moderantem confugiant, & ab eo"dem naturæ voce loquente, diſcant, quâ viâ progrediendum

"ſit,

"ſit, ut ad veritatis metam in medicina tandem perveniamus.

IV. Ità ipſemet *Hippocr. lib. de Veter. Medicin.* " Qui Veterum in-
"ventis rejectis, ac repudiatis aliam inventionis viam, aut mo-
" dum aggreditur, & aliquid ſe inveniſſe jactitat, is cùm fal-
" litur, tum alios fallit. „ Id autem de morborum, eorumque ſuc-
ceſſionum obſervatione intelligendum.

V. Ità denuò Medicinæ Legislator, *de decenti ornatu.* " Quid-
" quid artificiosè dictum eſt, non autem factum, methodi inar-
" tificialis demonſtrativum exiſtit; nam putare quidem non au-
" tem facere, ignorantiæ, & inartificialitatis ſignum eſt: opinio
" enim maximè in Medicina in crimen vertitur eam adhiben-
" tibus.

VI. Ità idem *de diebus judicat.* " Oportet autem exactè per-
"diſcere unamquamque temporum Conſtitutionem, & quemque
"morbum, & qui morbus ſit bonus, & qui periculoſus aut in
" Conſtitutione, aut in morbo. „ Morborum etenim inveſtiga-
tio ex mutua collatione conſtitutionum, ac tempeſtatum affla-
tu, propriorumque ſignorum ſyndrome jam ab opinione rece-
dit, & in rectam, tutamque cognitionem accedit. His nos ve-
ſtigiis Hippocraticis, ac tempeſtatum, & conſtitutionum condi-
tionibus inſiſtentes, in morbos biliares exquiſitiùs noſcendos,
curandoſque progrediemur.

VII. Quod reliquum: cùm ferè iaceat medicorum Scri-
ptorum in his, aliiſque praxeos obſervationibus diligentia, ſty-
lò ſolùm Ciceronis, Cæſaris, Terentii, Livii, aliorumque
Latino ſermone diſertorum hominum lambendo, propriiſque pa-
gellis exſcribendo inhiantium; non tempero, quò minùs, mo-
nito Guidetti noſtri excitatus, celebrem locum illum ex Sene-
cæ Epiſtolis ad Lucilium eiſdem commemorem. "Non quærit
" æger medicum eloquentem, ſed ſanantem; ſed ſi ità competit,
" ut idem ille, qui ſanare poteſt comptè de his quæ facienda
"ſunt, diſſerat, boni conſulet: non tamen erit quare gratu-
letur,

„letur ſibi, quòd inciderit in medicum etiam diſertum; Hoc „enim tale eſt, quale ſi peritus gubernator etiam formoſus eſt. „Quid aures meas ſcalpis? quid oblectas? aliud agitur, urendus, ſecandus, abſtinendus ſum: Ad hæc adhibitus es: „Curare debes morbum veterem, gravem, publicum. Circa „verba occupatus es? jam dudum gaude, ſi ſufficis rebus. Quan„do multa diſces? quando quæ didiceris affiges tibi, ità ut „excidere non poſſint? Quando illa experieris? non enim, „ut cætera memoriæ tradidiſſe ſatis eſt: In opere tentanda „ſunt.„ Hucuſque Seneca; cujus conſilio Medicos quidem eloquentes laudamus, ſed ſimul & practicos, & ægris proficuos.

2. *Infirmitates omnes noſtræ naturæ infeſtas in duas primò claſſes, velut duo ſuprema genera dirimere placuit Medicorum Principi lib. de Affectionibus, his verbis:* Morbi omnes hominibus ex bile, & pituita oriuntur; *Nos tamen hucuſque latuit quomodò, quotve modis ab alterutro, vel utroque principio ſpeciales hominum ægritudines verè ſoboleſcant, & quibus debeant fugari remediis. Tibi reſervatum erat, Vir præſtantiſſime, tanti ponderis opus, qui ſingulari dexteritate, ſcientiâ, & labore rimatus es penitiora naturæ opificia, motus, paſſiones, extiſpiciis, ſpeculationibus, & longâ praxi. Tibi jure merito gratulari debet Anatomicorum cœtus, quòd immortali tuâ hepatis Hiſtoriâ, aliiſve tot operibus tantam Ruſpatoribus lucem ſis fœneratus. Majus eſt quod debet tibi tota Medentium Cohors ob elucidatam bilioſorum morborum Pathologiam; Sed & maximum illud, quod ad operis complementum, & publicum bonum propediem expectat à te Orbis totus, volumen ſcilicet eorumdem morborum Therapeuticum. Faxint, deprecor, Superi, ut ſeros videns annos, & queas alteram malorum iliadem, ſeu catarrhalem, pari ſorte enucleare, ejuſdemque tutiorem therapeiam publico juri tradere ad univerſam felicitatem.*

De ſupremis Cauſarum internarum in morbis hominum generibus ſecundùm ſententiam Hippocraticam.

Canones Practici.

Canon I. Principale morborum genus in homine à pituitoſo principio exordiri nemo jam ambiget, qui noverit totum animale machinamentum ex aqueo principio, præ aliis omnibus, non minùs confici, quàm conſervari perennè; Hoc inſuper principium non quidem ſimplex, ſed ſubſtantiis innumeris diverſi generis concreſcibilibus, ac cementoſis non minùs promiſcuè commixtum, quàm modis variis coagmentatum, infundi jugiter in humanum corpus; poſſe ideò hoc modis etiam innumeris à ſtatu naturali recedere.

II. Nec exilior à principio bilioſo ſcatebra morborum deducenda eſt, cùm in morbis internis omnibus, vel ut cauſa, vel ut effectus vitium biliare ità frequenter concurrat, ut adhuc Hippocrates magnam partem febres, morbos inde alios penè omnes à bile ſalutandos ſtatuerit.

III. Porrò, quemadmodum quidquid per liquida animalis oleoſum eſt, & ſimul concreſcibile, ſeu pingue, ut ait Hipp. quod certè in animali non modicum eſt, in biliare elementum faceſſit, aut faceſſet, aut poteſt faceſſere, ut fuſiùs in prima parte Hiſtoriæ noſtræ probavimus; ità & quidquid ad hunc ordinem eſt, alterari facillimè poteſt, quoties ultra ſtatum naturalem concreſcat, aut exareſcat, aut exaſperetur: ſolvi, autem, aut concreſcere, exareſcere, & exaſperari faciliùs poteſt, quodcumque ex actuoſis, iiſque diſſimilibus partibus in ſe protinùs luctantibus, variaſque in cohæſiones nitentibus, ut bilis, contexitur. Solvatur jam in ſanguine ultra ſtatum naturalem biliare recrementum: Illicò imminuta ejuſdem ſecretio, quæ naturalem in ſegregabilibus liquidis cohæſionem expoſtulat, ut alibi probavimus: Concreſcat, aut exareſcat, ut in hoc lento,

lento, torridoque humore frequentiùs occurrit, minùs etiam per incerniculum ſuum tranſcolabitur, cui nempè officio determinata naturalis liquiditas depoſcitur. Bilis ideò hoc aut illo modo, aut ſimul utriſque luxurians, & delinquens per ſanguinem, vel in eo ſuperſtes, & infenſa, vel ex eo in partes decidua, aut projecta, in illo, aut iſtis, aut utriſque, turbas varias, morboſque excitare potis eſt.

IV. Quælibet cauſa cujuſcumque morbi, interna ſit, aut externa, ſatis apta eſt aliquam, aut plurimas, aut omnes ex his biliaribus depravationibus producere. Eſto jam cauſa qualiſcumque recens manifeſta, ſeu procathartica, ſit inſolatio, ſit violentum exercitium, ſit animi paſſio, aut victus error, aut inedia, aut cutanea conſtipatio, aut alia quæcumque in ſubjectis diſpoſitis bilis inordinatio, è veſtigio revelatur, aut per ſpeciales viſcerum naturalium ardores, aut nauſeam, aut vomitum, aut biliare urinarum ſaturatius lixivium, aut bilioſas quomodocumque & ubivis efferveſcentias; præcipuè per oris amaritiem, declinantis valetudinis ordinario nunciam, aut pediſſequam; ut jam febres omnes, aut alii morbi quicumque, acuti, aut longi aliquod erratum bilis per excretiones aliquas, aut omnes, aut Cutaneas habitudines, aut alia per partes corporis ſtygmata communiùs redoleant, cedantque deinceps, aut multum allevientur, ſi bilis vitiata, vel ſincera, vel immixta naturaliter, aut etiam artificialiter, cum decenti concoctionis conditione è corpore expurgatur.

V. Si Hominum morboſè defunctorum extiſpicia conſulimus, bilem in receptaculis ſuis improbitate ſemper aliquâ plùs minùs percitam animadvertimus; modis enim aſſiduè variis differre bilem cyſticam, & Hepaticam hominis quocumque modo morboſè denati, à bile cyſtica aut hepatica hominis non morboſè demortui, ſeu decollati, ſtrangulati, aut aliter repentinè mactati conſtanter obſervavimus.

VI. Nec tantum facillimè ſuper alios humores bilis in Homine depravatur, ſed ſemel in morbis depravata, omnium etiam facillima in pejores adhuc depravationes feſtinat. Ita in principio

aut augmento plurimorum præcipuè ex bile ſolutiori morborum, ſi bilis delinquens opportunis præſidiis conſultò, citóque non premitur, morbi ſæviores alii ex eadem quidem Cauſa, ſed veluti nova, validiorique inſurgente, acto vitiorum circulo, non infrequenter erumpunt. Ità febri biliari intermittenti facilè ſubcontinua ſuccedit, & poſtmodum continua; ex leviori ejuſdem originis febre, acuta interdùm ſupervenit, aut etiam pernicioſa; ex colica biliari iliaca paſſio, aut Cholera morbus, ex eoque lypiria; ex diarrhea bilioſa ſimplici teneſmus, & dyſenteria; ex pleuritide biliari phrenitis acerrima, juxtà illud Hippocratis „Lateris dolor cum bilioſis ſputis temere, aut præter rationem evaneſcens ægros in vehementem, & „furioſam mentis emotionem agit.„ Imò proprio interdum receptaculo collectabilis præternaturaliter ſoluta, tam bene coerceri non poteſt, quin in attiguas partes accerrimè, ſæpe & exitialiter deſæviat. Mulier quadragenaria ann. 1704. jam diù icterica, improviſo decubuit cum extremorum omnium frigiditate marmoreâ, ſudore gelido, ſiti, vomitu nunc irrito, nunc pleno. Poſt horas 24. ab invaſione, in aſphixiam & jactationem graviſſimam concidens mente continuo valens, è vivis emigrabat. Aperto cadavere, omnia bene conſtituta. Sola cyſtis felleæ inſignis turgeſcentia ex bile porracea liquidiſſima, ex qua ad duodenum arctè incumbente, ac notabilem liquidi ſui copiam tranſudante, ad ejuſdem inteſtini ſuperficiem per tres tranſverſos digitos quaſi ex cauſtico applicito profunda eroſio proſerpſerat, hinc Lividitas Gangrenoſa, unde prædicta omnia ſymptomata, morſque ipſa.

VII. Bilis in homine, ut facile ex quacunque alia morborum cauſa, ità manifeſtiùs ex animi affectibus afficitur, ac immediatiùs in ametrias cietur. Familiares ex mentis pathematibus icteritiæ ſunt: ſolemne enim eſt, irâ, mærore, interdum & metu, aliiſque animi motibus os primò amareſcere, mordeti interdum ventriculum, aut dolere inteſtina, vomitus bilioſos explodi &c. occurrunt creberrimè biliares diarrheæ, aut teneſmi, colicæ bilioſæ, aut choleræ immaniores ex animi im-

petu

petu ſubitaneè progenitæ. Domina quædam ptialiſmum naturalem gerens, quacumque animi paſſione vehementiùs ſuſcepta, ſalivam ex limpida, & inſipida amaram, & flavam uberrimè expuit, non rarò biliosâ ſimul diarrhea corripitur cum oris intenſo amarore, abſque alio ulteriùs affectu: Quæ tamen, pacatâ mente, poſt diem unum, aut alterum ſponte etiam ſolvuntur.

VIII. Bilis vel depravatur in ſanguine, innatans adhuc cum ſanguine, vel in colatorio aut receptaculo ſuo, ſecreta jam integrè à ſanguine: utrobique indutâ in collectis invicem principiis ſuis ſpecificâ cohæſionis vi, diſſimili à cohæſione ſanguinea, vel non febrifera eſt, vel febrifera. Non febrilis, cum in ſpecificas ſuas cohæſionis vires tantummodo nititur, niſu ulteriùs alio, ſeu percuſſione in ſanguinem, non facto: ſic non integrè ſanguinis extranea; ut in icteris variis, aliiſque morbis bilioſis ſine febre, quo ſtatu vel in ſanguine, vel extra ſanguinem tranquille in ſeſe cohæret. Febrilis, cum niſus inſuper in Compoſitionem ſanguinis elaſticos, ſeù ut communiter dicitur, Phlogiſticos edit, induta hoc pacto hoſtilis principii, ſeù manifeſtè contra vim ſanguinis inſurgentis naturâ; ut in febribus omnibus, aut morbis febrilibus bilioſis. Hæc clariùs demonſtrantur noſtra de febre diſſertatione.

IX. Conſultò quidem bilioſas cum antiquis nominare *putredines* omittemus, ſed non cum modernis omittemus tot Cauſas morborum à biliaribus exorbitantiis auſpicari, quum nobis per aſſiduam praxim compertum eſt, in quolibet morbo vel univerſali, vel particulari, præcipuè cum febre conjuncto, ſi bilis concocta vel ſponte vel per remedia egeratur, morbi declinationem eluceſcere. Morbi igitur præcipuè febriles ex bile innumeri procreantur; bili igitur, præcipuè in febrilibus morbis remediorum adminiſtrationes comparandæ.

X. Cur ergo bilioſum morborum principium, tot ſæculis ad Praxim multò felicioribus abundè recognitum, imò à natura animali agente, & patiente tot modis manifeſtatum, deformare, negligere, aut ſub obſcurioribus aliis in animali

ſalium, ſulphurum, Capitum mortuorum &c. nominibus perperam indigitare? Adesdum: bilis id ipſum ſit, & bilem adhuc vocemus, quod bilis eſt, quod bilis fuit, quod bilis erit imposterum, & ut tale perpetuò noſcendum, quemadmodum tot ſæculis agnitum, totque magnorum hominum judiciis fuit.

XI. Enimverò, dum bilem inter morborum principia immediatè collocandam aggredior, adverſus ſalia, ſulphura, & ſi quæ ſint, alia Chimicorum notis obſignata elementa non illo animo inſurgo, ut eadem è re animali illiberaliter proſcribens videri poſſim. Volo quod iſta ſedeant, agantque in unoquoque vivente; volo inſuper quòd bilem ipſam componant, eique molem potiſſimam ſubminiſtrent, ut primâ, & alterâ hujus hiſtoriæ parte per inditam bilis analyſim enunciavi. Sed quando bilem in morborum ſyndrome memorare intendero, jam non diviſim in bilis ſulphura, non in ſalia, non in eorum complexus, aut proportiones, aut ſingulares agendi modos inquiram. (Nam cuinam hæc unquam revelata ſatis fuere, ſi quæ omnia ignis analyſta è corporum viſceribus eruit, deformata ſunt, & à ſtatu naturali divulſa?) Sed bilem veluti ex tota ſubſtantia operantem, & ex toto infeſtam memorabo; quæ ſcilicet ſulphura, ſalia, aliaque principia in complexu ſuo ſpectabili ſimúlque recondito non disjunctè ſed collectim agentia conglutinat, & ſecum ſub uno volumine importat.

XII. Guidettianam igitur ex Hippocrate ſententiam recolligo: *Morbos præcipuos hominibus ex bile, & pituita exoriri,* eamque vel ipſiſmet innovantium modernorum votis firmandam eſſe conjicio. Quippe cum apud Theoricos, & apud Praxeos optimates proclive ſit judicare cruoroſas propriè partes, quas globulos dicunt ſanguineos, ex ſeſe delinquere haudquaquam poſſe, niſi ab alio adjuncto principio aut vinciantur, aut ſtimulentur; quænam aderit humano corpori interna morbi conditio, ubi aut bilis, aut pituita immediatè non delinquant, quarum certè prima ſupra alia omnia principia ſanguinis moleculis ſtimulum injicere poteſt, altera vinculum?

XIII. Sed ut continuò ad Hippocratem redeamus, quisnam

nam tanto hoc homine nitidiùs, ac ſolidiùs in primis Cauſarum per morbos delinquentium generibus adducendis ſeſe expediviſſe gloriabitur? Bina duntaxat ejuſdem loca ex multis ſeligamus, quorum alterum *ex lib. de Morbis* decerpimus, alterum *ex lib. de affect.* Primum „ Morbi igitur omnes oriuntur partim „quidem ex iis, quæ in Corpore inſunt pituitâ, & bile, par- „tim verò ex his quæ extra obveniunt, laboribus, & vulne- „ribus, quin & calidô ſupra modum calefaciente, à frigido „ſupra modum refrigerante, ex ſicco plus æquo ſiccante, & „humido plus æquo humectante. Ac bilis quidem, & pitui- „ta unà oriuntur cum his, quæ in nobis naſcuntur, & in corpo- „re modò plus, modò minùs adſunt „ Alterum in rem noſtram quadrantius „ Bilis autem, & pituita morbos excitant „cùm in corpore ſupra modum vel reſiccantur, vel humectan- „tur, vel incaleſcunt, vel refrigerantur. Hæc verò bili, & „pituitæ contingunt ex cibis, & potibus, laboribus, vulneri- „bus, odoratu, auditu, viſu, rebus venereis, calore & „frigore. „

3. *Ut autem neceſſitudinis noſtræ legibus defuiſſe non videar, obſervationes nonnullas circa ægritudines bili imputandas, è ſchedulis meis collectas offero, illo cordis, animique candore, qui veros amicos decet, ut ſumus nos ab ipſis medicinæ noſtræ primordiis. Doctiſſimo Medico, feliciſſimo Practico, & ornatiſſimo Viro, qualis es, mi Bianchi Cariſſime, vulgaria nimis erunt, & levidenſia quæ ſcribam; Sed vel meliora non dedit exercitii mei conditio, vel cultiora non novit ingenij mei imbecillitas. Cumque novarum rerum auctor eſſe non poſſim, novam expeto ab edendis lucubrationibus tuis cynoſuram, quâ poſſim citiùs, & tutiùs ægrotos meos in ſalutis portum deducere. Inter præjudicia, quæ ob bilis culpam humano corpori contingere me docuit experientia per annorum ſeriem (omiſſis ijs, quæ ab evidente ejuſdem humoris exundatione per ſigna manifeſta pateſiunt in quibuſdam peculiaribus morbis) graviſſimi momenti ſunt, quæ febricitantes, æſtivo præſertim, & autumnali tempore ſubdolâ Tertianarum intermittentium, vel remittentium facie corripere conſueſcunt, & in progreſſu perniciosè furentes, lethales*

eventus,

eventus, vel ſaltem contumaces afferre. Et quamvis per dicta tempora anomalæ ſæpiùs exurgant ægritudines, pro variâ anni, & tempeſtatum ſucceſſivâ conſtitutione; ità & pro variâ regionum, & victus conditione; quædam tamen Cælo noſtro reſpondens febrium indoles biliosa, & tertianaria pertinax, vel acuta, ſecundùm magis, & minùs quotannis, dictiſque temporibus, veluti anniverſariâ recurrendi conſuetudine, excitari perhibetur, quæ, ſi medentes incautos offendat, amiſſo Tertianæ nomine, malignarum perſonam induere aſſolet, earumque ferocitatem ſimulare.

De Febribus Bilioſis, ſtationariis, acutis, & pernicioſis, vulgò etiam malignis nuncupatis.

Canones Practici.

CANON I.

ÆState, ſicciori præſertim, ac fervidâ, cùm maximè nec imbribus, nec ventorum flatibus ſquallori ſolatium, aut interſpiratio interponitur; ſiccoque etiam, & auſtrali ſuccedente autumno, bilioſæ perverſitates, orgaſmi, & irruptiones medentium operam fatigant. Inter has coctæ, aut ſolutæ, aſperiorisque bilis, aſperiùſque ideò in ſanguinem vibrantis turgentias, introductâ in liquidis præcipuè fervidiorum hominum turbâ ingenti febrili, periodicâ, ſubcontinuâ, aut continuâ, pectoris indè, aut Capitis, aut aliarum partium irritativæ, aut etiam ſyſtrophicæ invaſiones obveniunt; Viſcerum præcipuè naturalium ęſtus, tenſiones, criſpaturæ, aut tumefactiones, aut etiam pulſationes; & ex Ametriâ per eaſdem partes evidenter bilioſa nauſeę, ſitis, Cardialgię, ariditates, proſtrationes, jactationes; mentis ulteriùs interdum concuſſiones, & tanquam delirę confuſiones imaginum. Cutaneæ quandoque maculatę, papuloſæ, exanthematicę, aut aliter puncticulares eruptiones. Tunc ſubitum in ore medicantium reſonat nomen

nomen exquiſitioris malignæ, ſuoſque facile plaudentes habet: Quod tamen ut facilè acceptatur, ità & faciliùs deponitur, cum nempè ſtrepitus univerſus morbi, etiam ante ſtadia coctionum (ſine quibus febres verè malignæ non judicantur) & ſine conſueto malignarum ambitu ſedatur ſuaviter, ægris quaſi repentinè convaleſcentibus; ac ſymptomatibus, vel à mediocri Catharſi, vel à ſudore ante ſeptimam leviuſculo, præcipuè à modica, in morbi etiam augmento ingeſti peruviani corticis copiâ, non difficile pacatis citò, tutò, & jucundè ſolutus perſpicitur.

II. Summa itaque Clinicorum eſt, diſtinguere febres illas, quæ verè malignam naturam ſortiuntur, à fomite nempè illo anomalo (dicant jam deleterium, dicant necroticum, aut aliud ſimile; id omne eſt ſemper adhuc anomalum) quod mole minimum eſt, nec imò ſenſile, activitate antem maximum, quod modis variis ſanguinis craſim profundiùs evertit, quod quacumque cujuſcumque humoris in homine pervicaciâ ſemper adhuc pervicacius eſt, febres, inquam, illas acutas diſtinguere, quæ omnibus promiſcuè tempeſtatibus improviſo, & intercurrenter invadunt, nec facilè debellantur à remediis; motum, quantitatem, aut qualitatem humoralem directè reſpicientibus; nec tandem difficulter communicantur; diſtinguere inquam ab illis acutis febribus, quæ ſtationariè accedunt, quæque ab evidenti aliqua alicujus humoris aut plurium in motu, copia, qualitate, aut in omnibus ſimul delinquentia ortum ducunr; quas inſuper delinquentias per varias tempeſtatum intemperantias, aut improbum rerum non naturalium regimen, aut aliam quamcumque manifeſtam cauſam excitari non obſcurè depræhendimus; quæ ideò febres non ſubdole invadunt, *veluti canis mordens, & non latrans*, ut proprium malignæ ſignaculum eſt, ſed potiùs in clamoſa confeſtim erumpunt ſymptomata, quæ ideò in ipſo etiam principio, cum minis & ſtrepitu graſſantur; ut facili nimis malignarum vocabulo, eò ſolùm exceptas animadvertamus, quòd ſæviùs primis aleis videantur obſtrepere, & debacchari: Quæ tandem à ſubjectis in ſubjecta contagioſè non

communicantur. Hoc modo propriè malignæ à bilioſis pernicioſis jam facilè diſtinguentur.

III. Alia inſuper præter expoſita, bilioſam acutam à maligna concomitantia diſcriminant; Decubitus, pulſus, facies, calor, ſitis, ariditas, excreta &c. Præter exteriora quædam quam plurima, & fortuita; in quorum cenſu eſt, frequentiùs bilioſam febrim in juvenibus eſſe, in maturioribus rariùs, ſed omnes malignam febrim promiſcuè adoriri. Habitum in prima ad flaveſcentem inclinare, in altera ad lividum, aut luridum. Decubitus in bilioſa febre levior, ſed cum vehementi jactatione, & loci impatientia: in maligna gravior, ſed minor jactatio, ſeu major motuum arbitrariorum reſolutio. Pulſus ſemper celer, amplus, vel vibroſus, & plenus in prima, vix in acceſſionis principio ſenſibiliter immerſus, ordinario non inæqualis, non intermittens; in altera è converſo. Facies in bilioſè febrientibus vivax; in malignè, collapſa. Calor febrilis, ſitis, ariditas, in primis vehementiora, in alteris ordinario minora, interdum nulla. Quoad excreta, in illis urinæ extra acceſſionis principium, & ſæpè in ſubjectis fervidioribus etiam in acceſſionum principiis ſemper rubeſcentes, aut flammeæ, ordinario lateritiæ, ſaturatæ inſuper, & turbidæ, ſed non confuſæ, cum leviori, ac rubeſcenti encoremate: in his aut pallidæ, tenues, aqueæ, & ſimiles, aut quales ſanorum, aut quales jumentorum. Aliiſque inſuper, ſecundùm varias ſubjectorum, ac tempeſtatum conſtitutiones, circumſtantiis differunt inter ſeſe magnopere malignæ & acutæ biliares; quæ ultimæ, ſecus ac primæ facilè, ut ſupra frequenter ante ſtatutos dies maturitatis morbi, non ſine adſtantium ſtupore, judicantur. Nam, ut alias dictum eſt, Rapida, & aperta in continuis verè bilioſis febribus acuties facili difflationi viam ſternit, communiter ante ſeptimam, niſi ſenes, aut prævïè valetudinarios adoriatur.

IV. Nec ideò eadem eſt Curatio febris exquiſitè malignæ, & acutæ biliaris. Primæ extimulantibus proſpicitur, auram veneficam ab arcto liquorum animalium complexu excutientibus; emeticis; veſicatoriis, purgantibus in principio fortioribus, ſi

cacho-

cachochimia, quæcumque ſit, primas vias obſideat, tum præ primis in fine ſtatus, concoctione approperante, aut jam factâ: revulſoriis inſuper; & præcipuè diaphoreticis, & ſubtiliantibus, in augmento, eiſque actuoſis remediis, quæ cardiaca, & alexiteria nuncupantur. Acutæ autem biliares pacantibus, largis diluentibus, ac epiceraſticis ſimpliciter excipiendæ, miſſio quidem cruoris, aut larga catharſis mediocris in principio adhibendæ: Prima ſi contumaces vigiliæ ſint, dolor capitis conſtans, pulſus durus, ardor perpetuus, aut decubitus imminens, aut ea ſimul, aut aliqua, præcipuè in juvene, & robuſto: Altera, ſi iſta deſint, præcipuè ſi ventris tenſio percipitur, ſi nauſea, ſi vomitus, ſi diarrhæa &c. Quod ſi principio intermittentes fuerint, aut Typum diſtinctè adhuc tertianarium conſervent cum aliquali in periodorum ingreſſu perfrigeratione, ad uſum febrifugi celeriter, etiam ante ſeptimam, confugiendum. Sic bile furente ante concoctionis certamen conſtrictâ, & compreſſâ, ulteriores ejuſdem turgeſcentiæ & in viſcera eruptiones facilè præcaventur. De uſu Peruviani corticis in tertianis hujuſmodi pernicioſis conſulatur Nobiliſſimi, & Amiciſſimi Torti Therapeutica ſpecialis, quæ in his febribus pertractandis palmam omnem cordatioribus hucuſque præripit.

V. Verum tamen eſt, ex acutis bilioſis febribus alias eſſe continentes, alias eſſentialiter continuas ſed periodicas, alias ſolùm ſubcontinuas. Continentes bilioſę ardentes ſunt, ſeu ſynochales intenſę aut Cauſones, ſtadia breviſſima percurrentes, ita Hippocrates *lib. de vict. rat. in acut.: Cauſus id eſt febris ardens fit, cum venulæ tempore æſtivo exiccatæ acres, & bilioſos ichoras ad ſe traxerint.* Has febres apprimè delet pura & frigida copioſiſſimè epota, pręcipuè in juvenibus, & ſtomacho robuſto pręditis. Continuę periodicę vel ſolitarię ſunt, in quarum curatione remediis, ut ſuprà, incedendum eſt; vel complicatę per phlogoſin, aut per non phlogoſin cum peculiaribus partium affectibus, ut quę cum hepatitide, ictero, aut affectu pulmonum inflammatorio bilioſo, vel eſſentialiter, vel etiam ſymptomaticè efferveſcunt. Rurſus in aliquibus hiſce febribus

Ff 2 ulterio-

ulteriores inſuper complicationes aggeruntur; nam ſępiùs in his febribus, ictero, opilationi Hepatis, aut etiam Hepatitidi copulatis, affectus pectoris, aut Capitis ſyſtrophici, aut ſimpliciter irritativi per anadromem, aut epigeneſim ſuperducuntur. Has etiam febres, ut ſupra, poſt debitas Catharſes, ſanguinis miſſiones, & revulſiones, ante ſingulares decubitus debito febrifugo citò oppugnandas admonemus. Catharſeos, & miſſionis ſanguinis occaſiones in febribus bilioſis, hepatis, aut pulmonis affectui phlogiſtico, aut non phlogiſtico complicatis, inferiùs attingemus cum de pleuritide bilioſa, hepatitide, ictero &c. Indicationem *Plebotomiæ* in continuis ſolitariis bilioſis non ſolę ſymptomatum habitudines, aut decubituum diſpoſitiones intendunt, aut moderant, ſed varia inſuper exteriora. Quę inter, pręter omnia quę ab ętate, ſexu, & anni tempore peti poſſunt, à climate, regione, ventorum dominatu, & victus regimine potiora diſponuntur. Ita non ſolùm qui ad plagas auſtrales degunt; ſed qui ventis auſtralibus dumtaxat ſubjiciuntur, ſanguinis miſſionem, difficulter tolerant, quandoque lethalem experiuntur: Qui borealibus difflantur, ut plurimùm faciliùs tolerant; Qui occidentalibus facillimè perferunt. Luſitani faciliùs Hiſpanis; Hiſpani Gallis; Galli Italis, & inter Italos Inſubres faciliùs Romanis, hi Neapolitanis, Calabris, & Siculis, liberalem Phlebotomiam patiuntur. Quod ſi regionibus, aut ventis occidentalibus ſubditi, ſimul etiam victu perfruantur euchymo, & vino pręcipuè abundanti, aut generoſiori potionentur, frequentioribus venę aperturis recreari ſolent; non item qui cereviſia, aut liquore alio non bene vinoſo, multò minùs qui aqua pro potu ordinariò utuntur. Subcontinuę tandem acutæ bilioſæ ſimplices ſervant adhuc naturam intermittentium tertianarum, quarum genus è Limine, principio ſcilicet intermittentes, implevere, indutâ poſtea per accidens continuitate, & ſimul vehementiâ ſymptomatum; diſtinctis tamen circuituum remiſſionibus, ac exacerbationibus conſtanter adhuc ſtipantur: quæ ideò ſi proſperè judicentur, ante judicationem in priſtinas, aut priſtinis analogas intermittentiæ periodos, ut plurimùm, reſtituuntur.

Ob

Ob hanc rationem hujuſmodi naturæ febres tertianæ pernicioſæ etiam nuncupantur, cum graviora ſecum ducunt ſymptomata, veluti à typo tertianario non recedentes, vel eumdem ex ſeſe repetentes, ſi fortè receſſerint. Hæ ſi fortiter deſæviant, præcipuè in ſubjectis ſenilibus, attritis, aut delicatulis cum virium everſione, aut languore notabili, ſtatim à principio peruviano cortice comprimantur; Cui certè auxilio facillimè cedunt. Exempla aliquot ex hiſce bilioſis acutis febribus ſubcontinuis, ſeu pernicioſis tertianis ocyſſimè peruviano Cortice debellatis, tum varia in hoc morborum genere, hujuſque remedii adminiſtratione obſervanda, inferiùs conferemus, cum de Epidemiis bilioſis ann. elapſor. 1718. & 1719. & ſignatim in Tractatu eiſdem appenſo *de uſu hujus Corticis*, *ſeu chinæ-chinæ in his febribus.*

VI. Hanc febrium bilioſarum ſpeciem, ſeu ſubcontinuas ſimplices fortaſſe reſpicit textus ille Hippocraticus *ex lib.* 1. *morb. vulgar.* „Quæ diebus imparibus invaſiones habent, ea die„bus paribus decernuntur. Quorum verò acceſſiones imparibus „diebus fiunt, ea in paribus judicantur.„ Et ille alius *lib.* 2. „*de eiſdem morb. vulgar.* Febres, quæ uno die intermiſſionem, „altero verò perfrictionem habent, judicium ad ſeptimum cir„cuitum ſuſtentant.„ Jam in primo textu loquitur Hipp. de febre continua periodica, in alio autem de febre priùs intermittente, & poſtmodum continuâ videtur differere: ut ideò in utriſque ſubcontinuæ conditionem haberi conjicere poſſimus. Reverà, quas febres ſubcontinuas biliares ſimplices ſibi ipſis in ſubjectis variis interdum relinquimus, nec febrifugis ante integrum earum circuitum abrumpere nitimur, haſce juxta memorata divini ſenis oracula judicari deprehendimus.

VII. Indolem harum febrium ex bile, fortuito continuarum ſeu ſubcontinuarum, quæ ideò intermittentium naturam adhuc redolent, plus eſſe tumultuariam, quam malignam annuere videtur idem Hippocrates *in Coac. prænot. & aphor.* „Febris, ſi „quibus aliquando intermiſerit, periculum abeſſe ſignificat.„ adeò ut quotiescumque divinus ſenex etiam in *Coacis effatur.*

 „Febres

„ Febres, quæ proximè ad tertianarum naturam accedunt cum „ incontinenti Corporis jactatione malignas eſſe „ non legitimam malignitatem intelligendam reor, qualis eſt in febribus miaſmaticis, & deleteriis ſuperiùs allegatis, ſed ſolam ſymptomatum pervicaciam, & ferociam. Quot etenim per æſtates, aut alia tempora pervagantur tertianæ, ſimplices, aut duplices, legitimæ, aut ſpuriæ, quin imò & ſubcontinuæ, quæ ſummas in paroxiſmis jactationes ducendo, ne hilum quidem diſcedunt à febrium benignarum natura?

VIII. Quod ſpectat ad bilioſas febres continuas cum affectu particulari præcipuè pulmonico, complicatas; verum quidem eſt Hippocratem *in prædict. & Coacis* enunciare. „ Febres in „ præcordiorum doloribus obortas malignas eſſe, ſed altum nimis ſermonem, veluti genericum, omnes indiſcriminatim præcordiorum ac hypochondriorum dolores immiſcentem, intelligendum reputo, vel in ſolis præcordiorum affectibus ex vitio ſyderati ſanguinis, non autem bilis; vel etiam in allata ſuperiùs ſignificatione quo ad meram ſymptomatum feritatem: Præcipuè quod idem Hipp. eidem loco ſuperaddat „ Febres, „ quæ ſoporem, & laſſitudinem inducunt, aut in quibus caligant ægri, inſomniis, ac tenuibus ſudoribus vexantur, malignæ ſunt „ His namque malignis ſignaculis ordinario carent febres bilioſæ, ictericæ, aut non ictericæ, quæ hepatitidem, aut pleuritidem faciunt, aut comitantur, aut conſequuntur: quod meliùs eluceſcet inferiùs, cum de bilioſis horum affectuum generibus.

IX. Cæterùm, bilem, ſuprà alios animalis ſuccos, etiam in propriè malignis febribus, ſaltem ſymptomaticè, depravari, præter viros alios cujuſcumque ætatis conſultiſſimos, teſtis mihi noviſſimus eſt Præſul B. M. Lanciſius in aureo ejus opere *de noxiis Paludum effluviis*, ubi febres malignas legitimas ex venefico ab aquis paluſtribus variè vitiatis afflatu, ac miaſmate excitatas egregiè deſcribit per epidemias Romanas, Urbevetanam, Balneoregienſem, Piſaurenſem, & Ferentinenſem. Obſervabat Vir Cl. in cadaveribus denatorum ab his febribus, quas ut

ut ab extraneo forinſecùs inducto, tertianas pernicioſas nuncupatur, *hepar potiſſimùm ſubfuſci, ac bilem cyſticam atri coloris paſſim occurrentia.* Simili pariter animadverſioni noſtra in variè malignis febribus extiſpicia collimant, quibus bilem cyſticam non tantùm atratam, ſed ulteriùs inſtar picis interdum concretam, non raro fœtidiſſimam, milleque aliis modis delinquentem deprehendimus. In hominibus, imò in beſtiis omnibus, quas culter anatomicus perluſtravit, veneno quocumque narcotico, aut cauſtico lentè aut ocyſſimè ſublatis, bilis illicò in locis ſuis omnibus notabiliter depravatam ſe præbet. Similes quo ad bilem in promptuariis ſuis deterrimam recognitam, in hominibus, aut brutis veneno propriè peſtilentiali, etiam ſubitaneè, ſublatis obſervationes tùm noſtris inſpectionibus, tum aliis penès authores creberrimis debemus. Sed avertat à nobis ſalutis author Deus opt. max. quæ ſua eſt in humanum genus interminabilis commiſeratio, minitantem his diebus jam propè veneficam epidemicam labem; ne in hoc obſervationum genere nimio certè infortuniô inſtructiores ſimus. Hæc interim abundè valeant firmandis ſuperioribus aſſertis de bilis vitio immediato, aut eſſentiali, aut ſymptomatico in pene iis omnibus animalis morbis, qui vitiis fluidorum imputantur.

4. *Pleuritides inſuper, & peripeumonias peracutas, nedum autumno, aut ineunte hyeme, ſed etiam verno, & æſtivis temporibus ab hujuſmodi biliari fluido exorbitante partas inſpexi, quæ nullo ex conſuetis evictæ præſidiis funera cumulabant, niſi variatâ prorſus medendi methodo nova forent aptata remedia, bilioſis paſſim irruptionibus obſiſtentia, ut in obſervationibus infrà recenſendis exponam.*

DE VARIO PLEURITIDIS GENERE, Et ſignatim de biliosâ Pleuritide.

TRACTATUS.

Pleuritis in genere quotuplex ſit.

§. I. PLeuritis in genere ſeptifariam eſt. Prima Pleuritis verè Phlogiſtica, ſeu inflammatoria, & ducitur immediatè à ſanguine. 2ª. Catharralis, à pituita, ſeù cum modernis à lympha: 3ª. mixtè, ſeù lymphatico-ſanguinea: 4ª. ſpaſmodica, ſeù Criſpativa, immediatè ex ſolido pulmonali: 5ª. ſtomachalis, aut inteſtinalis, & ut communiter dicitur, verminoſa: 6ª. Hepatica, ſeu typhodes cachochima, ſymptomatica: 7ª. tandem bilioſa, ſeu typhodes eſſentialis. Singulæ ſpecies per ſigna ſua ſpecialia internoſci poſſunt, & diligenter diſtingui, Noſtræ quæ ſtatim ſuccedent, in ſignis harum omnium pleuritidum imò & in curationibus nonnihil peragrandis digreſſiones longiuſculæ eo inſtitutæ ſunt, ut ex omnibus pleuritidum generibus juxta ſe poſitis bilioſæ ſuſceptum genus exquiſitius elucescat.

Signa Pleuritidis inflammatoriæ legitimæ.

§. II. Pleuritis inflammatoria legitima comitem ducit febrim exquiſitè acutam, continentem, vix ſaltem ſenſibiliter periodicam; pulſum notabiliter vibroſum, & ſtabiliter durum; dolorem lateris punctim laceſſentem, perpetuum, & immutabilem, ad anteriora, poſteriora, aut lateralia Thoracis, precipue verſus jugulum, humerum aut ſcapulam, ſaltem immediate ad mammam, & ut ait Hipp. *Cum gravitate conſiſtente ad brachium*; magnam inſuper reſpirandi anguſtiam; genæ unius, quæ parti affectæ reſpondet aut ambarum ſaturatum ruborem; rubeſcentes, ac ſcintillantes oculos; ſanguinis tenuis, & floridi, nunc ſinceri, nunc ſero, aut mucis quandoque immixti aſſiduam cum tuſſi

violenta

violenta expuitionem, jactationem, vigiliam, linguam rubram, aſperam & rigidam, interdum & nigram, cui tamen vix ſitis adjungitur. Pleuritis hujuſmodi nullâ quidem ordinario prævia fluxione, aut alio pulmonis affectu, ſed aliquâ ſolum in rebus non naturalibus præmiſſâ delinquentiâ procatharticâ notabili, nunc cum rigore aliquo inter exordia plus minus moleſto, interdum nullo, juvenes præcipue & plethoricos adoritur, extractus cruor cruſtâ quidem gelatinoſa ut plurimum contegitur, ſub ea tamen rutilus, compactus, & firmus. Dolor, febris, ſpirandi anguſtia, tuſſis, ſputum cruentum, principio ſimul omnia invadunt. Verno præcipue tempore hujuſmodi pleuritides excitantur.

Signa Pleuritidis Lymphaticæ

§. III. Pleuritis Lymphatica, ſeu Catharralis multò lentius inchoat, ordinario cum multo rigore: Dolor, aut tuſſis, aut utrumque præcedunt febrem: Hinc omnia paulatim augeſcunt. Interdum dolor ante ſeptimam videtur diſparere: ſed mox recrudeſcit: Progreſſu interdum vagus, interdum vix ſenſilis; Minoris cæterùm, quàm in legitimè phlogiſtica, momenti ſunt doloris acuties, & reſpirandi difficultas: pallidæ expuitiones, vel à principio craſſiuſculæ, nunc cum aliquo ſanguine minùs coccineo, grumefacto, aut fibroſo, nunc prorsùs ſine ſanguine: extractus ſanguis denſâ, albidâque gelatinâ coopertus, interiùs luridus, ſolutus, & flacidus. Pulſus mollior: genæ lingua, & urina pallentes: concidentes oculi, & facies; febris mediocris, diſtinctè periodica; non raro quotidie ad veſperas cum aliqua horripilatione ſe exacerbans, manè cum ſudore leviuſculo, aut etiam ſine ſudore remittens; decubitus gravis; frigidos, humidos, anheloſos, tuſſiculoſos, ſedentarios, hyeme præſertim adoriens; ultra exquiſitam diuturnior, utpotè rariſſimè ante decimam ſeptimam deſinens.

Signa Pleuritidis Mixtæ , ſeu lymphatico-ſanguineæ.

§. IV. Mixta pleuritis, ſeù Lymphatico-ſanguinea, mediam inter utraſque ſignorum ſyndromem ducit: Mixtæ ex pituitoſo, & ſanguineo conſtanter anacatharſes : febris interim ut plurimùm exquiſitæ phlogiſticæ acutiem ſimulat, licet cum pulſus remiſſiori duritie facilè per ſudores judicatur; hinc versùs quartam leves ordinariò ſudatiunculæ , versùs ſeptimam , & ulteriùs uberiores, utilioreſque. Pleuritidis ſpecies hujuſmodi in borealibus plagis ſuper alias omnes communior eſt.

Signa Pleuritidis Convulſivæ.

§. V. Convulſiva Pleuritis, principio violentiſſima eſt , ſed celeriter , & ut plurimum ante quartam, aut circa quartam ſedatur, febre potiſſimùm adventante, aut ingraveſcente. Equidem in hac pleuritide dolor febrim per diem unum , aut alterum ordinariò antecedit, dolorique ingraveſcenti accedens, aut ingraveſcens febris remedio eſt, ut in aliis etiam convulſionibus, Hipocratis, & praxeos teſtimonia ſat perhibent. In hoc interim morbo ut dolor acutiſſimus affligit ita & anguſtiſſima, ac inæqualis reſpiratio , cum tuſſi, aut non ita frequenti, aut ſemper ſicca, & inani , tum ob doloris vehementiam difficillimâ. Febris quæ accedit ſat valida eſt; pulſus tamen non adeò durus eſt ut pulſui Phlogiſticæ pleuritidis ſimiletur, annuit hujuſmodi Pleuritidem Hipp. 3. de morbis : *ſunt , & ſiccæ pleuritides ſine ſputo, quæ difficiles ſunt; judicationes ſimiles aliis ſunt, ſed ampliore in potu humectatione indigent, quàm aliæ. Bilioſæ verò & ſanguineæ nonâ & undecimâ die judicantur.*

Pleuritides ex primis viis manifeſtè ſymptomaticæ; earumque ſigna aliquot.

§. VI. Pleuritis ſtomachalis , ſeu communiter verminoſa pueros

pueros præcipuè infeſtat cum ventris rugitu, & tenſione, halitu acido, & graveolente, ventris fluore, & dolore punctorio: dolor hujuſmodi ſiniſtram, ut plurimùm, pectoris regionem occupat; propagatur indè aut ad correſpondens hypochondrium, aut etiam ad epigaſtrium. Ex copioſa excretione per ſedem, aut vomitum, præcipuè per verminoſas dejectiones feliciter, citoque judicatur. Intereà tuſſi, ſputo ſanguineo, dolore ad mammam, ſpirandi difficultate, febre interdùm, & pulſu pleuritides alias ſyſtrophicas acutiores æmulatur. Huic pleureſi accenſendæ ſunt pleuritides flatuoſæ, & hypochondriacæ, quæ à Ballonio, Baglivo, aliiſque memorantur. In his ex viſceribus inferioribus ad mammas, ſternum, & Thoracis latera dolores aſcendunt, ob membranarum ventris, diaphragmatis, Thoracis, præcordiorum, pulmonumque conſenſum, & complicationem. Sed ſpuriæ hujuſmodi pleureſes, non minùs ac ſtomachalis prædicta, pulmones non intimè invadunt, ſymptomaticè, veluti elonginquo laceſſunt: Ita flatuoſa, præcipuè & hypochondriaca partes ſolùm ſpiritales externas, & coſtas vix nothas communiùs occupant, cum doloris propagatione ad epigaſtrium, & ad hypochondria, ſeu, ut Hypocraticam vocem adhibeam, ad præcordia. Hæc remedio aliquo diſcutiente, aut anodino, ut ſpiritu aniſi, chochlear. cherefol. diaſcord. req. Nic. Bezoart. vegetalibus facilè diſcutiuntur: ſed de his ſymptomaticis, ſpuriiſque pleuritidum claſſibus, peculiarem ſuo loco tractatum conficiemus.

Signa Pleuritidis Hepaticæ, ſeu Hepatitidis Pleuriticæ.

§. VII. Pleuritis hepatica, ſeu hepatitis pleuritica, ſyſtrophicum pariter pulmonis affectum ſimilat, imò & frequentiùs ipſammet pleuritidem inflammatoriam exquiſitam, ſuperius connotatam. Febris acuta conſectatur cum pulſu etiam duriuſculo: difficilis reſpiratio; cruentæ cum tuſſi expuitiones; dolor ad dexteram Thoracis partem profundè torquens, malæ dextræ, multùm ſupra ſiniſtram, intenſus rubor. Interea tinctura quæ-

dam icterica, aut ſubicterica per cutim, oculos, linguam, & excreta omnia, præcipuè per lotium ſuffunditur; per os, & fauces intenſa, & aſſidua amarities cum ſiti, & ariditate; bilis in ſputo conſtans, peraſſata, commixta cum ſanguine, dolor ad coſtas ſpurias deſcendit, & obtusè ad dextrum hypochondrium affigitur; ibi inſuper, vel ad tactum leviorem moleſtiſſima ſenſatio; ibi tenſio, tumor, renitentia, & durities totam hepatis molem circumſcribens; ibi calor intenſior, ibi tandem aſſiduæ jactationis, ſitis, ardoris, ariditatis, totiuſque morbi principium. Cur jecoris phlogoſi paſſio hæc pulmonis ſuccedat declarare inferiùs conabimur.

Signa Pleuritidis propriè bilioſæ.

§. VIII. Venio tandem ad ſeptimum illud genus Pleuritidis, quod noſtri inſtituti Caput eſt, pleuritidis ſcilicet verè bilioſæ, non jam ex prævio hepatis affectu ſympaticæ, aut ſymptomaticæ ut ſuperior eſt, ſed ex immediata bilis à ſanguine in pulmones irruptione, idiopaticæ, & eſſentialis. Hæc igitur bilioſa pleuritis, quam poſt Hippocratem, à nemine, quod ſciam, ſatis conſideratam deprænendo, principio, imò & progreſſu ſuo commmuniter Phlogiſticam pulmonis legitimam pleuritidem febri, pulſu, dolore, tuſſi, ſputo ſanguineo, ac ſpirandi difficultate mentitur; quod pariter de ſuperiori pleuritide, ſeu hepatica dicebamus: Ipſam interea quædam ſpeciatim comitantur, quæ ab alia quacumque pleuritide diſtinguunt; oris amaror aſſiduus, cum nauſea pariter perpetua; frequenter & vomitu bilioſorum, & viſcidorum; dolores ventris præcipuè ad epigaſtrium, non rarò cum diarrhea; imò & interdum teneſmo; ſitis inprimis quaſi inextinguibilis, atque à potu ordinariè recrudeſcens; Et lingua flaveſcens lentore incruſtata, ſeu ut exponit *Duretus*, lingua bile ſuffuſa; mollis adhuc tamen non aſpera, non ſicca, non hiulca. Nulla cæterum ſitis eſt ordinariò, aut linguæ ſordities, cujuſmodi in aliis pleuritidum generibus adeſt, ſi pleuriticam hepatitidem excipias. Febris adeſt diſtinctè periodica, typum inſuper tertianarium commu-

communiter ſervans, ſeu cum majori diebus imparibus ingraveſcentia, ut ideò conjiciam, Galenum de febre bilioſæ pleuritidis fuiſſe locutum, cum dixerit in comm. ad aphor. 12. lib. 1. Pleuritidis acceſſiones magnam partem exiſtere tertianæ. Jungitur febri calor acerrimus, qui alii cuicumque pleuritidi communis adeò non eſt. Contumaces vigiliæ, interdum & ſubdeliria, pariter copulantur. Pulſus in morbi progreſſu ſenſim à duritie remittit, præcipuè poſt catharſim. Pleuritis bilioſa dolorem ſuum frequentiùs affigit parti dextræ, cum Hepate correſpondenti; ab hepatica tamen pleuritide manifeſtè diſtinguitur; quòd nulla durities, nullus tumor, dolor, tenſio, aut calor intenſior, ad dextrum hypochondrium occurrant; quæ prævium aut ſocium hepatis affectum exhibeant, ut in hepatica pleuritide accedit. Sed & interdum bilioſæ pleuritidis dolor eſt ſub mamma ſiniſtra, etiam uſque ad jugulum ejuſdem lateris exporrectus, abſque invaſione partis dextræ, ut non ità pridem in muliere ad Portam Padi decumbente videre fuit. In hac pleuritide ſputa cum ſanguine bilioſa ſunt, ſeù non ſolum intenſè, etiam à Principio, flaveſcentia, ſed etiam ut plurimum amara. Galenus ex ſputo totus eſt in genere peculiari pleuritidis judicando. Ita *de conſtit. art. Iſag. Cap.* 15. effatur: *Quod ſputo rejicitur neceſſe eſt aliquo ſemper eſſe infectum colore; attamen non ſemper eodem: Quippe quum nec excrementum in inflammata parte concluſum ſemper ejuſdem ſit naturæ. Etenim cum ſanguinolentum fuerit, aut bilioſum, cujuſmodi ferè ſemper ea fluxio eſt, quæ pleuriticis plegmones fomentum præſtat, à ſucco detento in inflammata particula ſputum colore inficitur; rubro quidem ſi ſanguineum id fuerit, quod in membranam influit, flavo autem ſi bilioſum.* & *de loc. affect. lib.* 2. *cap.* 9. aſſerit: *In pleuritide ſæpenumero magis bilioſum, in peripneumonia verò magis pituitoſum ſputum ſequi conſuevit*: & inſuper *Comment.* 6. *Aphor.* 33. ex ſolo flaveſcenti ſputo bilioſam pleuritidem auſpicatur: *Dictum autem à nobis eſt, ubi de morbo laterali ſermonem habuimus, quod lateralium morborum hic quidem, qui unà cum pallidis, & flavis fit ſputis ex bilioſis humoribus ortum habet*: Nos autem ad ſignum

bilioſæ pleuritidis pathognomonicum inſtituendum alia ulteriùs præter flaveſcens ſputum, bilis primariò delinquentis indicia, aut memorata, aut memoranda depoſcimus. Sputi namque flavedo interdum ex ſola catharri pulmonici maturatione, quandoque ex inflammati viſceris calore, ſeu veluti peraſſatione ortum ducit. Venter in hac pleuritide progreſſu morbi intumeſcit, niſi citiùs bilioſa diarrhæa ſuperveniat. Tandem cum malè judicatur morbus, ſputo ſupreſſo, & diarrhæa ſuppetias non veniente, Pleuriticus poſt diuturnas vigilias in delirium faceſcit. Sequentia hæc ad diagnoſim bilioſæ pleuritidis affert Graviſſimus Foëſius ex indefeſſa Hippocratis interpretatione: *Cum verò in Thoracem bilis fluxionem commoverit, hinc conſpicuum fiet: Dolor lateris mollitudinem occupat, & ad jugulum ejuſdem Partis pertingit; febris adeſt, & lingua ſuperiori parte ex viridi palleſcit, & condenſata excreantur. Huic morbo periculum ſeptimo aut nono creatur.* Extractus ſanguis in bilioſa pleuritide gelatinoſo tegmine non obducitur, ſaltem communiter, & præcipuè in bilioſis & picrocholis, ſed vel rutilus eſt tantummodò, & compactus ſine ſero innatante, aut cum vix pauco, eoque flaveſcenti, & ſoluto. Quod ſi extracto ſanguini in aliquibus bilioſâ pleuritide affectis concretum aliquid ſupercreſcat, id intensè flaveſcens eſt. In Phlogiſtica, aut etiam catharrali pleuritide ſanguini è vena extracto cruſta alba plus minùs ſuperſternitur; quin imò ſi hæc cruſta ſaltem ad ſecundam miſſionem non appareat, malum; nec ampliùs morbo repetita ſanguinis extractio opitulatur. Urinæ in bilioſa pleuritide bilioſæ notabiliter ſunt, ſeu craſſæ ſaturatæ, Croceæ, & ad lateritium accedentes. Corripit ordinario bilioſa pleuritis bilioſos, ictericos, aut ſubictericos, aut prævio alio bilis affectu præhenſos. Verè, ut plurimum, non accedit, ſed ſolùm æſtate, autumno, imò & hyeme, quæ autumno ſicciori ſuccedat: Quod ſi Verno tempore obveniat, ſemina ab hoc tempore eidem procreata non ſunt, ſed præcedenti æſtate, ex cujus intemperie igniculi biliares morbifici in ſanguine cumulabantur, autumno poſteà relicti, mox per hiemem compreſſi, novoque vernali æthere

exci-

excitati, ut alibi clariùs probabimus, cum de tertiana intermittente biliosa. Ità vere ſuperioris anni 1719. cujus & hiemis præcedentis conſtitutiones fuere intemperatæ; veris ſcilicet conſtitutio hiemalis, hiemis verna, cæteris hyemalibus morbis, præcipuè pleuritidibus ſincerè phlogiſticis, catarralibus, aut mixtis plurimæ pariter biliosæ pleuritides intermiſcebantur, cum ſiti, fervoribus univerſalibus diſtinctè periodicis, aliiſque propriis biliosi erroris ſignaculis. Nunc ad biliosæ pleuritidis curationem; & obiter primùm de aliorum pleuritidis generum curationibus, ſaltem quoad principes curandi ſcopos, ſanguinis miſſionem, Catharticum, & alterantia intus ſumpta. Prognoſis inde Hippocratica, aliaque ex tanto hoc Præceptore notabilia ad magnum pleuritidis negotium facientia, poſt curationem exſcribentur, nec non tractatum abſolvent.

De occaſione Phlebotomiæ in Pleuritide acuta in genere; & obiter de ſignis concoctionis in eodem morbo.

§. IX. Quoad uſum Phlebotomiæ; in genere ſanguis in pleuritide acuta mittendus, aut non mittendus, tum in ſudore, tum in non ſudore, tum in Anacatharſi, tum in non anacatharſi, ſecundùm circumſtantias alias præter ſudorem & anacatharſim; parùm ex ſe ſe quoad mittendum, aut non mittendum indicantibus copiâ, qualitate, aut tempore ſudoris, aut ſputi, ſi epiphenomena alia non reſpiciantur. Revera ſi ſudor non accedit, aut cum nullo ſublevamine accedit, ſanguis detrahendus eſt; ſi cum anacatharſi accedit; aut etiam ſine anacatharſi, cum febris, doloris, & ſpirandi levamine, ſanguinis miſſionem non imperato: ſi ſudor obvenit cum imminuta quidem febre, ſed duro adhuc pulſu, preſſo adhuc pectore, nec viribus prorsùs conflictis; adhuc imperato. Si ſudor accedit ad ſeptimam, vel etiam poſt ſeptimam, & mox recedit, morbo non ſoluto, ſputoque non facili, jam vel eſt à ſpaſmodica diatheſi aut vaſorum plenitudine generali, aut particulari, cutis ſpiracula, aut tracheas, & bronchia, aut ſimul coarctante; & iteratò mittendus;

vel

vel ob imbecillitatem generalem corporis, aut particularem preſſionis pulmonum; & non mittendus. Caveto igitur ne hallucineris à ſudore, quantumvis univerſali in principio legitimæ Pleuritidis; præcipuè cum urinis non coctis, tenuibus, aut etiam ſaturatis, ut à ſanguinis detractione arcearis. Phlebotomatus æger, & ſæpiùs vel in ſudore principii, & augmenti, ſi expediat, faciliùs adhuc ſudabit; hinc ſudor ad morbi ſtatum, ſeu verſus ſeptimam opulentius accumulabitur, & ad nonam, aut undecimam judicabit. Hoc adhuc adnotato, quod mihi multiplex experientia ſuggeſſit: Qui in pleuritide legitima die ſecundâ, aut tertiâ poſt debitas ſanguinis miſſiones, liveſcunt in facie, aut inflantur vehementer in venis colli, omnes ordinariò, vel ante ſeptimam, vel in ſeptima, vel non diu ultrà ſeptimam depereunt. Valens anacatharſis quotieſcumque per gradus augeſcens, gradualiter etiam dolorem lenit cum febre, & ſublevat ſpirandi anguſtiam, ſanguinis miſſionem prohibet; imperat, ſi quidem libera, nec tamen auxilians. In genere concocta integrè anacatharſis Cruoris miſſionem prohibet, inconcocta, aut imperfectè concocta jubet, aut tolerat. Nec tamen ſputi concoctio judicanda eſt vel ex copia, quæ ſæpe ab nimia partis affectæ laxitate, lethalique ſtagnatione, aut methaſtaſi ortum ducit; vel ex colore, cum ſputi flavedo, aut ſubflavedo ex biliari interdum funeſta pleuritide accedat; aut nimio fervore pulmonum, catharri in bronchiis depluvia veluti peraſſante; non inſuper à conſiſtentia, nam ſputum ſæpè viſcidulum, aut viſcidum, aut aliter conſiſtens ab exſiccativa partis inflammatione derivat, non autem à laudabili concoctione. Sic in hoc affectu ſputa principio viſcida, quæ ſemper viſcidiora fiunt, perniciosa ſunt, & ordinario prænunciant interitum. Bona ex ſputo concoctio per mediocrem conſiſtentiæ gradum indicatur, quæ nempè conſiſtentia ad morbi principium inchoans, inſenſiliter uſque ad quartam, aut etiam ſeptimam diem accreſcit, ibidemque ſubſiſtit; nec ulterius pulmonis liquamina indurantur; ex facilitate inſuper expectorationis, cum proportionato virium, febris, vocis, reſpirationis, decubitus,

&

& doloris ſublevamine: magis ideò concoctio ex ſtatu generali Corporis, quàm peculiari partis affectę exploratur. Pepaſmum ſiquidem in morbis non unicum ſpeciale ſignum depromit, ſed plura, & communia: ideò ait expertiſſimus Duretus in Coacis Hipp. *fruſtra materiæ in parte aliqua ſuſpicitur concoctio, ſi univerſitatis excrementa ſunt cruda.*

De Catharſi in Inflammatoria Pleuritide, non biliari.

§. X. Pleuritis phlogiſtica legitima nullam ante ſeptimam admittit Catharſim, imò nec poſt ſeptimam, donec concocta ſit, aut ſuppurata & abrupta. Si viſcerum naturalium aliqualis cachochilia comitetur, ſuppleant ſimplicia diluentia largiùs aſſumpta, aut etiam clyſteres Lotorii. Viſcerum ſiquidem inflammatorias tenſiones intendunt ulteriùs, laceſſunt, criſpantque irritamenta catharticorum; quorum nempè impetus, & percuſſiones in fibras jam nimium intentas, & fortiùs vibrantes duriùs etiam impingunt; nec ideò niſi violentæ, & coactæ ſeri utilioris expreſſiones ſunt, qui non tantum in pulmonis, quàm aliorum viſcerum ſinceris inflammationibus fluores alvi ſpontè, aut per remedia contingunt: *Quæcumque ea quæ inflammata ſunt* (Hippocrates 4. auctor.) *ſtatim in principio morborum medicamento ſolvere aggrediuntur, hi de intento quidem, ac inflammato nihil auferunt, non enim remittit affectio, quæ adhuc cruda eſt; quæ verò morbo reſiſtunt, & ſana ſunt colliquefaciunt.* Ità divinus ſenex non ſolum artificialem alvinam purgationem in vera pulmonis ſinceraque inflammatione angue pejus declinat; ſed ipſammet ſpontaneam condemnat: *A morbo laterali, vel pulmonis habito alvi profluvium adveniens, malum* Aphor. XVI. ſect. VI. Nonne igitur in exquiſita hac pleuritide jugulabunt emetica, à practicis variis in quacumque indifferenter pleuritide, & maximè primis aleis uſurpata? nonne ex emeticis, ſupra ſimplicium catharticorum vires, ſuccuſſâ magis, & irritatâ internarum partium contractilitate, major redundabit ad affectos pulmones irruentia, percuſſio, & aggeſtio? ſola jam

H h ex

ex artis auxiliis in hoc affectu præſto ſint revellentia, derivantia, ac evacuantia per phlebotomiam debitè, citóque adhibita; diluentia, Epiceraſtica, relaxantia; humida, blandaque diaphoretica, calidiuſcula ſemper omnia, oleoſa inſuper ſimplicia aliqua intermiſcenda, interdum & fotus, & pediluvia. Quod confirmat Galenus Comment. 1. lib. de rat. vict. in morb. acut. Cap. 33. aſſerens: *Pleuritici doloris eſſe remedia tria: nempe fomenta calida, ſanguinis detractionem, & purgationem:* Sed hæc ultima poſt concoctionem humorum intelligenda venit in inflammatoria exquiſita pleuritide. Reliquum naturæ committendum.

De Tumore Pulmonis Phlogiſtico in Necroſim vergente.

§. XI. Dixi revellentia, & hujus generis ſimilia eſſe citò adhibenda. Nam ſi in exquiſito, & prægrandi pulmonis tumore phlegmonoſo intercepti nimium cruoris fluxus, & refluxus per viſceris vaſculares anguſtias, tempeſtivè ſatis non reſtituantur, periculum eſt, ne vitales motus integrè obruantur, ac inflammatum viſcus in ſyderationem, gangrænam, aut ſphacelum funeſtè prolabatur: Hunc morbi ſucceſſum laudabili analogiſmo apoplexiam pulmonum nonnulli appellarunt. Deprenditur hæc calamitas à ſubita in morbi augmento doloris evaneſcentia, cum pulſu repentinè proſtrato, factoque exili, & inæquali, & aliquando intermittente, ac ſolidis reſolutis, etiam inopinatò molli; ſudoribus frigidis, frigidis etiam exterioribus, ſyncope frequenti, facie collapsâ, & lividâ; reſpiratione rarâ, & inæquali, ſimulque ſuſpirioſâ, & ſublimi; præcipuè ex ſputo magis, magiſque liveſcente, & æruginеo reddito, aut nigro aut etiam ſubitaneè ſuppreſſo. Hippocrates in *Coacis* exquiſitam hanc pulmonum inflammationem in ſyderationes abeuntem dignis Laconiſmis deſcribit: *Quibus tota lingua fit alba, & aſpera, pulmonis ambæ partes inflammantur: Quibus autem dimidia, tantum illa pars, quæ ſpectatur: Et quibus ad unam claviculam dolor eſt; una ſupera pulmonis ala ægrotat: Quibus autem ad ambas claviculas dolor urget, ambæ ſuperæ pulmonis alæ laborant:*

&

& quibus circà mediam coſtam, ibi & media: Quibus autem circa ſeptum tranſverſum, infera quoque ibi: at verò quibus dimidia pars tota pulmonis obſeſſa eſt phlegmone; omnia quæ adjacent ei parti laborant. Ergo ſi vehementer inflammentur aortæ (intellige pulmonum bronchia, ex interpretatione Dureti) *ut in latus incumbant; & corpus ea parte reſolvitur, & coſta exterior livore tegitur. Hujuſmodi autem peripneumonicos priſci vocabant ſyderatos.* Tum ſyderationem Pulmonis pleuriticam inferiùs adhùc rememorat: *Quod ſi totus pulmo inflammetur cum corde, ut in latus procidat, reſolvitur totus æger, jacetque frigidus, & ſenſus expers: moritur autem ſecundum, aut tertium diem agens. Sin autem ſine corde contigerit, idque minùs; ſeriùs vitam finiunt.* Pulmonem in latus procidere eſt motum ſolidi cum vita in hoc viſcere deperdi, undè necroſis; quod explicare videtur Hippocrates ex analogiſmo necroſis in fætu qui in utero materno vitâ functus in alterutrum, uteri latus procidit. Ægrum jacere frigidum, & doloris expertem, de prævio dolore pleuritico intelligendum duco. Cor in graviſſima pulmonis inflammatione, à ſanguine per emiſſaria pneumonica non defluente facilè interdùm obrui, & ſymptomaticè inflammari percipio: Hieme ſuperiori, cum Mediolani diverterer, præcipuè ad menſem Januarium, maligna pleuritis phlegmonodes graſſabatur, facilè in Necroſim pulmonicam, etiam ante ſeptimam, abiens: qua ideò plurimos rapidè ſublatos videbamus. Hoc tempore, hacque in Urbe ornatiſſimus Curtius varias mihi eaſque ſingulares obſervationes, ex longâ, accuratâque Praxi ad umbilicum perductas, circa pulmonum tumores; acutos, aut longos, ſupervenientibus interdum organi hujuſmodi ſyderationibus, aut Necroſibus, quæ noſtra erat conſuetudo, communicabat: Quas à Viro Præclariſſimo poſt egregia tot alia, Medica, & litteraria, Latinè, & Italicè, edita ab eodem monumenta, omnique plauſu excepta, fore aliquando in publicum bonum evulgandas non dubitamus.

De Dorſali Pleuritide Hippocratis.

§. XII. Pleuritidem dorſalem Hippocratis in ſanguinearum Phlogiſticarum claſſem adnumero, ductus illo ejuſdem textu pleuritidem hujuſmodi in Coacis deſcribente : *Quibus autem pleuriticis illud accedit etiam, ut multum rubeat dorſum, incandeſcant humeri, & ipſi reſidendo graventur, alvus autem perturbata, viridi, & multùm fætidâ bile feratur*, ii ſanè *propter eam ſubductionem vigeſimo die intereunt; quos ſi effugerint periculo defunguntur.* Nam alvi fluxus præcipuè bilioſus nonniſi Phlogiſticæ ſanguineæ pleuritidi pernicioſus evadit, ut ex aliis ejuſdem Coi locis per hunc tractatum identidem memoratis, & noſtrâ ulteriùs ex praxi confirmatur; Cæteris è contrà pleuritidum generibus alvi fluxus, præcipuè bilioſorum, conducit: ut ex alia Hippocratis ſententiâ in eiſdem coacis indicatur: *Pleuriticis prodeſt alvum molleſcere.* Quod etiam mille aliis locis ad varias particulatim pleuritides rememorat. Confirmat aſſertum eventus. Pleuritides namque cum febre acuta, & dolore ad ſcapulas, & dorſum difficillimè judicantur, in abſceſſum ordinariò vergentes. Jam igitur inflammatoriæ exquiſitæ ſunt.

Cura Pleuritidis lymphaticæ ſimplicis, ſeu frigidioris.

§. XIII. Secundum pleuritidis genus, ſeu propriè Catharrale, præter calidos hauſtus blandè attenuantes, & diaphoreticos, juxta ætatis, tempeſtatis, ſubjecti conſtitutionis, aliaſque circumſtantias varias, promiſcuè miſſionem ſanguinis, & purgationem, aut potiùs unam, quam alteram, aut etiam neutram, ante ſeptimam, exigit. Ideò in ſubjectis interdum frigidis hieme præſertim afflante, cum lentore lymphatico, quod ſupra lentorem ſanguineum in pulmonibus aſſideat, hanc veluti crudam pleuritidem, ſeu ſimpliciter lymphaticam, abſque ſanguinis miſſione, ſæpè etiam ſine catharſi, attenuantibus ſolùm, & vivificantibus fauſtè curamus. In his igitur caſibus camphorata, ſuccinata volatiliora,

tum

tum præcipuè oleoſa volatilia, ut tincturam croci optimam, liquorem C. C. ſuccinat. aut legitimum elixir. Parav. ſine aloë cum myrrhâ probè per longam circulationem ſolutâ, & ſimilia, ſuperbibitis calidiſſimis hauſtibus ex Carlina, angelica, ſcabioſa, Camedr. hęder. terreſtr. hyſſop. veronic. baccis juniper. aut ſimul omnibus, aut pluribus, aut ſimilibus, feliciſſimis ut plurimum aleis adhibemus; quo pacto liquida lymphatica in pulmonibus concretiora fluxilia redduntur, & abundæ ſputi, aut diaphoreſis Copiæ paulatim eliciuntur. Memini me plurimos pleuritide catharrhali frigidiori conflictatos, interea cum dolore punctorio, reſpirandi anguſtiâ, tuſſi profundâ, crudâ, & difficili; ſputo interdùm ramentis ſanguineis immixto, febri etiam ad acutum ſymptomaticè vergente, ſed cum pulſu tenui, non duro, ſed flacido, præcipuè mulieres delicatulas, pallidiuſculas, aut priùs frigidâ chloroſi prehenſas, liberalibus interpolatis hauſtibus vini generoſi, ut malvatici, niceni &c. procuratâ hoc ritu ſputi, tranſpirationis, totiuſque morbi concoctione, abjectoque remedio alio quocumque, proſperè & non ultrâ decimam quartam ſanaſſe. Id autem præprimis advertendo, ut vinum calidè ſemper, aut calidiuſculè ſorbillandum propinarem; quod hac cautione opportunè adhibitum quantum in hac lenta non ſolùm pleuritide, ſed in omnibus tum corporis undequaque, tum partium ſpecialium cruditatibus maturandis, ſolvendis, diſcutiendis, emendandiſque valeat, indicibile eſt. Gratulor igitur mihi de diſſertatione Illuſtriſſimi, & expertiſſimi D. D. Davini, Sereniſſimi Mutinenſis Ducis Medici *De Potu vini calidi*, dum hæc ſcribo, dono mihi ab eodem authore humaniſſimè tranſmiſſa, quæ rariſſimis juxta, ac graviſſimis obſervationibus praxim meam in his, aliiſque crudioribus morbis vini calidi exhibendi luculenter confirmat. Vini uſum in frigidiori catharrhali pleuritide ſedulò commendat Galenus Comment. 3. in lib. Hipp. de vict. rat. in morb. acut. *Quæ ad eductionem eorum, qui in pulmone continentur, craſſorum humorum futura ſunt idonea medicamenta moderatam humiditatem habere debent. Quod ſi viſcoſi humores fuerint, non humiditate ſolum eſt opus*

verùm quoque & eâ , quæ ab acidis fiat ſuccis, deterſione. Ob eam rem melicratum quidem ad craſſorum humorum expuitionem eſt convenientiſſimum, oxymel verò ad viſcoſorum. Poſt melicratum ptiſana eſt , atque ab ea vinum dulce ; ſi coctis jam tum peripneumoniâ, tum pleuritide propinetur , ampliùs non vexatis inflammatione corporibus. Quod ſi vinum hujuſmodi epotum ſitim faciat, ad expuitionem minùs idoneum redditur. Verum ut uno abſolvam verbo, vinum dulce in acutis morbis ad expuitionem tum propter dictas operationes, tum propter communem vinorum omnium rationem, quâ vires roborant , idoneum exiſtit, & maximè iis, qui quævis humida , quæ tum in thorace , tum in pulmone continentur , expuunt. Ita Hippocrates eodem lib. de vict. rat. in acut. definit cui pleuritidis generi vinum exhibendum veniat, cui non exhibendum, & quale; hiſque, & aliis locis piper, & calida remedia ſimilia in torpidiori pleuritide uſurpat.

Interdùm in hujuſmodi pleuritide crudam, & inſubactam chyloſyn pro primo morbi fomite ſubodorantes, curationem totam abſolvimus , tincturis ſtomachicis ſpirituoſis variis, ac aromatico-amaris, per calidos hauſtus appropriatos ſolutis. Quandoque per urinas lymphas inertiores pulmonicas , cum morbus aliquando defrixerit , ſolvi , & derivari mandamus tincturâ millepedum per ſpiritum ardentem juniperinum elicitâ, addito interdum ſale volat. C. C. noſtræ præparationis, & ſimilibus. Cæterùm, in torpida Catharrhali pleuritide, ſi poſt quintam, aut ſextam ſtet adhuc non modica ſpirationis difficultas , cum paucâ , ineptâque expectoratione , ſimiletque acutam naturam, præmiſſis univerſalioribus , præſertim cathartico , ex manna, melle roſat. ſolut. aut ſimilibus, ſi per primas quoque vias cachochilia lymphatica ſtabuletur, ad crura , & coxas Phenygmata inurimus, faciliori inde communiter , cum ſputo uberiori, & concocto , procuratâ reſpiratione , undè morbi viam ad generalem maturationem expeditior. Hanc ideo ſpeciatim pleuritidem reſpicere Hippocratem conjicio 2. *de vict. rat. in acut.* ita edicentem : *Lateris dolor , ſive is per exordia fuerit , ſive poſtea obortus ſit , tentare medicamentis calidis diſſolvere , non abſurdum eſt.* Ne

tamen

tamen infinitus ſim, hæc in hujuſmodi pleuritide, aliiſque ſequentibus, uſque ad biliosſam pleuritidem, quæ ſolùm ab inſtituto reſpicitur, pede ſicciori trajiciam.

Pleuritidis Mixtæ, ſeu Lymphatico-ſanguineæ, itidem convulſivæ, ſtomachalis, & Hepaticæ Vmbratilis Curatio.

§. XIV. In mixta pleuritide, ſeu ſanguineo-catharrali, cautius eſt non purgare ante ſeptimam, ac liberaliter potiùs phlebotomare: nam licèt inflammatio pulmonis, ſincera non ſit, eſt tamen adhuc inflammatio. His ad exigentiam expletis, ad uſum diaphoreticorum confugiendum eſt, non tamen aſperiorum, & impetu præditorum, in forma ſpirituum, quinteſſentiarum, ſalium volatilium &c. (Nam hæc acrius percuſſis, tenſiſque ſolidis, liquidiſque expanſis, adaugent inflammationes) ſed lenium ſimplicium, & humidorum; ut calidi liberales hauſtus decoction. radic. ſcorſon. bardan. fol. card.bened. ſcabioſ.camedr. ſerpill. &c. Quibus, aut ſimilibus intermiſceri poſſunt c. c. phil. pp. ſtibium diaphor. bezoart. vegetal. noſtrum, ſang. hircin. legitimus, iiſque analoga, in fine augmenti, ſtatuque uſurpanda: Interdum in difficiliore ſudatione ſyrup. Fimi Equini ſ. a. parat. In convulſiva pleuritide, ſuper alias omnes pleuritides, peſſimam decernimus catharſim. Neceſſaria huic eſt ſanguinis miſſio, etiam ad exigentiam crebriùs repetita, vel ſi valida febris, cum majori pectoris anguſtia, & vigiliis, ſuperveniat, vel ſi longiùs immorans ſanguis ſub prælo convulſionis pulmonicæ ſyſtrophicam inflammationem minitetur, vel tandem ſi graviora alia debacchentur ſymptomata. Cæterùm longa diluentia, laxantia ſimplicia, oleoſa, blandè diaphoretica, & præcipuè anodina ſuppetias adveniant ità Hipp. lib. 3. de morbis textu ſuperiùs citato in hoc pleuritidis genere uberiorem ſolùm humectationem præſcribit: *ſed ampliore in potu humectatione indigent.* Stomachalis, & verminoſa Pleuritis oportunis principio purgantibus, aut etiam mediocri emetico, interdùm ſimpliciter oleoſis propulſatur. Hepatica purgationem principio, aut phlebotomiam

tomiam ſimul, aut ſejunctim exoptat ſecundùm præpollentiam biliaris cacochimiæ hepaticæ, undè fons morbi, aut pulmonalis accenſionis, quæ urgens fit ſymptoma, ſed de his alio Loco. Id ſolùm pro monito generali adjiciendo, fortia diaphoretica in quacumque pleuritide ſtatim ab exordiis uſurpata peſſimè afficere; nec ſolùm efferato jam ſanguini, & obſeſſo pulmoni nocere, ſed ad deliria, aliaſque capitis graviſſimas concuſſiones viam ſternere.

Cura Bilioſæ Pleuritidis; ejuſque habitudines variæ.

§. XV. Jam ad bilioſam curandam pleuritidem me defero. In vero hoc affectu ſanguis quidem in principio mittendus eſt, ſi ſputum difficile ſit, diarrhæa non ſuperveniat, febris, dolor, & ſpirandi difficultas, invaleſcant in juvene præcipuè, & vegeto corpore, cum magna univerſali exæſtuatione. Quotieſcumque hæc omnia aut plura non ſint, præcipuè ſi venter priùs tenſus, & turgidus extiterit, aut in morbi invaſione turgeſcat, non eſt quidem mittendus: Hoc namque præſidii genere in biliari pleuritide, ut ut acutæ ſigna incauto colluderent, plurimos repentinè proſtratos, & ad ſeptimam aut nonam è vivorum numero ſublatos dolenti certè experientiâ perſpeximus. Hippocrati inconcuſſum eſt, bile notabiliter dominante, cæteris paribus, venam non ſecare.Ità *lib. de humor. & in epid.* effatur; *tria impedire venæ ſectionem in ſanguinem ſpuentibus, tempus anni, pleuritis, & bilis.* Verum tamen eſt, Divinum ſenem, bilem inter Phlebotomiæ impedimenta pro curanda pleuritide memorantem, non tantùm bilioſam pleuritidem ſignificare velle, ſed & ſputum bilioſum facilè, concoctè, citòque in hoc pleuritidis genere obvenientem, ubi certè tota Clinici ſedulitas promovendo huic ſputo dirigenda venit, Phlebotomiâ angue pejus declinatâ, quæ ſputum retrahere, reſque ægrotantis evertere potis eſt. Audiamus quæ ſuper hac re conſultiſſima enunciat Duretus in Coacis ad Commentarium illius textus Hippocratici: *Pleuritides autem bilioſæ ſimul, & ſanguineæ &c.*

Itaque

Itaque ſi admodùm biliosſus humor eſt, ea flava tantùm erunt (loquitur de ſputis in hac Pleuritide) *ſin autem ſanguineus , rubra. Quod ſi ex utroque mixtus , rubra ſimul & flava. At talis humiditas in bonis ducenda , ſi facilem habeat , copioſumque exitum , cum acceſſione laudabilium urinarum. Tale ſputum promoveri debet iis, quæ expurgationem juvant , molliendo , leniendo , & ſputum ciendo, non autem ſanguinis detractione retrahi , & impediri : Quod uſu venire videmus , non ſine mœrore , & nemeſi , ab iſtis pragmaticis vulgò dictis , qui omnem pleuritidis curationem exigunt in ſanguinis detractione ſæpiùs iterata , quandiu pleuriticus hujuſmodi ſputa expurgat cum ſpe ſalutis prædivite. O homines reipublicæ calamitoſos, atque funeſtos ! Ipſam pleuritidem , quæ ſuâ ſponte nullius operis indigens cum tali ſputo quieſceret , ex eventu reddunt mortiferam.* Ita Galenus Comment. 3. in lib. 6. epidem. ſupra allatum textum Hippocratis , abſtinet in pleuritide à detractione ſanguinis , ſi *poſt cruenta bilioſa expuantur.* Sit jam in principio morbi ſua quoque Phlebotomandi , aut non phlebotomandi indicatio, ante quartam purgandum eſt ; fortiùs autem ſi nauſea , ſi vomitus , ſi flava aut aliter variegata linguæ ſordities cùm aſſidua oris amarore compareant; vel cùm hypochondriorum , epigaſtrii , aut totius ventris perſiſtenti tenſione : quo caſu etiam emeticum , ſecundùm bilis lentores , & copiam, mediocre , aut validius , laudabili exigentiâ , fauſtoque eventu adminiſtratur: Quod confirmat Galenus Comment. 4. in lib. de victus ratione in morb. acut. cap. 6. dicendo : *Bilem tum per vomitum , tum per clyſterem vacuandam eſſe.* Quin immò Catharſis primis interdum diebus repetenda eſt. Si ſemel uſurpata bilem primorum viſcerum non illo modo ſubduxit , & infregit , ut hæc adhuc turgere non deſinat , novaſque in pectus invaſiones minitari. Ideò Galenus *Comm.* 4. *in lib. Hipp. de vict. rat. in acut.* admonet : *Vel ſtatim ab initio , priusquam in partem aliquam firmati ſint humores , medicandum ; vel poſtea cum concocti fuerint.* Purgantium claſſem ipſemet Galenus indigitat *lib. de Dynamidiis Cap.* de purgantibus choleram rubram : *Cholagogis utendum eſt in paſſionibus ictericis , hepaticis, ſpleneticis, pleuriticis, phreniticis,*

ſynanchicis, *mania*, *Cephalalgia*, *ophtalmia*, *eryſipelate*, *lepra*, *febribus tertianis*, *& quibus cholera abundat.* Quâ textus concluſione manifeſtum venit, Galenum intelligere de his morbis, cum à bile oboriantur. Imminutâ biliari cacophragiâ, translata ejuſdem pars ad pulmones faciliùs digeritur, eâque per ſputum in dies maturius factum expurgatâ, ad ſeptimam, ad nonam, ad undecimam uſque ad decimam quartam affectio cedit; præcipuè ſi diarrhæa aut naturaliter ſuperveniat, aut per catharſim excitetur; quâ certè felicius morbi ſtadia abbreviantur. Calidè interim, & copioſè epotandum: ſic fluidius factum, attemperatumque recrementum bilioſum ejectionibus variis pacatiùs paratur. Apprimè inſuper opportuna oleoſa, quæ bilem glomeratam ſolvunt, ſtimulantem infringunt, effervеſcentem illaqueant, detergunt impactam; tandem, ſi copioſa ſint, per inferiora, aut etiam blandè per vomitum deturbant. Fotus proſperè adhibentur, ſi cum ventris tenſione dolor etiam accedat. His etiam cicuratur bilis, & eluitur: fugienda volatiliſantia, imò & teſtacea. Prima bilem infensè exacuunt, altera magis adhuc incraſſant, ſuiſque in latibulis figunt. Bilis inflammatoria, quæ tenax ſimul eſt, & acerrima ſuaviter quidem præparanda, ſed fortiter eliminanda. Bilioſa Pleuritis ſuper alias ſyſtrophicas ob cauſæ peccantis mobilitatem, & inſuper (cum bona venia noſtrorum in pedagogio cenſorum) inſupurabilitatem, ocyus judicatur. Sic Medicinæ Dictator in Coacis: *Quibus pleuriticis continuò lingua bile ſuffuſa eſt, ſeptimò judicantur: quibus autem tertio, aut quarto, ad circiter nonum.* Ob hanc mobilitatis, ac expeditiorem abſque ſuppuratione ſolubilitatis rationem, bilis ſi propriè cum ſanguine in mixtam pleuriticam phlegmonem extruendam concurrat, morbus faciliùs ſaneſcit, juxta illud ejuſdem Hippocratis in eiſdem Coacis: *Pleuritides autem bilioſæ ſimul, & ſanguineæ, ut plurimum nono, aut undecimo judicantur; ac ferè ſaluti concedunt.* Quod ſi lentæ, ac intricabili lymphæ ſeu pituitæ uberiori ad producendam pleuritidem bilis adeò copuletur, ut fluore ſuo in lymphæ concretionibus deperdito, & infauſtè coercito, excretioni, & pepaſmo minùs

apta

apta ſit, in morbum non tantùm contumacem, ſed & lethalem conſpirare poteſt, juxta illud Hipp. Conſultiſſimum in lib. de morbis. *Ex morbo autem laterali intereunt cum circa exordia copioſa quidem pituita & bilis ad latus impacta fuerit, multaque ex reliquo corpore prætereà affluxerit, quam neque ſpuendo propter copiam, neque putrefaciendo ſuperare poſſit.* Deferveſcente declinatâque biliosa pleuritide ſimplici, manſuefacto dolore, & quodam febris circuitu poſt duodecimam ſuperſtite, cum aliqua quotidie horripilatione, aut perfrigeratione, omnia uſu leviuſculo tincturæ corticis peruviani feliciter ſublata, quandoque experti ſumus. Solam hanc obſervationem Hippocratis teſtimonio firmare non poſſumus, cui nempè mirabile hoc, ac præprimis antibiliare præſidium non innotuit.

Pleuritidis Eryſipelatoſæ Cura, & conditio.

§. XVI. Pleuritis Eryſipelatoſa quæ multum ab Hipp. lib. *de int. affect.* aliiſque locis conſideratur, familiæ bilioſarum Pleuritidum adoptanda venit. Siquidem quodcumque Eryſipelas à ſanguine bilioſo tenuiore, fervidioreque deducunt practici. Itaque eryſipelatoſa dicitur ſpecies quædam pleuritidis, cuncta ſecum pleuritica devehens ſignacula, & inſuper notabilem in ingreſſu rigorem ex tranſmiſſione, per progreſſus indè morbi non amplius redeuntem, poſteà febrem aſſiduè acutam; ſitim inſuper ingentem, & perpetuam cum linguæ intenſa ariditate, frequentem vomitum & lypothimiam, notabilem reſpirando nariurn apertionem, univerſalem æſtuationem aſſiduam, cum magna jactatione & inquietudine conjunctam, urinas flammeas, ſaturatas, croceas, & quaſi lateritias, faciem notabiliter rubentem, ſed variis ac fugacibus ruboribus, internam præcipuè in regione pulmonis ardoris ſenſationem, & inſuper pro ſigno pathognomonico, dolorem punctorium ſuper alias pleuritides auctiorem, non jam fixum, & ſtabilem, ſed per Thoracis peripheriam ſerpentem & nunc ad anteriora, nunc ad poſteriora vagantem, haſque regiones, nunc ſimul, nunc ſejunctim

invadentem; quemadmodum externa ad habitum corporis eryſipelata uni loco non affigi depræhenduntur, ut Phlegmonoſæ inflammationi ſolemne eſt; ſed loco dimoveri, & ſerpere, vicinaſque partes mobiliter per epigeneſim invadere: Tum in eryſipelatoſa pleuritide animadvertunt practici, quod ſpecialis ſenſus acutioris caloris per Thoracis regiones ſerpentem dolorem conſectatur, unàque cum eo pervagatur. Stabiliunt itaque authores, pleuritidem eryſipelatoſam eſſe inflammationem pulmonis, cæteris omnibus magis exteriorem, & ſuperficialem ex tenuioribus, mobilioribus ſuccis; vagam; ideò & mobilem, cum acuta febre, dolore, ardore, &c. Quam ideò nos ex ſuccis bilioſis decernimus, cùm ex ipſiſmet eryſipelatis principiis, tum ex Teſtimonio Hippocratico. *Vbi verò in Thoracem ob frigus defluxerit, bilis exiſtit.* Lib. de Loc. in Hom. Reverà pleuritides eryſipelatoſæ hyeme ordinario, & boreis efflantibus, imminutâque per cutis conſtipationes tranſpiratione communiter obveniunt. Ab eryſipelatoſa pleuritide, quod magis ſuprà pleuritidem biliarem ſimplicem, indicatur, eſt ipſa ſanguinis miſſio, largè etiam in principio uſurpanda, ob facilem præcipuè ad caput anadromem; quâ magis aut minùs ſecundum exigentiam productorum expletâ, ocyus indè confugiendum eſt ad purgantia, non tamen fortiora, ut frequentiùs in pleuritide ſimplici bilioſa expetuntur, ſed mitiora, & blandè laxantia. Nulla ideò emetica; nulli alii potentes ſtimuli. Poſt hæc univerſalia præſidia eryſipelatoſa pleuritis Longis diluentibus ac emollientibus, tepidiuſculis potionibus ex malva, althea, violar. Soncho &c. reſtingui poteſt, intermixtis præcipuè diſcutientibus, & anodinis ex flor. ſambuci, hiperic. viol. bellidum pap. Rhead. farfar. melilot. nimph. ex abſinthio umbellifero, ex lentibus, ex ſem. lini: inſuper ex Camphor. ſperm. cæt. &c. oleum ex lini ſeminibus expreſſum mirificè in hac ſpecie pleuritidis ſuper alia omnia oleoſa opitulatur. Succedit in adjumentum oleum ex ſeminibus melonum ſ. a. extractum. Paregorica tutiora, cum Cliſteribus emollientibus, interdum & fotibus, prædictis auxiliis interpollanda, præcipuè ſi vigiliæ, & fervores contumaciter adjunguntur.

Pleuritis

Pleuritis bilioſa quæ aliarum omnium ſit peſſima.

§. XVII. Pleuritis bilioſa illa omnibus deterior habenda eſt, & ordinariò funeſta, in qua ſigna omnia Phlogiſticæ exquiſitæ pleuritidis præoccupatus jam clinicus primis aleis offendiſſe ſibi perſuadet; ſcilicet quinque illa toties decantata, quæ ſimul collecta veram pleuritidem ſanguineam pathognomonicè declarare videntur. Pulſus durus, acuta febris, ſpirandi difficultas, tuſſis cum ſputo ſanguineo, dolor punctorius ad coſtas veras, aut jugulum, aut ſcapulas; Peſſima, inquam, eſt, non eo tamen quod reſtingui non poſſit, nam bilioſa pleuritis, licet principio ſuo, ſeù primâ irruptione, turbâque ſub ſpeciebus hiſce non ſuis occultata, tamen catharticis fortioribus, imò & emeticis diligenter, citoque uſurpatis impetita, non difficilè cederet, mutuatamque ferociam deponeret; niſi clinico ambigenti ſub forma ut plurimùm ſinceræ inflammatoriæ pleuritidis illudens, in viam Phlebotomi infauſtè, & fataliter alliceret, ad tempora catharticorum neceſſaria omittenda. Tunc pleuritici hujuſmodi poſt plures miſſiones ſanguinis etiam cum facili ſputo & copioſo, ventre magis in dies, & hypochondriis præcipuè turgentibus, ad nonam, undecimam, aut decimam quartam, biliosâ turgeſcenti colluvie præfocati, & tandem ex bilis aſcenſu in cerebrum communiùs delirantes, diem miſerè poſtremum obeunt. Memini lepidæ ſanè hiſtoriolæ, quam mihi ſuperioribus annis referebat amicus quidam Comprofeſſor meus. Accerſebatur ille, multùm adhuc adoleſcens, ad quendam pleuriticum, quem ſimul omnia Phlogiſticæ pleuritidis laudata argumenta obſidebant. Intereà, ut verè bilioſa erat pleuritis, ità inter illa epiphenomena quidpiam in hypochondriis, ac epigaſtrio dolens, prætumidum cum nauſea medicum ſatis perplexum reddidit; tum præcipuè ſiniſtri ex Phlebotomia paſſim eventus in vagantibus æſtivâ illâ fervidâ tempeſtate pleuritidibus, nec niſi ad obitus properantes vivacis juvenis animum bonâ ſorte à phlebotomia avocarunt, ſemel tandem in emetici

 admini-

adminiſtrationem ſuadendo. Vomebat hinc æger abundè biliaria, & immixta, ac in largos indè ſeceſſus profluebat, hinc ſuavi diarrhæâ perennante, & ſenſim invaleſcente, nec interruptâ anacatharſi, imò uberiori jam factâ, & maturâ, poſt ſeptimam abſque ullo Phlebotomi tentamento feliciter judicabatur. Caſum, ut rarum, & notabilem, ac per illam epidemiam inſolitum feſtinanter juxtà ac feſtinanter auribus ſenis magiſtri ſui fortunatus obſervator reportabat, plauſus non ordinarios, ut ipſi videbatur, ab eodem accepturus. Sed juvenis inexpectato obriguit, cum à Magiſtro ſuo in encomiorum loca amariſſimas reprehenſiones, veluti in medicinæ apoſtatam, ac à verò curandi tramite oberrantem, evibratas, colligebat. Reſpondebat modeſtè diſcipulus, infirmum ſuum ſtatim ab adhibito emetico fuiſſe à morbi acutie ſublevatum, hinc poſteà fauſtè, & celerrimè evaſum: Acriùſque ſuccenſebat Magiſter; addens poſtremò, vix intereſſe ſi mortuus æger fuiſſet, dummodo per rectam, tritamque methodum occubuiſſet.

Prognoſis Bilioſæ Pleuritidis.

§. XVIII. Modò tandem ad illa bilioſæ pleuritidis præſagia, quæ ad Tyronum inſtructiones cum ex Hippocraticis oraculis collegimus, tum dietim in Praxi, cum hujus morbi eventibus optimè quadrantia obſervavimus. *Quibus in morbo Laterali lingua circa initia bilioſa eſt, hi intra ſeptimum judicantur; quibus verò tertio, ac quarto die, circa nonum*; Hippocr. in Coac. prænot. Fœſius accuratiſſimus Hippocratis interpres, ad Textum Hippocraticum hæc aurea ſubjungit. „In veris ſputi legibus, & „ſalubri pleuritide ſputum bile coloratum initio eſſe debet, & „ità ad concoctionem progredi: Bilioſam autem pleuritidem „indicat lingua bile tincta, quæ & levior eſſe, & ſecurior „judicatur, ab Hippocrate lib. 3. de Morbis, ideòque promptè ad judicationem procedit. In Pleuritide autem, & peripneu„monia à lingua ſigna peti debere docet Hipp. lib. de morbis, „& alibi.„ Hactenus Fœſius. Addam ipſe, ſigna eventuum in

pleuritide

pleuritide aut peripneumonia in genere eſſe potiſſimùm à ſtatu reſpirationis deducenda: Facilior facta, & perſiſtens boni ſemper ominis, difficilior facta, aut non facta facilior, ſemper mali.

Prognoſis ulteriùs bilioſæ Pleuritidis ex Hippocrate.

§. XIX. Textus inſuper Hippocraticus qui in eiſdem Coacis ſubjungitur, bilioſam adhuc pleuritidem reſpicit, apprimèque experientiâ firmatur. *In morbo Laterali affectis dolores, & alvum emolliri utile eſt, ſputa colorari, nullos in pectore ſtrepitus fieri, urinam rectè procedere. Quibus contraria moleſta ſunt, ſputumque dulceſcere.* Etenim nonniſi bilioſæ pleuritidi alvi ſolutio ſuccurrit, quæ cuicumque alteri pleuritidi non bilioſæ adverſatur ſecundùm ejuſdem Aphor. XVI. Sect. VI. ſuperiùs memoratum. Ut ideò Hipp. in hoc textu alvi profluvium in pleuritide commendando, pleuritidem propriè bilioſam indicet, in qua igitur dulceſcens ſputum malis ominibus reſpicit; tamquam ſuppreſſæ bilioſæ Anacatharſis indicium.

Rurſus Prognoſis ex Hippocrate per ſputi tempora, conditiones, & miſcellas.

§. XX. Quæ autem addit divinus ſenex, cum dicta confirmant, tum graviores in bilioſa, aut etiam mixta pleuritide ad ſalutem, aut mortem quoſcumque eventus, ex ſputi natura egregiè connotare videntur. *In omnibus autem laterum, & pulmonum morbis ſputum promptè, ac citò excreari neceſſe eſt, flavumque ſputo permixtum eſſe. Quod ſi multo poſt dolorem, flavum, aut non commixtum rejicitur, nec ſine multa tuſſi, vitioſum cenſetur. Omninò autem pravum flavum, ſi ſincerum eſt, & glutinoſum, & candidum, & rotundum, itemque vehementer ex virore palleſcens, quoque ſpumoſum eſt, & lividum, & æruginoſum: Aliquanto verò deterius, quod ſic eſt ſincerum, ut nigrum quoque videatur. At flavum cui paulum ſanguinis mixtum eſt, initio quidem ſalutem pollicetur, quod verò ſeptimo die, aut longiore ſpatio, tale*

apparet,

apparet, non adeò tutum. Admodum autem ſanguinolentum, aut quod ſtatim initio liveſcit, perniciem præ ſe fert. Pravitatem etiam indicant, & ſpumantia, & flava, & nigra, & æruginoſa, viſcoſaque, & quæcumque celeriter colorantur. Mucoſa autem, & fuliginoſa cum celeriter colorantur, tum ſecuriora ſunt. Quæ verò intra quintum diem, dum concoctionem accipiunt, colorantur, meliora cenſentur.

Et alia ex Hippocrate.

§. XXI. Confert his etiam, quoad prognoſim pleuritidis ſincerè bilioſæ, aut mixtæ ex ſputi natura, Textus alius Hippocr. eodem loco. *Qui in morbo laterali ſputa rejiciunt purulenta aliquantulum bilioſa, rotunda, aut purulenta aliquantulum cruenta, iis temporis progreſſu periculum creatur. Perniciem autem denunciant ſputa nigra, fuliginoſa, aut quibus qualia ex vino ſunt.* Suppuratio etenim in bilioſa pleuritide multo deterior eſt, quàm in alio quocumque pleuritico affectu, ut ad §. XXVI. inferiùs videbimus. Sputa rotunda & cruenta in pleuritide majorem inflammationem, & ex inflammatione viſceris exſiccationem denunciant; nigra, fuliginoſa, aut obſcurè rubra inflammationem ad *Necroſim tendentem.*

Prognoſis mixtæ biliaris Pleuritidis, ſeu ſanguineo-biliaris, etiam ex Hippocrate.

§. XXII. Eventus autem in mixta bilioſa pleuritide tum ex ſeſe, tum ex ſtatu doloris prænunciat Hipp. eodem loco. *At verò bilioſi ſimul & ſanguinei morbi laterales ferè nono die, aut undecimo judicantur, ac maximè ſaneſcunt. Quibus autem in morbo laterali initio quidem dolores leves ſunt, quinto verò aut ſexto die ingraveſcunt, ferè ad duodecimum perveniunt, raroque ſervantur, ſed præcipuè ſeptimo, ac duodecimo die periculum ſubeunt. Quod ſi bis ſeptem evaſerint, ſervantur.*

Prognoſis ex eodem mixtæ alterius bilioſæ Pleuritidis, ſeu bilioſo-catharralis.

§. XXIII. Interitum in mixta frigidiori bilioſa pleuritide, ſeu bilioſo-catharrali hariolatur Hippocrates ex non ſolutâ anacatharſi lib. 1. de morb. *Ex morbo autem laterali intereunt cum circa exordia copioſa quidem pituita & bilis ad latus impacta fuerit, multaque ex reliquo corpore præterea affluxerit, quam neque ſpuendo propter copiam neque putrefaciendo ſuperare poſſit.* Quem textum jam ſuprà ad §. XIII. expoſuimus.

Prognoſis bilioſæ pleuritidis ſuppuratæ ex eodem Coo.

§. XXIV. Periculum in mixta biliari pleuritide à ſuppuratione facta minitatur Medicinæ Parens lib. Prænot. *Horum verò locorum dolores* (loquitur de locis pleuritidis) *qui neque per ſputorum purgationes, neque ſecum alvi dejectionem neque venæ ſectionem, aut medicamenta purgantia, & victus rationem ſedantur, eos ad ſuppurationem tendere ſciendum eſt, ex ſuppurationibus autem admodum exitiales ſunt, quæ ſputo adhuc quidem bilioſo exiſtente ſuppurantur; ſive bilioſum illud ſeparatim, ſive unà cum pure expuatur. Idque potiſſimum ſi ab hujuſmodi ſputo ſuppuratio procedere cæperit, cum morbus ad diem ſeptimum pervenerit. Qui verò talia ſpuit, ne decimo quarto die moriatur, metus eſt, niſi quid boni acceſſerit.*

Prognoſis ejuſdem à bilioſis ejectionibus.

§. XXV. Nec ſolùm per ſputum bilioſas pleuritides judicari, ſed etiam per alvinas egeſtiones bilioſas aut urinas retrimentis bilioſis criticè ſaturatas, declinato abſceſſu; non autem judicari nec abſceſſum declinari, ſi deſint hujuſmodi ſecretiones ex alio textu ad eundem locum appoſito habeto. *Si febris deſinet, neque dolor conquieſcit, neque ſputum ex ratione procedit,*

neque bilioſæ ſunt alvi egeſtiones, neque beneſolutæ ac ſinceræ, neque urina admodum multa, & copioſum habet ſedimentum; ſuffragantur verò ad ſalutem reliqua omnia ſalutaria ſigna; in his hujuſmodi fore abſceſſus expectato.

Explicatio duorum ſuperiorum textuum Hyppocratis.

§. XXVI. Hippocrates in toto *prænotionum* Libro quò ad morborum acutorum, præprimis pulmonarium eventus, judicationes, & reverſiones, præ aliis quibuſcumque elucubratiſſimo, ut, veluti acutorum polare ſydus, aſſiduè à medicantibus conſulendus ſit, tum maximè in binis his noviſſimis Textibus, totam bilioſæ Pleuritidis, aut mixtæ, aut ſinceræ hiſtoriam aperit. Poſtquam memoratis locis ſputi pleuritici naturam omnem, & conditiones ſingulas, bonas, malas, peſſimas, ejuſque ad diverſa morbi tempora habitudines divinè inſtruxerit, nunc in ſputi ſubſidio primam judicandæ bilioſæ pleuritidis rationem decernit, alteram in Diarrhæa biliari ſpontanea, tertiam in revulſione per venæ ſectionem, quartam in catharticis, quintam in urinaria derivatione, tandem eſt invictus ratione: His rectè non inſtitutis, dolore cum febre perſeverante, ſuppurationem, imò & abſceſſum prænunciat, ut ut ſigna alia ſalutaria compareant, quæ in levata febri, ſpirandique anguſtia, pulſuque inſuper molliori reddito, ſiti ac æſtuatione imminuta conjicienda ſunt. Sudorem inter bilioſæ Pleuritidis ſubſidia non accenſet, quæ in aliis pleuritidum generibus expetit, & magnifacit: Bilis etenim delinquentis lentores ex cutis ſpiraculis non difflantur, ut palam eſt in febribus bilioſis intermittentibus, quas copiæ ſudorum non judicant: Compares ideò ſputi, alvi, urinæ ejectiones proficuas ſolum obſervat, & poſtulat, quibus omnibus quodcumque bilis peccantis craſſamentum elutriari immediatè poteſt. Sanguinis miſſionem intermiſcet, quâ quidem non cauſa morbi, ſed potiùs fortuitæ circumſtantiæ variæ proſpiciuntur, ut conſideratum fuit ſuperiùs. Suppurationem præcipuè in hac pleuritide omnium peſſimam judicat,

quæ

quæ ſine bilis morbificæ ſuppuratione accedit: Equidem præterquamquod ſi bilis pleuritica ſuppuretur, vera ſuppuratio non eſt, ſed potiùs ſalutaris concoctio, ſeù pegaſmus ſine ſuppuratione; Nam non bilis ſed ſola lympha nutritia, ſeu ſuccus, ut aiunt, alibilis, in ſanguine ſuppuratur; quoties in biliari pleuritide bile non ſuppuratâ, ſuppuratio ſuperveniat, primò cauſæ hujuſmodi morbi primariæ ſeu biliariæ nimia tenacitas, & peraſſatio, rebellis pepaſmo revelatur; ſecundò ea ſuppurantur quæ ſuppuranda non ſunt, quæ autem ſuppuranda non ſuppurantur. Quod ſi ſuppuratio hæc indebita verſùs ſeptimam obveniat; pejor adhuc & ad interitum feſtinans: morbus qui ad ſtatum abſque ullâ cauſæ peccantis concoctione, pervenit, funeſtus eſt. Statum autemblioſæ pleuritidis ſeptima determinat. Bilis tamen vel poſt ſeptimam adhuc incocta, quod ante decimam quartam aliquando coquatur, ſeu ſuo modo ſuppuretur, aut è pectore, ad aliqua emiſſaria ſubitaneè propulſa effluat, liberando pulmones, illud eſt quod ſibi vult Hippocrates effato illo: *Ne decimo quarto die moriatur metus eſt; niſi quid boni acceſſerit.*

De ſuppurationibus in Pleuritide ex Hippocrate.

§. XXVII. Mixtam ulteriùs pleuritidem, ſeu billioſam, & Catharralem, ejuſque aleam variam ſecundùm varium principiorum prædominium, & complicationem videtur annuere ſummus Legislator noſter lib. de loc. in hom. *Et qui ex pulmonis inflammatione aut morbo laterali pus intro colligunt, minimè moriuntur, ſed convaleſcunt. Purulenti verò ut plurimum fiunt, cum fluxio ad eundem locum velut in bilis fluxionibus decubuerit. Sed in bilis quidem fluxionibus multum defluit, & ubi defluxerit, ſedatur; purulentis verò tum minùs defluit, tum minùs ſedatur.* Et paulò inferiùs: *At vero bilis hoc modo periculi plena eſt, ſi in oculis regius morbus oboriatur, in unguibus livores oborti fuerint, corpus ulcera habeat, parteſque circa ulcera lividæ fuerint, cum ſudor non toto corpore, ſed aliquâ tantùm corporis parte erumpit, & cum febre remanente ex pallido vireſcens*

excreatur ; aut ſi excreatio ceſſet , cum adhuc in pulmone remanet ex pallido vireſcens . . . Ita ſunt pulmonum inflammationis , & lateralis morbi indicia. Hippocratica hæc loca ſub obſcuro contextu comprehendunt ſyndromem rariſſimarum obſervationum, quæ non niſi poſt diuturnam , ſedulamque experientiam medentibus inclareſcunt. His etenim , ni fallor , expertiſſimus Senex diſcriminat ſuppurationem latiſſimam à ſtricta, & legitima ſuppuratione in pleuritide catharrali, aut bilioſa, aut ſimul junctis, cum febre ſecundùm circumſtantias varias minori, aut majori, ut inde eventum in utriſque prænunciet ; facilem, tutum , & ſalutarem , in prima ; difficilem, pernicioſum , aut ſaltem ancipitem in altera, veluti in tabem, aut ſuffocationes proclivem ; Primam videlicet , quâ *minimè* , ut ait, *moriuntur , ſed convaleſcunt* , non quidem cum abſceſſu, aut pulmonis disruptione prognatam , imò nec propriè ſuppurationem, ſed quandam maturationem ſimplicem ſeri catharralis , quod priùs ſubtile , & per pulmones diſperſum , à reticulis pulmonalium vaſorum in veſiculas tranſudat, ex his in bronchia colligitur , & recollectum inſpiſſatur à calore partis, avolante unà cum aëre ſubtiliori ejuſdem portione : facilè etiam ex bronchialibus glandulis in bronchia immediatè eructatur, & ibidem ſimiliter coquitur. Suſceptâ hâc habitudine conſiſtens in aëreis fiſtulis fluxionis materies, faciliùs per ſputum ejicitur. Interdum collectus in tracheæ propaginibus , & trunco , nec non recoctus catharrus , novis laticibus à ſanguine ſuppeditatis ulteriùs imbibitur , & irroratur , ut quandam induat liquaminis formam ; præcipuè ſi latices glandularum bronchialium (non illas intelligo, quas depingunt glandulas aliqui in eiſdem tunicis tracheæ , & bronchiorum ; ſed quæ per totum pulmonem, manifeſtæ , ingentes, & uberes, ad quaſcunque bronchiorum diviſiones exteriùs aſſident, & cum eis per propria excretoria communicant) conſiſtentiam, veſicularium laticum texturâ multò minùs concreſcibilem , ducant. Hac de re pluribus in locis Hippocrates *ſuppurari* & *pus colligi* ſolam eſſe inſpiſſati , coctique, aut etiam prædicto modo poſtea eliquati catharri pleuritici

collectionem

collectionem in bronchiis, intelligit; Quem nempe humorem ille pepaſmi gradus attigerit, & immutaverit, quo puris natura referri quoquomodo videatur. Ita *lib. de vict. rat. in acut.* proffatur: *Cocta autem ſunt ſputa; cum puri ſimilia fuerint*: Ita magis hujuſmodi ſuppurationem à vera, & legitima per allatum textum excludit, cum aſſerit: *Purulenti verò ut plurimum fiunt, cum fluxio ad eumdem locum velut in bilis fluxionibus decubuerit.* Bilem etenim propriè non ſuppurari, ſed ſolùm maturari jam vidimus. Addit præterea: *Ex puris intro collectione convaleſcere;* Quod certè convaleſcentiæ, judicium in veris ſuppurationibus non ita liberaliter pronunciat. Equidem, quod è pulmonibus per tuſſim ſæpenumero excernitur purulentam ſpeciem repræſentans, id non omne verè purulentum eſſe manifeſtò liquet nobis, frequenter obſervantibus excreatus pulmonicos in ſanis, ſanoque aut non ſenſibiliter morbido pulmone præditis obvenientes, abſque ullâ præcedenti, aut ſuccedanea affectione præcipuè poſt ſomnum, & lymphæ nutritiæ diſpenſationem ad viſcerum omnium receſſus; cujus certè roris alibilis pars veſiculis pulmonum, & bronchiis liberaliùs in variis ſubjectis affuſa, quendam extraordinariæ cocturæ gradum per ſtaſin ſuam adipiſcitur, ut, veluti purulenta, manè cum tuſſi excernatur; interdum etiam ex variis aliorum ſuccorum extraordinariè pariter coctorum, ideoque flaveſcentium, virideſcentium, lividorum &c. mixturis variegata. Hac de re quemadmodum nihil eſt ſupra pulmonalem excreatum, quod magis purulentam habitudinem mentiatur, ita etiam in praxi nihil magis operoſum eſt, quàm veram phtiſim à ſpuria, ſeu ab illa, ubi ſola catarrhi, ut dicitur, putreſcentia abſque viſceris læſione concurrit, ex ſolo excreatu purulentias affectante, internoſcere; niſi excreatus hujuſmodi hemoptoicis ſuperveniat. Videmus igitur quàm latè pateat ſuppurationis nomen ex ipſomet Hippocrate, qui licèt frequentiùs ſuppuratos illos nuncupetur, quibus *inter Thoracem, atque pulmonem pus acervatur*, ſeu propriè empyematicos (ut hoc etiam de titulo apud quamplurimos ejuſdem ſenis interpretes acceptatiſſimum ſit, *Empyematis*

nomen ſignificare omnem in genere ſuppurationem; quod tamen ut patet eſt perperam acceptum) alias tamen pulmonum phaſes diſſimiles eodem nomine indigitat. Ita etiam Galenus comment. 6. in Aphor. 20. vult: *Suppurari nomen eſſe unius mutationis in ſanguine* veluti genericum. Idemmet Galenus competentem ſuppurationis in genere deſcriptionem exporrigit *De Medic. ſimpl. facult. Lib. V. Cap. 6.* quam non prorſus in hoc paragrapho ſuppurationum importunam ratus, lubenter ſubjungo: *Tres ſunt alterationes, ſeu coctiones in animalium corpore adnumerandæ: Vna planè ſecundùm naturam, ſeu coctio ciborum: Altera è contra planè præter naturam, ut quæ in putreſcentibus omnibus, corruptiſque accedit: Tertia ex utraque miſta, atque media, ſeu ſuppuratio, quæ ab ingenito quidem fit calore, ſed non planè vincente; neque enim ex materia peragitur, quæ prorſum benigna ſit, neque tamen ex omnino aliena.* Revera quæ ſuppuratur materies, eſt quidem alibilis, ſed quoquomodo vel in motu, vel in conſiſtentia, vel in mixtura debet eſſe depravata, ut ideò ab ingenito calore impugnetur. Cæterùm deſcriptæ latiſſimæ ſuppurationis, ſeu catarrhi recocti, indeque per anacatharſin expurgati benignum genus ante ſeptimam, imò ad tertiam, aut quartam diem, vel in ipſa catarrhali pleuritide ſimplici, ſæpenumero confectum animadvertimus. Ex hoc ſuavi coctionis gradu febris, dolor, & ſpirandi difficultas miteſcebant. In eadem pleuritidis ſpecie contigit olim mihi, ſemel atque iterum obſervare ab hoc ſuppurationis genere oborta, poſt ſeptimam vix elapſam, empyemata; lenia tamen, & facilè, citoque curabilia, ſputo interea adhuc copiosè, imò liberaliùs profluente. Nam inter coſtam ex poſtremis legitimarum anteriorum unam, & alteram elevato die octavâ, aut nonâ molli quodam tuberculo, ſub eodem fluctuans materies percipiebatur, hæcque ad levem vix ictum lanceolæ erumpens copiosè profluebat. Erat autem, ut ſuprà, catarrhale non verè ſuppuratum liquamen, quod poſt decem, aut duodecim dies integrè expurgabatur, febre ad tempora expurgationis deſinente, cum ſputo, & dolore pleuritico; atque punctione intercoſtali

per

per idem tempus coalitâ, ægrotantes non ultra vigeſimam optimè judicabantur. Ex his alter pectore benè valens, iſchuriâ renali non ita pridem defunctus eſt: Alter intactam ad has uſque dies valetudinem ducit. Nulla etenim ruptura viſceris, aut ulceroſa diatheſis ab hoc empyematis genere oborta eſt, quod nempe ex ſola per ſubſtantiam, & tegumenta pulmonis tranſudatione habitum judicandum venit: Nec inſuper memorata hucuſque primi gradus ſuppuratio unquam ex ſe ſe in pulmonibus continui ſolutionem molitur; ſecus ac veræ ſuppurationes mox deſcribendæ. Fortè igitur Hippocrates per illam textus ſuperiùs allati particulam: *Qui ex pulmonis inflammatione, aut morbo laterali pus intro colligunt, minimè moriuntur, ſed convaleſcunt*, non tantùm blandam ſuppurationem hucuſque deſcriptam, ſed productum ab eadem empyema, memoratis meis non abſimile, cum facili, tutâque morbi judicatione deſcribere cogitavit. Ut, ut ſit, Creberrimi ſunt catarrhalium pulmonis ſimplicium affectuum pepaſmi cujuſcunque gradus. Siquidem ex Galeno comment. 3. in Progn. cap. 23. *Humoribus craſſis, & crudis natura per abſceſſum, aut per coctionem medetur.* Illa tamen allatorum meorum caſuum coctionis celeritas eſt equidem rara; ut pote eodem Galeno dictante comment. 7. in aphor. 34. *Frigidum omne eſt difficulter ſolubile, & vix coctionem admittit, & perinde diu durat.* Sed in affectione pleuritica catarrhali ſanguis à vaſorum preſſuris magis interdum retardatus, atque accumulatus notabiliorem indè in pulmone fervorem inducit, ut catarrhi, quantumlibet crudioris, coctionem feſtinare poſſit; quandoque, ſecundum majorem adhuc inditi fervoris gradum, veluti ſubitaneam excitare. Videtur indè Cous comparare circuitus pleuriticæillioſæ fluxionis cum pleuritide catarrhali prædicto modo ſuppuratæ. *Sed in bilis quidem fluxionibus multùm defluit, & ubi defluxerit ſedatur; purulentis verò tum minùs defluit, tum minùs ſedatur.* Quibus utique meo judicio ſignificare contendit, in orgaſmo, aut methaſtaſi bilioſa pleuritica ex ſputo faciliori, uberiorique celeriorem fore ſolutionem, non item in catarrhali hujuſmodi pleuritide, ob

cauſæ,

cauſæ, quantumlibet ſolutæ, lentorem. Ita Galenus comment. 3. in Prognoſ. cap. 29. *Humores calidi per excretionem, frigidi per abſceſſum vacuantur.* Accedit poſtea Magnus Medicarum rerum Legislator in ſuperaddito textu ad illud ſuppurationis genus circumſcribendum in biliari pleuritide, quod poſt ſeptimam, imò ordinariò poſt decimam quartam, in morbi ſtatu, factoque apoſtemate, aut ſaltem legitimâ ſuppuratione ſuperveniens, in ſuffocationem communiùs, aut, ſi in quadraginta diebus non purgetur, in tabem irreparabilem ægros perducit. Equidem ſuppurationem hujuſmodi deſignare videtur ex accedenti oculorum flavedine, unguium, aliarumque partium livore, ulceroſâ diatheſi, ſudore partiali (quem præcipuè nocturnum, & ad pectoris regionem & ſuperiora intelligendum duco; tum quod ipſemet Cous in variis empyematibus pernicioſum ad Caput, collum, & ſuperiora ſudorem memoret; ita in Coacis inter indicia ſuppurationis affert *ſudores circa collum, & jugulum*; tum quod præcipuè exponat aphor. 38. ſect. IV. *Quâ parte corporis ſudor eſt ibi ſignificari morbum.* Quod ideo & reciprocè intelligendum venit) & maximè ex febris contumacia, cum arido, viridique purulento excreatu (quæ virideſcens ſuppuratio omnium peſſima eſt, eo quod, quemadmodum ſuppuratum non malum, *album*, *leve*, & *æquale* eſſe oportet ita virideſcens ſuppuratum praviſſimam bilis coctionem lymphæ ſuperadditam, intermiſtamque denotat) tum ex eodem ceſſante, & putri materiæ in pulmonibus ſuperſtite. Conſtare nobis ulteriùs poſſet de periculoſa ſuppuratione, diſpari à benigna priùs expoſita voluiſſe Coum in hoc altero textu ſermonem inſtituere, ſi eumdem textum cum alio in Coacis, deteriorem ſuppurationem enunciante, conferre velimus, quo pacto deſcriptionum ſimilitudines palam fiant. En textus: *Omnes quidem purulentos ita deprehendi oportet: Primum ſi febris non dimittit, eaque interdiu levior eſt, nocte increſcit; frequens ſudor, tuſſis & cupiditas tuſſiendi, ubi tuſſiendo penè nihil extuſſitur; oculi cavi, malæ rubent, ungues adunci; calor extimorum digitorum; pedum edemata; cibi faſtidium; puſtulæ toto corpore ſparſæ:* cui pariter

alius

alius collimat ejuſdem in Coacis, de ſuppuratis, & empyematicis verba facientis: *Quibus autem veniunt inde febres, & ſitis, & cibi faſtidium, atque pus exit lividum, aut viride, ſpumans, & fervidum, alvusque liquida eſt, moriuntur.* Et ſicuti Hippocrates his locis poſtremò appoſitis peſſimam, & deinceps lethalem ſuppurationem deſcribit, ut jam periculoſam deſcripſerat in textu, ad principium paragraphi expoſito; *At verò bilis hoc modo periculi plena eſt &c.* Quo certè loco malam bilis coctionem cum catarrhali ſuppuratione infauſtè concurrere ſignificatur; Ita qui conferat has ultimas deſcriptiones ſuppurationum pulmonis cum prima deſcripta ſuppuratione, quâ *minimè moriuntur, ſed convaleſcunt*, non erit ampliùs cur ſibi non perſuadeat, divinum Senem varias ſuppurationum pulmonicarum ſpecies, ſalutares, periculoſas, calamitoſas, & lethales apprimè ſeduloque diſtinguere; Quas ut nos revera diſtinximus, ita nemo, quod ſciam, ex tot Hippocratis commentatoribus hucuſque diſtinxit. Quamobrem neceſſariam hanc, & tam frequenter in praxi ſpectandam locorum Hippocratis circa ſuppurationum differentias, & conditiones collationem, ut ut ab inſtituto aliqualiter deviam, tamen in utilitatem medentium noſtro huic biliosæ pleuritidis tractatui invidere noluimus.

Varii ex Pleuritide ſuppurationis Gradus clariùs adhuc exponuntur.

§. XXVIII. Et ut Hippocratica oracula Tyronibus planiora faciam, tres ſuppurationis gradus pleuritidibus ſupervenientes Meis, & Hippocratis obſervationibus diſtinguam. Primus igitur, ut ſupra, gradus eſt, quædam ſeri concreſcibilis à toto ſanguine per pleuriticos pulmones retardato, ac reſtricto expreſſi, & decidui recoctio, interdum & ſolutio, ut alia humoris compoſitio, quandoque etiam liquaminis in ſeſe nonnihil conſiſtentis ſpecies emergat. Quæ tamen nova ex catharrhali fluxione productio in locum pulmonis determinatum non recolligitur, ſed ut priùs per veſiculas pulmonares, & bronchia

fuerat diſperſè depoſita, ita & in iiſdem loculis immutatur, & remanet; hinc pluries repetitis pulmonum preſſionibus, aut ſenſim ſuperiùs ad tracheam protruditur, ibidemque vel ſuſceptam conſiſtentiam aſſervans, vel (ut communiùs ob aërem trajicientem, & exiccantem fit) denſiùs adhuc conglobata, per vices expuitur; aut etiam (quod rariùs, ſed tamen, ut ex allatis caſibus, poſſibile) pellitur paulatim ad latera, & à rara pulmonis tunica in antra Thoracis tranſudando, levius producit empyema; vel utraſque ſimul partes exequitur. At iſta, ut exploravimus, legitima ſuppuratio non eſt, ſed ſimilis ſuppurationi immutatio; nec verum eſt pus quæ excreatur materies, aut empyematica evadit, ſed tantummodo puriformis: Nec cum hujuſmodi conficitur maturatio ſimilans ſuppurationem, febris ingraveſcit, aut rigor ſupervenit, aut reſpiratio difficilior accedit; nec quando confecta eſt, febris illico notabiliter imminuit, aut acutus dolor in ſimplicem gravativum immutatur, veluti in vera ſuppuratione contingit. Gradus hujuſmodi non veræ ſuppurationis ſuper alios omnes communiùs in Pleuritide affectis occurrit. Gradus alter veram ſuppurationem importat, cum efferatiores, fervidioreſque lymphæ à pleuritico cruore ſejunctæ in ſpeciali pulmonis loco, aut plurimis ſimul diſtinctè locis collectæ, nec non in tuberculum, vomicam, apoſtema folliculatum, ſeu abſceſſum, (ſunt nempè hæc omnia non niſi per gradus, aut etiam per nomen diſparia) turmatim ruentes, & aggeſtæ, ibidemque per integrum pepaſmum recoctæ, in pus legitimum faceſſunt; quod indè vel ſenſim per excreatus expurgatur, aut etiam diutius quieſcit in parte, ſacco morboſo involutum veluti in cuniculis deliteſcens. Tertius tandem illa collecti puris in vomica multitudo eſt, aut vis erodens, & fodicans, ut ſociatis viribus vectis, & cunei, non tantum vomicæ, ſed etiam pulmonis latera violentiùs abrumpat; hinc ſuperiores ad excreatum, & laterales ad gravius, ſeu ulceroſum empyema eruptiones fiunt, communiùs tamen lateraliter magis, quàm ſuperius, ob puris ponderoſitatem. Huic empyematis generi refertur perniciosiſſimum illud, quod textu

noviſſimè

noviſſimè allato annuere videtur Hippocrates, & apertiùs locis aliis deſcribit. Secundus & tertius ſuppurationis gradus à locis Hippocraticis ſolidè per Duretum explicantur in Coac. fol. (mihi) 255. Primus cæterùm deſcriptus ſuppurationis gradus in ſimplicibus, & communioribus pleuritidibus accidit, lymphaticis, biliaribus &c. Alter in mixtis, ſeu ſanguineo-lymphaticis, ſanguineo-biliaribus, aut lymphatico-biliaribus occurrit: Tertius nonniſi in phlogiſticis ſinceris pleuritidibus; quæ tamen fortiſſimæ non ſint: Has namque, viis cruoris per pulmones ſummè conſtipatis, ut itus ejuſdem, redituſque tandem intercipiantur, ante ſuppurationis tempora abire in necroſin, ſuperiùs vidimus §. XI. Signa harumce omnium ſuppurationum præcipua ex Coacis Hippocratis elicere quiſquè poterit: Interea alteri ſolùm, & tertio pleuriticarum ſuppurationum gradui apprimè convenit Aphor. XV. Sect. V. *Quicumque ex morbo laterali ſuppurantur, ſi in quadraginta diebus purgentur à die à qua fit ruptio, liberantur, ſi verò non, ad tabem tranſeunt.* Et ſatis de pleuritica ſuppuratione.

Bilioſarum Pleuritidum genuinæ diviſiones.

§. XXIX. Ex tot itaque Hippocraticis ſenſis jam novum non erit, quod bilioſa in genere pleuritis alia ſimplex ſit, alia mixta: Simplex, quæ à ſola bilis delinquentia, morboſaque ejuſdem in pulmonibus congeſtione, abſque eſſentiali aliorum humorum labe, ortum ducit: Complicata, in qua bilis in pulmone delinquens proprium etiam lymphæ vitium, aut ſanguinis verè phlegmonoſum ſibi in conſortium adducit. Rurſùs ſimplex alia mitior & brevioris circuitus, alia gravior, ſæviorque; Prima ex bilioſo dumtaxat orgaſmo progenita, cum bilis morboſæ copia mediocris, ſecreta jam à toto ſanguine, eique tamen adhuc ſuperaffuſa, & veluti innatans, cum eodem pulmonares reticulos percurrens, ibidem à curſu ſuo nonnihil retardatur; viſceris idcirco partes omnes laceſcens, extimulans, convellens, membranæ ſuccingentis acutum dolorem,

ſanguinis retardationem à criſpatura vaſorum, hinc febrim, & anguſtiam ſpirandi, hinc tuſſim à ſtimulis, excreatus a tranſudationibus in bronchia, aliaque pleuritidis ſtigmata manuducens. Verum enim verò cum bilis in hoc orgaſmo pleuritico vaga per ſanguinem ſit, ſuoque adhuc impetu, & mobilitate cieatur, facilè à pulmone diſcutitur, ac expeditur, to o pulmonis affectu interdùm etiam ante ſeptimam evaneſcen e; ut locis non paucis adnotavit Hippocrates. Biliarem hunc affectum, ut non externis thoracis partibus ſed ipſis pulmonibus infixum, pleuritidem quidem nuncupabimur, ſed per ſolam irritationem. Altera quæ gravior eſt à bilis Methaſtaſi, ſeu decubitu per fluxionem, ortum habens, cum totus quantus ſanguis pulmonicus bilis peccantis confuſâ affuſione luxuriat, tùm ſolidametipſa pulmonalia, vel tota, vel plurima eodem delinquenti ſucco imbibuntur. Hæc ſtaſis biliaria in pulmonibus legitimam Phlegmonem univerſo ſymptomatum ſatellitiô frequenter ſimilat, præcipuè in fervidis ſubjectis & juvenilibus, ſiccâque æſtate, & calidiori. Cæterùm pleuritisślioſa ſimplex, tum prima ex deſcriptis, ſeu minor, tum altera ſeu major alvinis evacuationibus, ut toties ſuperiùs commentati ſumus, aliiſve ſimilibus præſidiis depellenda venit; quibus in genere Hippocraticum illud, præter tot alia, oraculum conſentit: *Quibus in febribus dolore lateris fiente alvus multa aquoſa, & bilioſa egerit, alleviantur:* illudque aliud ex Coacis: *Pleuriticis autem prodeſt alvum molleſcere*; ut jam ſuperiùs memoravimus. Mixta igitur ſeù complicata pleuritis bilioſa, in qua bilis extranea cum aliis pariter peccantibus ſuccis per areas pulmonum debacchatur, alia eſt ſanguineo-biliaris, cum ſanguis ſimul & bilis in pleuriticam affectionem conjurant; alia lymphatico-biliaris, ſeu bilioſo-catarrhalis, cum lympha, ſeù pituita ſimul, & bilis. Varias de his complicatis pleuritidibus hippocraticas obſervationes contulimus, ſignatim in §. XIII. & XXI. aliiſque plurimis. Pleuritis hujuſmodi biliaris complicata, ſecundùm bilis, aut ſociorum delinquentium humorum præpolentias varias, & productiones, modis variis ſuperiùs expoſitis oppugnatur.

De

De Vera Pleuritidum bilioſarum ſede.

§. XXX. Dixi Pleuritides omnes biliares, etiam ſi ſimplices ſint, non jam in externis Thoracis partibus defigi, ſed in ipſamet ſubſtantia pulmonum. Hoc nec fortuitò, nec leviùs dictum admonet Duretus, aliique Hippocratis clariſſimi Interpretes, non tantum antiqui, quàm recentiores ſenis diviſioni Pleuritidum in pleuritidem propriè bilioſam, & pleuritidem propriè non bilioſam non integrè, opinor, advertentes; ut indè oppoſitos ejuſdem Præceptoris textus, alvi profluvium in pleuritide modò approbantes, modò reprobantes, ſimul conciliarent, cogitarunt jàm, pro illa pleuritide, in qua Hippocrates alvinæ purgationis utilitatem teſtatur, non quidem eſſe pulmonis affectum intelligendum, ſed Lateralem dumtaxat per coſtas, ac intercoſtalia, congeſtionem externam, à cachochymiâ aliquâ, ex hypochondriis, ſeù ut dicitur more Hippocratico, ex præcordiis ſursùm delata, vel à Capite in fluxionis modum inferiùs depluente, & exteriora infeſtante abſque ullo pulmonis affectu. Sed non benè caſtigatam eſſe hujuſmodi interpretationem eruo ex eodem Hippocrate, qui in his Lateralibus doloribus, quos ut bilioſas pleuritides, aut mixtas, aut ſinceras deſignat, ſuppurationes, abſceſſus, empyemata, ſputaque inde pulmonica, coctionibus variis, aut ſuppurationibus obſignata commemorat in locis illis ſuis ſuperiùs per §. XXII. & XXIII. allatis, aliiſque plurimis; conſtatque practicis, dolorem merè Lateralem, ſeù ſpurium, ut dicitur, nunquam in ſuppurationem emigrare; nec niſi ab affectis pulmonibus ſputa hoc modo diſpoſita amandari; nec ideò niſi iis bilioſos hujuſmodi affectus aſſidere. In doloribus aliquibus lateralibus, quos ut bilioſos deſcribit Hippocrates, nonne periculum, imò ipſummet obitum minitatur? ſuper hac re Textum citatum in §. XIII. & XXI. aliumque in §. XX. recognoſcas velim. Interea externi Laterales morbi, ſi ſoli ſint, periculo vacant. Textu illo citato ad §. XXV. ſenex non obſcurè deſcribit fluxionem

 bilis

bilis non jam in exteriora Thoracis, ſed in ipſos pulmones, ad procreandam pleuritidem lib. *de humor.* & in *epid.* recenſet cruentorum expuitionem in biliariis pleuritidibus: *Convenit quibuſdam ſanguinem detrahere tempeſtivè in talibus: in aliis autem velut in his non hoc convenit: Impedimentum in ſpuentibus cruenta; anni tempus, pleuritis, & bilis.* Nec tamen in doloribus Lateralibus externis cruenta expuuntur. Tandem in *Coacis* aſſerit Senex: *Lateris dolor in ſputo bilioſo, quod immeritò evanuit, inſaniam facit.* Nec tamen hoc omne ex dolore ſolùm intercoſtali unquàm producitur.

Hiſtoriæ ægrorum Hippocratis, appoſita ſuperiori paragrapho confirmantia.

§. XXXI. Sed quid plura? Conſulat Hiſtorias ægrotantium Hippocratis qui ſe certiorem exoptat, bilioſas illas pleuritides, quæ alvi fluxu ſolvuntur, in ipſiſmet pulmonibus ſyſtrophicè ſtabulari. En ægrotus XIII. VII. Epidem. *Cauponi, qui peripneumoniâ laborabat, alvus ſtatim ſubiit: Circa quartam diem ſudor multus accidit: Febricula ſoluta eſſe videbatur; Tuſſicula nulla erat, ut ità dicam. Quintâ, ſextâ, & ſeptimâ, deſinebat febris; ſudor octavâ; nonâ excreabat pallidum. Decimâ affatim non ſæpe alvus dejiciebat: circà undecimam mitiùs habebat: decima quartâ ſanus evaſit:* Audiamus nunc præcipuam ad hunc caſum interpretationem expertiſſimi Valeſii: *Rarum exemplum eſt hoc peripneumoniæ benè per alvi profluvium ſolutæ, nam ut in Aphoriſmo dicitur, à peripneumoniâ malum eſt. Neque ſanè ſucceſſiſſet, niſi pariter ſudaſſet, & excreaſſet homo* (hæc tamen ſola Valeſii conjectura eſt, non ſenſus Hippocratis, ut inferiùs videbimus) *Excreatio enim peripneumoniæ eſt principalis, ut Hippocraticè dicam, evacuatio; ſudor omnibus inflammationibus eſt conveniens: Acceſſit peculiaris quædam Cauſa, ob quam huic alvi profluvium contulit, ſpecies ſucci* (nec tamen ægrotus ſuccum aſſumpſit, niſi pro hoc ſucco intelligat interpres ſuccum biliarem in Corpore, & pulmonibus redundantem: Reverà proſequitur) *Nam color ſputi*

pallidus

pallidus bilis indicavit redundantiam, ea verò per alvum utiliter ſubit, aut ſubducitur. Itaque etſi morbi ejus ſpecies ſolvere ventrem non ſuadeat, ſi tamen bilis redundare videatur, licet ob cachochimiam etiam in eo morbo aliquando facere. Illud enim habuit egeſtio alvi conveniens, quod dejiceret acervatim non ſæpè. Nam talis egeſtio quia eſt copioſa confert, quia rara rectè fertur. Ex his itaque liquido patet, peripneumoniam hujuſmodiললbilioſam fuiſſe, utpotè bilioſo alvi profluvio ad principium levatam, ad ſtatum, & declinationem ſolutam; morbum interim verè pulmones obſidentem; ut extrà omne dubium eſt: Pleuritidem autem à peripneumonia non differre niſi per gradus, aut etiam ſi mavis, per ſitum affectionis in pulmonis corpore, ſcilicet externum magis in prima, internum in altera, ſed in utriſque ſemper affectum pulmonem, nemo ad has dies jam ambigit. E contra ægrotus alius, poſt hunc ſervatum Cauponem ab Hippocrate immediatè deſcriptus, qui eſt XIV. VII. eorund: Epidem; eodem morbo, peripneumoniâ ſcilicet biliari, ſimilibuſq; ſymptomatis percitus, decimaquintâ moriebatur, cum productæ per alvum in ſtatu morbi bilioſæ dejectiones ſupprimerentur. *Hermoptolemo poſt pleiadum occaſum febris ſupervenit: Tuſſis non valdè vexabat, lingua autem qualis eſt peripneumonicis. Nonâ die ſudavit, totus refrigeratus eſt velut videbatur. Obtulerunt ipſi ſuccum, & circà meridiem caleſcebat. Undecimâ ſudavit, & alvus demiſit. Siccatæ ſunt bilioſæ dejectiones, & tuſſicula ſupervenit. Decima quartâ excreabat, & ſtertebat: Decimâ quintâ cum toto tempore mentis compos fuiſſet, mortuus eſt.* Audiamus aliqua ex interpretatore Valleſio: *Hic mortuus eſt eodem morbo, & eodem ferè tempore quo Caupo liberatus. Nam ex peripneumonia obiit hic die decima quintâ, ille ex eodem morbo liberatus eſt decima quartâ. Illud habuit ſimile hic morbus priori, quod ſudores, & alvi profluvia acciderint. Verum hæc ipſa fuerunt deterioris conditionis, & lethalia. Nam à ſudore refrigerabatur, & alvus cum fluere cæpiſſet, ſuppreſſa eſt intempeſtivè, & recurrente ſurſum bile, tuſſicula aucta eſt denuò, cum à principio fuiſſet exigua. Supervenerunt*

poſtremò illa duo peſſima ſigna, excreare pallidum decima quartâ &c. Ego tamen adnoto primò, mortuum eſſe hujuſmodi peripneumonicum, non quòd ſudores & bilioſa alvi profluvia fuerint *deterioris Conditionis, & Lethalia*, ut affert Valleſius; Sed quod hæc ſemel producta ſuppreſſa fuerint, ſudores tamen ut ut perduraverint, quia tamen peccanti Cauſæ compares non fuere ideò inutiles redditi: ſecundò, eventum hujus ægroti ſatis manifeſtare, Cauponem antecedenter deſcriptum per conſtantem alvi egeſtionem, principio obviam, ſtatuque morbi reducem fuiſſe judicatum, non autem per excreatum, aut ſudorem, ut voluiſſe Valleſius videtur: Nam hic ultimus ſuprà Cauponem meliùs ſudaſſe videtur, iteratò ſcilicèt, & diebus Criticis, ideſt ad nonam, & undecimam: Caupo vix ſemel, dieque non judicatoriâ, nempe octavâ. Meliùs inſuper quàm Caupo excreavit: Nam Caupo vix ad nonam excreaſſe narratur, idque pallidum: Hermoptolemus ad decimam quartam ſputum non vitioſum excreabat: Et Hermoptolemus *mortuus eſt.* Adnotato tertiò, Cauponem à morbo evaſiſſe per egeſtionem alvinam à naturâ procuratam, ſeu ſpontaneam. Non etenim commemorat Hippocrates ſuccos Cauponi fuiſſe propinatos: ſed in Hermoptolemo fluorem alvi bilioſum *à ſucco eidem oblato* fuiſſe advocatum ſuſpicor, à quo partam illico notabilem utilitatem conjiciendam linquit Hippocrates, qui quod bilioſæ ſuppreſſæ fuerint dejectiones conqueritur; & ſuppreſſioni ſubitam adjungit Tuſſiculæ invaſionem, & mox ſtertorem, & mortem. *Etenim* [doctiſſimè ad hanc Hippocraticam Hiſtoriam commentatur ornatiſſimus & addictiſſimus meus Joh. Baptiſta Verna opere ſuo eximio *Pleuritidis, morborum acutorum principis*] *exſiccatis bilioſis egeſtionibus in pectore materia pleuritica ampliùs augeſcebat, & premebat.* Cum autem apud Hippocratem, ſuoſq; omnes interpretes non ab externo Lateris, ſed ab interno pulmonali affectu exquiſitiores reputentur Pleuritides illæ, in quibus dolor uſque ad claviculam protenditur, jam ægrotus LXXXIV. VII. Epidem. Hippocratis, qui pleuritide & inflammatione captus eſt cum dolore uſque ad Claviculam, bilioſis

bilioſis tamen dejectionibus levatus, noſtra hucuſque de bilioſis egeſtionibus, veras, & pulmonicas biliares pleuritides judicantibus, commenta munit, & firmat: *Metonem poſt pleiadum occaſum febris corripuit, & Lateris ſiniſtri dolor uſque ad Claviculam protenſus, atque is adeò vehemens, ut quieſcere non poſſet, & inflammatione laborabat. Dejectio copioſa erat bilioſa, tribus ferè diebus ceſſavit dolor, calor verò circà ſeptimam aut nonam; Tuſsis aderat, excreationes neque ullo modo bilioſæ, neque multæ fiebant; verum pituitoſæ tuſſes comitabantur, cibos ſumebat, aliquando exibat velut ſanus: aliquando autem illum calores tenues exiguo tempore corripiebant: ſudores exigui ſub noctem: ſpiratio in calore frequentior aderat: maxillarum rubor, lateris gravitas, & ſub axillam, & ad humerum pertingebat: Tuſſes detinebant. Medicamentum per ſuperiora eduxit bilioſa: Tertiâ poſt medicamentum exiit pus, quadrageſimâ verò ab initio morbi: Per alios verò triginta quinque dies repurgatus eſt, & ſanus evaſit.* Copioſis bilioſis dejectionibus principio ſuppetias venientibus, ſtatim ad tres dies exulabat dolor, necnon ad ſeptimam aut nonam febris, & inflammatio: ſed cum bilioſis dejectionibus neceſſarii pariter hoc caſu bilioſi excreatus non reſponderent; nam *excreationes neque ullo modo bilioſæ, neque multæ fiebant;* hinc morbus ab alvi fluxu non integrè judicatus fuit: Bilis equidem, quæ fluere adhuc ad affectum pulmonis potuiſſet, copioſis ſedibus diſtracta fuerat; ſed quæ jam effluxerat, per ſputum non diſcuſſa, peperit cum pituita ſimul collecta primum illum ſuppurationis gradum à nobis §. XXVIII. ſuperiùs deſcriptum; ſimulque recoctionem paſſa, vagam febriculam ſeu calores; ſudores ſub noctem, graviorem in caloribus ſpirationem; lateris gravitatem, aliaque leviorem ſuppurationis ſpeciem conſectantia. Subductâ tamen per emeticum adhibitum, ut prius per alvum fuerat, novâ adhuc bilis delinquentis quantitate, reſidua pulmoni impacta leniùs, & fauſtiùs cum pituita matureſcebat; ut per judicans ſputum aliquot tandem hebdomadarum curriculo expurgaretur, ægrumque liberaret. Cæterùm, ut ut benignior ſuppuratio ſucceſſerit, hæc tamen nec accidiſſet, ſi ſputum bilioſum, bilioſis

Mm dejectio-

dejectionibus ſuperadditum, pulmones competenter expurgaſſet: Admonet etenim ſenex in Coacis tunc fieri in pleuritide abſceſſum, aut ſimplicem ſuppurationem, cum *Alvus non fertur liberaliter bilioſis dejectionibus*, *& ſputum convenienter non editur.*

Et ut hæc ſingula novo obſervationis munimine obſignentur, juvat hîc hiſtoriam bilioſæ pleuritidis menſe Octobri dum hæc ſcribo, mihi præſentem referre. Mulier quinquagenaria vegetæ, & bilioſæ conſtitutionis, febre cum rigore corripitur, nauſeâ ſimul, oris amarore, linguæ flavedine, ventris tenſione, & rugitu. A propinata catharſi multæ biliares ejectiones fuere, non tamen probè concoctæ. Ad finem diei ſecundæ, nocte mediâ, dolor ingruit lateralis punctim laceſcens, cum ſiti, ardore viſcerum, febre acutâ, pulſu tamen non adeo duro, ſpirandi anguſtiâ, tuſſi in primis cum ſputo ſimul ſanguineo, & ſimul intensè flaveſcente, ſeu propriè bilioſo (Nam quæ ſputa ad primas pleuritidis aleas flaveſcunt, nullâ adhuc inſurgente coctione, nonniſi bilioſa judicamus) ejuſdemque habitudinis ſputum ad uſque finem tertiæ, & principium quartæ proſequebatur, conſtanti ad noctem mediam exacerbatione febris, doloris, & difficultatis ſpirandi. Ægra ob febris acutiem, & æſtuationis vehementiam Phlebotomum paſſa fuit. Quartâ, ſputum notabiliter craſſefactum atque imminutum: Hinc major reſpirandi oppreſſio, pectoris tamen dolore evaneſcente, factâque capitis per levem ſoporem, & vaniloquium interpolatum aliquali invaſione. Quintâ præcavendæ hujuſmodi Epigeneſi parcam denuo ſanguinis detractionem imperabam, ac clyſtere acriori novæ adhuc bilioſæ dejectiones eliciebantur, ſputo indè reſtituto, eoque liquidiori. Sextâ ſputum adhuc uberius, ſed non ultra naturam bilioſo-ſanguinei: Ex novo clyſtere copioſa adhuc bilis ſubductio. Principium ſeptimæ mitior excepit conditio morbi, cum ſputo à prioribus non diſſimili, ſed fluidiori, & uberrimo. In ſtatu, & fine ſeptimæ diarrhæa ſpontanea bilis ſaturatæ, & concoctæ febrem, & reſpirationem mulcebat. Caput, menſque libera. Principio octavæ egeſtiones bilioſæ per alvum ſpontaneæ leniter perſeverabant. Exhibitum hac die

catharti-

catharticum, quo bilis benè concoctæ proluvie nón modicâ deturbatâ, delebantur febris, & tuſſis, ægra nil poſtea expuendo præter ſemel, aut iterùm quidpiam album & ſimpliciter catharrhale. Nonâ vix febris veſtigium, ſed nulla tuſſis, nullus excreatus. Ita pectoris affectio integrè eâdem die judicabatur, & ad undecimam febris. Nulla ſuppurationis ſpecies toto morbi decurſu viſa eſt.

Quædam pleuritidem, præcipuè biliarem, antecedentia, & conſequentia.

§. XXXII. Duo adhuc in rem noſtram: Primum quod antecedentibus bilioſæ pleuritidis; alterum quod conſequentitibus refertur. Quod pectoris acutos affectus, præcipuè bilioſos in deteriùs agit, eſt prævia, & ſubdola ejuſdem viſceris intemperies aliqua in ariditate, in laxitate, aliave quacumque imbecillitate, aut atoniæ gradu; inſuper in humiditate nimia, aut ſtrictiori naturaliter contextu: antecedens inſuper habitudo, in tumore aliquo ſenſili, aut inſenſili, pulmonibus interno, aut adnato, aut attiguo, aliove vitio aliquo organico, etiam externo, vel toti Thoraci, vel alicui ſolùm Thoracis parti aſſidente, præcipuè in quadam depluviorum, aut ſtaſium, ſeù defluxionum, ut dicitur; ſpeciali habitudine, aut facili in eaſdem relapſu. Ita qui ſaniori ſunt pectore, ſeu ſpirabilium partium vigore, & amplitudine præditi; Ab invaſione pleuritica faciliùs, ocyuſque liberantur; pulmones etenim qui ſani ſunt, vegetoque ſuo, ut par eſt, in fibris nerveis, muſcularibus, membranaceis naturali elatere pollentes, morbos varios, quibus fortuitò invaduntur, feliciùs, & celeriùs excutiunt: & è contra. Ità tuſſiculoſi, catharroſi, anhelantes, aſthmatici, gibbi, hemoptoici, & ſimiles ſi mediocri pleuritide, etiam ſolum bilioſâ, aliquando corripiantur, facilè occumbunt: Ita ex Aphor. 46. ſect. 6. *Qui gibbi ex aſthmate, aut tuſſi fiunt, ante pubertatem moriuntur*; mortemque hujuſmodi Galenus in commentario hujus Aphoriſmi ex facillima pectoris ſuppuratione auſpicatur.

Noſtroque adhuc ſene dictante, recidivantes pleuritides multo difficiliùs curantur; ac ſæpiùs in eas relabentes è vivis ſurripiunt. Prævia in primis pulmonum exſiccatio pleuritides etiam non ſummè exquiſitas, ut bilioſas, aut ſimiles alias, lethales conſtituit: *Quum pulmo etiam ipſe ſupra reſiccatus fuerit.* Hipp. Quod autem pleuritidi bilioſæ non bene judicatæ frequenter ſupervenit eſt in cerebrum Anadromes, aut morbus aliquis bilioſus cutaneus: Quoad primum: *Lateris dolor cum bilioſo ſputo præter rationem evaneſcens ægros in vehementem, & furioſam mentis emotionem agit:* Hipp. *in Coacis*, ut jam ſuperiùs retulimus. Quoad alterum: Bis in bilioſa pleuritide animadvertimus cum ſputo, & dolore quartâ die ſuppreſſis ingens ad totam faciem eryſipelas ſubitaneè depoſitum; quod tamen ad ſeptimam, topicis aliquot blandè diſcutientibus uſurpatis, præcipuè ex decoctione lentium cum flor. ſambuc. & tantill. camphor. & inſuper attemperantibus, unà cum tota pleuritide diſparebat; ægro per eandem judicationem utroſque ſimul affectus evadente. At ſatis de bilioſa pleuritide, ſimulque aliis, commentatus ſum. Nunc ad Guidettum meum revertor.

5. *Febres in primis quod attinet, nequeo non mirari diſparitatem illam notabilem quâ vernales Tertianæ ab autumnalibus diſcriminantur. In illis firmo ſtant talo Hippocratis dicta*; De judicat. In Aphor. & Coac. *Nempè*: Tertiana exacta quinto, aut ſeptimo, aut ſummum nono circuitu terminatur. Febris ſi aliquando intermiſerit periculum abeſſe ſignificat. *In iſtis è contra vix, ac ne vix quidem eorum veritas comprobatur. Rurſus ſi tertianâ vernali affectis labia exulcerentur, proximæ ſalutis indicium eſt, ſi autumnali detentis hujuſmodi exulceratio contingat, interdum acutiorem, vel ſaltem prolixam prænotat febrim. Idem obſervamus ex ſudoribus, aliisque excretionibus paroxiſmalibus. Vnde autem diſparitas? An ex diverſis peccantibus fluidis, variisque ideo eorumdem diſcraſiis petenda? Nequaquam: Nam ab ejuſdem recrementi bilioſi vitio, hâc præ illa tempeſtate diverſo, arguendum cenſeo: Quæ namque contingunt verno tempore tertianæ ab orgaſmo quidem bilioſo produci autumo per hyemalem adiapneuſtiam accumulato. Verumtamen*

cum

cum ob animalem, ut ita dicam, antiperiſthaſin à frigido ambiente contractam validior chilificatio, & reliquæ exactiùs elaboratæ fuerint pepſes; idcircò bilis à craſi ſua naturali vix deflectentis genus ad ſecretiones, excretioneſque ſuas perficiendas proximè diſpoſitum comperiatur, faciliùs poterit effervescentiæ febrilis ope, ſoluto lenteſcentis lymphæ connubio ſecerni, & viis reſeratis eliminari per alvum, renes, cutim, aliasque vias etiam non conſuetas. Hoc pacto per regulares periodos evocata redundans cholera ægrotos brevi dimittet priſtinæ ſaluti; ni fortè rigidior bruma, ut aliquando contingit, lentoribus augendis anſam dederit, præcipuè in corporibus minùs vegetis, ſicque retardato pepaſmo, per plures exigat paroxiſmos atteri, & per congrua præſidia eliquari, ac fluido-fieri exuberans recrementum, priusquam educatur.

DE TERTIANIS VERNALIBUS.

Canones Practici.

Canon I. ÆStivas febres manifeſtè periodicas, in primis intermittentes, ab accenſæ per tempeſtatis intemperiem, aut toſtæ, aut modis aliis exaſperatæ bilis erroribus ortum genuinum ſuum auſpicari, ut variis ſuperiùs locis, ita abundè magis inferiùs explanabimus. Quoad vernas febres, præcipuè intermittentes, ſi æſtas auſtrina, fervida, & ſicca præceſſerit, hæ ſuccedente vere, etiam ante adventum caloris, præcociter erumpunt: Ut vere hujus anni 1720. poſt fervidiſſimam æſtatem ſuperioris anni, aliiſque proportionaliter ad alios annos temporibus vernis, luculenter animadvertimus. Si oppoſita æſtatis conſtitutio fuerit præhabita, intermittentes nonniſi ad finem veris, auſtriſque jam efflantibus, & ambiente notabiliter excalefacto egrediuntur. Ideo jam non minús præcoces, quàm tardiores vernales tertianæ à bile ſunt: Primæ ſcilicet ab hoc ſucco per præviæ æſtatis inclementias depravato, nec non autumno hyemeque ſuccedentibus, quæcunque ſit cauſa, in viſcerum receſſibus conſtricto, & recondito, mox ab elatere Ætheris vernalis excitato, &

ſoluto: Alteræ ab eodem liquido per veris fervores in cauſam febriferam recenter parato. Ita quò vernum tempus celeriùs incaleſcit, & ad æſtatis conſtitutionem approperat, eò citiùs intermittentes expergiſcuntur.

II. Vis obſervationi ſupervenit ex manifeſto febrium æſtivarum bilioſarum recurſu in vernum tempus ſuccedens. Nam fervidioris æſtatis aut autumni intermittentes, præſertim in bilioſis, & juvenibus, poſt methodicam univerſalium, ut dicitur, remediorum adminiſtrationem, febrifugo compreſſæ, eædem ſequenti vere, aut æſtate frequentiſſimè repullulant; harumque novarum deflagrationum auxilio, & inſtrumento febrilia retrimenta omnia, hactenus in ſanguine refractaria, ſi medici prudentia conſpiret, integrè, ut plurimum, ab ægri corpore tunc temporis expurgantur. Ulteriùs, quæ intermittentes per autumnum, & hyemem ad vices feriantes, & ad vices recidivæ, uſque ad vernum tempus errabundæ protrahuntur, hâc utique tempeſtate recoctæ, & veluti ad debitam maturitatem evectæ, eâdem perfectè in ſubjectis, non ulteriùs malè habitis, judicantur.

III. Ex his deducimus, Tertianas febres, quæ ineunte vere accenduntur, eidem tempeſtati non eſſe familiares, & nativas, ſed potiùs extraneas, & fortuitò advenas; videlicet præcedenti æſtate, aut autumno creatas; eas inde, fomite nec probè, nec integrè à corpore excuſſo, ſed vel imperfectis naturæ nixibus, vel etiam remediis quidem depreſſo, tamen adhuc ſuperſtite, tacitè hyemem tranſiliiſſe, at per vernum ætherem noviter ſuccuſſo extraneo, auſpiciis prioribus reſurgere.

IV. Deducimus inſuper, tertianas, quæ vere non adhuc in æſtatis fervores migrante attolluntur, reſiduum ferè aliquod ſuperioris æſtatis biliare incendiculum critico vividiori motu è corpore excutiendum fovere; hinc ſimpliciores fore, magis regulares, leves, atque breviores; quemadmodum è converſo, quæ æſtate, aut autumno ſoboleſcunt, ut potè ex actuali, atque diffuſiori productæ bilioſo incendio, diuturniores, aut graviores fieri conſueverunt.

V. Non

V. Non inficior, febres plurium generum periodicas ab aliis ulteriùs, præter bilioſum, principiis quandoque verno tempore procreari: ſic ſuperiùs innuimus Cap. IX. §. VIII. ſecundæ partis, vernas ut plurimum febres produci ab humore cujuſcumque naturæ, qui per hiemen in latibulis ſepultus, & otians, ab æthere novo ſubinde excitatus, ſecernendæ ſubſtantiæ ſuæ colatorium conforme non ſtatim adinvenit; hinc quouſque in ſanguine reſtitat, eundem immiſcibilitate ſua in febriles motus adigit: ſed ſi verni temporis ingreſſu tertiana, præprimis exquiſita, febris invadat, hanc eſſe propriè bilioſam confirmo; cujus videlicet bilioſum eſſe ignitabulum revelant tum ſymptomata univerſa bilioſa, tum eadem, ac in cæteris biliaribus morbis, per bilis concoctionem, & excretionem, aut pacationem, inverſionemve, judicatio.

VI. Labiorum, ut & pinnarum naſi, & linguæ apicis puſtulæ, fiſſuræ, excoriationes, leves exulcerationes, atque excruſtationes ex bile acriori, ſubtiliorique ad has partes à ſanguine eructatâ, in intermittentium ſtatu crebertimæ, licèt non perpetuò in tertianis autumnalibus mali ominis ſint, ut innuere videtur Guidettus noſter, imò ſalutarem quandoque judicationem auſpicentur; tutiùs tamen in vernalibus ſalutem proximam deſpondent; Quod idem de ſudoribus, ſecuriûs in vernalibus morbum decidentibus, infidè verò, & ſemper imperfectè in autumnalibus, adnotamus: Idque morbifici humoris tenuitati, mobilitati, parcitati, & potiſſimùm novo cuidam, vegetoque impellenti, & defæcanti principio, in vernalibus ſupra autumnales, arrogandum venit.

6. *Æſtivas autem & præſertim autumnales tertianas doloſo frequenter incedere greſſu nemini latet. Invadunt hæ primis diebus eodem omninò more, ac exquiſitè intermittentes; Aſt poſt tertiam, ad ſummum quintam periodum (ſi nullis, aut perperàm inſtitutis remediis tractentur) fiunt duplices remittentes, mox continuæ malique moris cum alvi irritationibus, turbationibus flatulentis.* Et ſæpè bilioſis dejectionibus, modicum aut nullum Levamen *præſe ferentibus, vel cum ſudoribus intempeſtivis ac ſymptomaticis, aut* *nullis,*

nullis, iiſque ſuccedente cutis quadam ariditate, & ſquallore cum acuto & mordaci calore tangentibus obvio, ventris tenſione imò & interdum tumore univerſali tenſivo, aliàs tandem cachectico. In pluribus vomituritiones cientur ſpontaneæ ne dum initio morbi, ſed ejus quoque progreſſu: In pleriſque dumtaxat ad eaſdem proclivitas, vel anorexia, & oris amaror: In omnibus anxietates cum Zona totam hypochondriorum, lumborum, renumque regionem veluti conſtringente, cum extenſione ad dorſum gravativa, atque univerſali laſſitudine. Ex quibus abundè liquet, bilem præ cæteris humoribus febres iſtas accendere quarum plurimas, ut monebam, niſi ab experto Medico prudenter regantur, ad necem aſſolent malignarum ſtigmate terminari, vel ægros ſaltem ad plures hebdomadas angere, ac longam medentis aſſiduitatem defatigare.

DE INGRESSU TERTIANÆ

Biliaris pernicioſæ, ejuſque Indicatione.

Canones Practici.

I. Tertiana biliaris pernicioſa hîc à Cl. Guidetto exhibita, ſuperiùs à nobis exarata, ſecundùm tempeſtates, ægrotantium ætates, temperamenta, & bilis peccantis copiam, impetum & locum, variis invadendi modis, variiſque acutiei gradibus invadit. Brevior æſtate ſed fortior; Contumacior autumno ſed lenior: ad autumni finem malignantior. In juvenibus picrocholis, & bilioſis immanior: In ætate provectioribus vitales functiones, & animales, præcipuè arbitrarias notabilius adoritur: ſenes inter rigorum exceſſus eripere minitatur. Ubi peccantis humoris multitudo, aut impetus validior extat, crebriores, gravioreſque ejuſdem circuitus producuntur, & ardentiora ſymptomata. Si colatorium ſuum magnam partem vitiatus ſuccus inhabitet, & per vices in ſanguinem refundatur, apertiores fiunt exacerbationes, & remiſſiones; ſecus ſi magna ejuſdem portio ſtabuletur in ſanguine. Commune tertianæ pernicioſæ

pernicioſæ ingredientis dignum eſt, febrem cum notabili per primas vias biliari tripudio intermittenter inchoatam mox in continuam extendi cum vehementioribus ſimptomatibus, eſſentialem quidem continuam acutam ſimulantibus, ſed diſtincto ſemper circuitu, cum rigore, aut horrore invaſionis, & præſertim conſtantibus per primas vias biliaris turgeſcentiæ ſtygmatibus, nauſeâ, cibi faſtidio, interdum & vomitu, præcipuè in paroxiſmorum ingruentiis bilioſo, amaritie oris aſſiduâ, linguâ ſordidâ, & communiter flavâ, ſiti, dolorificis ad epigaſtrium, aut hypocundria abdominis tenſionibus, inteſtinali murmure, alvinis fluoribus, aut irritamentis, cæteriſque animalis Oeconomiæ ex depravatâ bile læſionibus, quas affabrè Guidettus noſter exponit, adnotando potiſſimùm meſenterii concuſſiones, & diſtractiones varias ab inteſtinorum, & coli præſertim, paſſionibus, undè moleſtæ in ejuſdem ambitu, atque origine ſenſationes. Cætera pro Diagnoſi pernicioſæ tertianæ ingreſſus ex ſuperiùs à nobis, & nunc à Guidetto expoſitis repetenda ſunt.

II. Arduum profectò, nec ſolutum huc uſque phænomenon eſt, in his, aliiſque febribus arbitrarias vires, ſeu muſculorum voluntariis artuum & trunci motibus inſervientium, actiones, plus aut minus notabiliter infirmari, atque interdum ſufflaminari, dum interea neceſſariæ, ſeu muſculorum centralium & viſceribus advolutorum, principibus quidem vitæ functionibus, non verò voluntatis nutui famulantium, vires, conſtanter adhuc permanent, & quandoque vividiùs exercentur, eâdem præſertim cauſâ motus in Inſtrumentis utriſque ſuppoſitâ. Pro hujuſmodi verò Phænomeni ſolutione dicendum puto, motus omnes, qui ad vitam neceſſarii plurimis animalium muſculis donati ſunt, quemadmodum per totam vitam perennes eſſe debuerant, ita etiam ad non ingens molimen inſtitui. Agunt idcircò hujuſmodi muſculares potentiæ ſuper ſolam liquidorum gravitatem, quæ ſatis exigua eſt, nullâ inſuper exiſtente antagoniſtarum ab eiſdem ſuperandâ reſiſtentiâ. Ob hanc rationem motus muſculorum hujuſmodi liquidorum communiter interfluentium affuſione, propriâque ſtructurâ invicem conſpirantium

 abſque

abſque alio momento ſuperaddito celebrantur, ut ideo inalteratè, eâdemque ſemper neceſſitate fiant in morbis omnibus, quo uſque conſueta liquida per hos muſculos trajiciuntur, horumque inſuper muſculorum naturalis ſtructura ſervatur. Sed idem profectò in arbitrariis motibus haud quaquam contingit: Quemadmodum enim quæ pro illis adhibentur Inſtrumenta muſcularia majoribus gravitatibus interpolatè ſuperandis dicantur, ità præter propriam ſtructuram, liquidorumque communium alluvionem curſus aliquis liquidorum extraordinarius ſuperaddendus venit, quo certè tum antagoniſtarum reſiſtentiæ, tum ſolidarum movendarum partium gravitates unà vincantur. Sed hæc nova liquorum ſuperaffuſio ad arbitrarios motus obeundos non adeò facilè ob irregulares fluidorum motus perdurat, & ſuggeritur, ut è converſo in morboſis quibuſcumque affectibus fluit adhuc ordinarii liquoris unda per neceſſarii motus Inſtrumenta: Nec ideò in febre, aliiſque morbis arbitrarii motus, ut inarbitrarii, perſeverant. Sed quò me diſtraxerant ab iis jam foliis relegatæ, theoreticæ diſquiſitiones? Ad praxim pernicioſæ tertianæ febris regredior.

III. Bilis itaque in hujuſmodi febrium ingreſſu redundantis, & depravatæ, uno verbo, turgeſcentis efferationes, & malitiæ in deterius adhuc ruentes præcavendæ ſunt, uſurpata celerrimè generoſiori Catharſi, atque in robuſtis emetico: hinc ſtatim liberaliter præſcripto, vel primo curationis ſtadio, nullâque expectatâ coctione, Peruviano febrifugo.

IV. Nam cum memorata ſymptomata non modicum in primis viſceribus apparatum turgeſcentis Bilis denuncient; idcircò ex Hippocratis oraculo eâdem die, eâdem horâ purgandum eſt. Sed cum in ſubjectis quamplurimis febrili hoc genere conflictatis ferociſſimi bilis circuitus inducias omnes excludant, nec ſatis catharticis obtemperaturi ſint, neque poſſint catharticorum iterationes, abſque virium exſolutione, & concidentiâ naturæ, ſatis adimpleri, hi tunc celeriùs ſupprimendi ſunt, aut, primis aleis intermixto cum purgantibus febrifugo, aut etiam iiſdem præpoſito; tum febre hâc pernicioſâ ſolis febrifugis

primo

primo ingreſſu oppugnatâ , atque depreſſâ, purgantibus deindè pacatiùs ſubrogatis, atque juxta exigentiam repetitis, ſecundùm varias turgeſcentię biliosæ, & productorum circumſtantias adhiberi opera poterit. Qui dictitant febrem per corticem febrifugum deletam , ſi poſtea cathartica propinentur, revocari, fomite ſcilicet à ſtimulis, & concuſſionibus catharſeos ex amplexu febrifugi ſoluto , & in novam libertatem vindicato , hoſce toto quidem celo hallucinari aſſidua nos edocuit experientia , quâ ægros poſt exhibitum corticem à febre liberos , per ſubrogata purgantia tutiùs à relapſu prȩcaveri, recognovimus. Febrilis materies per totum corpus diſperſa poſteaquam febrifugis particulis implicata corpulentior idcircò craſſiorque reddita fuerit, ſi non integrè ab univerſa maſſa ſejuncta eſt, addictiùs ſaltem in ſe ſe conglobata & cohærens, ſuccedaneis cathartici percuſſionibus cedere faciliùs poteſt, cumque adnexis febrifugi moleculis unà ſubduci. Hoc ſanctè referre poſſum , in innumeris caſibus , eorumque plurimis (ut dubium ad lancem veritatis apponerem) de induſtria tentatis , ęgros cujuſcumque habitudinis, & quâcumque tempeſtate à febre quâlibet intermittenti, aut intermittentis naturam participante per febrifugum vindicatos , hinc propinato cathartico nec magis nec minus in febrim fuiſſe relapſos quam ii , quibus catharticum præſcriptum non fuerat ; ut ideò decernendum videatur , purgantes , poſt uſum febrifugi adminiſtrationes ad revocandam febrim , vel non revocandam nil penitùs conferre.

V. Tutò itaque in perniciosis his febribus, febrifugum quocumque tempore, potiſſimùm purgantibus immixtum propinetur: Imò debellatâ febre , ut ejuſdem regreſſui proſpiciatur, ſucceſſivè & epicraticè per 20. 30. imò & interdum 40. dies minori doſi exhibendum. Quod ſi regredi febrim contingat, nervoſiùs ſubitóque repetendum : Infringi enim hoc modo bilioſas quaſcumque exploſiones , & partitis vicibus , diſperſas, inverſas, ac depreſſas ſubſtantias hujuſmodi febriferas ; Ad naturales tandem ſecretiones , excretioneſque compelli aut emendari ſaltem, atque ad eas tranquillè diſponi quotidiana praxis confirmat.

7. *Nec ſimplex bilioſi recrementi exceſſus; ut ſic reputandus venit harum febrium incendiculum, ſed fellea potius cacochylia, craſſioris ſcilicet, acrioriſque Bilis per æſtatem ſenſim provecta, tribus potiſſimum de cauſis, videlicet propter eſculentorum eam augentium ingluviem fructuum horeorum, ſalitarum carnium, Vini Meracioris* &c. *Secundò propter languidiores Ventriculi vires, & ſuccorum Chilificationi inſervientium inopiam, vel alterationem. Tertiò ob jugem, nimiamque ſubtilioris biliariæ portionis exhalationem, ut & aqueæ diluentis, per poros cutis, atque craſſioris ab æſtu perenni aſſationem. Quo fit, ut viſcidius factum hujuſmodi Recrementum altiores agat in viſceribus ſtaſes. Quod innuiſſe videtur Hippocrates* de Nat. hom. *his verbis*. Bilis eorum omnium quæ in corpore ſunt cum ſit glutinoſiſſima maximè diuturnas ſtationes facit. *Et quarto de Morbis ſubdit.* Incaleſcente corpore aqua foras exhalat; Quod verò bilioſum eſt cum denſum atque cohærens ſit neque ſimiliter exhalat. *Cum autem ex ejus redundantia aut cohærentia naturæ infenſa ſequi neceſſariò debeat fermentatio præter naturalis, cujus ope ſequatur ingruentis colluviei attritio, & ſubtiliatio ſufficiens ad ſecretionem, excretionemque: hinc oritur dictarum febrium occaſio, imò & neceſſitas ut mox addit laudatus Cous eodem loco de morbis, nempe* extenuatus bilioſus humor efficit ut corpus magis incaleſcat copioſius enim & aptiùs alimentum febri ſuppeditat. *Sed quid ultra pergo in Pathologicis inquiſitionibus recanendis, quas tam affabrè in ſecunda Hiſtoriæ tuæ Hepaticæ parte exaraſti Vir æternum colende; Dum ſcribendi occaſio nil aliud depoſcit quàm ſimpliciſſimum exhibere animadverſionum ſpecimen, earum videlicet quas meæ praxeos decurſu e Lectulis ægrotantium decerpere datum eſt ad Therapeiam firmandam? Omiſſis itaque ulterioribus ratiocinationis argumentis, ſtatim ad ea quæ ad medendi methodum pertinent, candidè indicanda me confero.*

DE BILIS NATURALIS.

In Febriferam Mutatione.

Canones Theoretico-Practici.

I. SI quandoque contingat, ut vel ob raptus ventorum, vel tempeſtatum inclementiam, aut victus nimiæque exercitationis errores, aut impetus animi aut aliâ quâque de causâ quidquid biliaris extat in ſanguine, aut ejus plurimum, in reſtrictiorem, rigidioremque naturam immediatè convertatur, aut rorida, aquea ſolutaque, quæ pro vehiculo eidem addita pars eſt, ad illam uſque menſuram abſumatur, ut memorata concretio, rigiditas, aut utraque ſimul accedant, In novum profectò elateris gradum, novoſque ocillandi modos adigetur hoc liquidum, aut ejus ſaltem determinata quantitas: Idcircò nec aptè ſecretum in ſanguine, aliam in eodem fluido ſanguineo lineam cohæſionis, & niſuum ſuſcipiet, & alios conſequenter motus naturalibus abſimiles; ut ideo cruori fiat extraneum, & totam febrilis ſtimuli naturam induat. Sed hec inferiùs, ubi de febris natura diſſertatio inſtituetur, abundè exponentur.

II. Quod ſi Bilis in ſtatum mutetur oppoſitum, ſeu ultra naturalem compoſitionem ſuam (quęcumque adfuerit, aut pręceſſerit cauſa) ſolvatur, laxetur, & liqueſcat in ſanguine, in extraneum, & febriferum non minùs vertetur, quoties ſolutione ſuſceptâ, proportionaliter diverſos in ſe ſe, & cum ſanguine cohęſionis niſus obtineat. Primum Bilis vitium in genere febres intermittentes ferè procreat: Alterum continuas ſed de his fuſiores alibi ſermones inſtituimus.

III. Bilis febrilis interdum in ſanguine, contagii ſuo genere pollet, ſuamque per partes liquidorum optimas, aut ſuccos quotidiè in alimoniam per primas vias elaboratos, labem celeriter diffundit. Videmus frequenter homines in victus regimine

Nn 3 cautos,

cautos, & benè valentes, non bilioſos, non Ictericos, non hepate, aut alio viſcere oppilatos, prævio Bilis idcircò apparatu minimè percitos, modicâ priùs febre, hinc ſenſim augeſcente cum variis bilioſis circuitibus prehenſos, ab eâdem haud quaquam expediri, niſi poſt longum tempus, atque tantas ſucceſſivè bilioſas excretiones, quę fortaſſe liquidorum omnium in vaſis circuentium menſuram & pondus aut ęquent aut ſuperent. Plurimas hiſce caſibus liquidorum ſanguinis, aut aſſumptorum alentium non biliares ſubſtantias à bilioſo fermento in bilem extemplo depravari, & converti ſuſpicimus, ut ex aceto acetum, aut ignis ex igne progignitur. Id prętcrquam in morbis aliis, pręſertim pręſtitum evidenter percipimus in febri, ex cholerica paſſione homines priùs incolumes, nec ullâ bilis colluvie aurea detentos, repentinè invadente: In febre ex ſerpentis morſu, ex ira, ex venenis variis introſumptis, ex ovis barbi piſcis comeſtis, aut pravo quocumque alio alimento, præcipuè ex horariis fructibus, non ne exundationes extemplo bilioſę, & ſubitaneę interdum graviſſimę icteritię enaſcuntur cum bilis immenſis copiis per partes omnes erumpentibus? ut ideò bilis quandoque ſcintilla, in morem ignis elementaris, eſcâ diſpoſitâ, magnum undequaque per ſanguinem biliare protinùs excitet incendium.

IV. Nec paradoxam, aut obſcuram conceptui, ingentem hanc, & ocyſſimam in febribus, aliiſve morbis Bilis ex bile multiplicationem his videri poſſe arbitramur, qui legerint primâ parte hujus Hiſtoriæ ſubſtantiam cruoris potiſſimam, bilis eſſe remotum principium, pituitoſam videlicet gelatinoſam, ramoſam portionem, quæ cæterorum omnium ſanguinis principiorum uberrima eſt, poſt longos ambitus, attritiones, & incaleſcentias in Bilis corpus faceſcere; ut ideo crudum ſanguinis ſulphur nuncupati eamdem fuerimus. Quamobrem ut hæc crudi ſanguinei ſulphuris pars in coctum, uſtumque ſulphur, ſive bilem, multo præcociter convertatur, ſeu quod diuturno tempore naturaliter conficitur negotium, breviſſimo abſolvatur, ſat eſt, ut aliquod in ſanguine principium aggregetur, ex quo

ramoſa

ramoſa ejuſdem elementa celerrimè in illos calefactionum, & attritionum gradus, procreandæ Bilis temperaturæ conformes, adigantur: Huicque operi præſtò eſſe bilem ipſam in quibuſdam morbis & febribus peculiari modo commotam, & efferatam Cous ipſe lib. de Morbis teſtatur. *Bilis* inquit *Commota cum ad ſanguinem, & venas ingreſſa fuerit, ſanguinem ex compacta compage cum Commotione dimovet, & ſeroſum facit, & calefacit: calefactus autem præ febre reliquum etiam corpus totum percalefacit.*

8. *Cum itaque dictis temporibus, æſtate nempe & autumno, rarò ut dixi, contingant febres ex ſe ſe abſque artis auxilio depurativæ, ut ineunte vere; Cumque nec in omnibus corporibus eandem ſervent omninò naturam; ut certa remediorum teſſera poßit omnibus indiſcriminatim conferre, præſertim quod attinet ad univerſalia præſidia: ſequitur jam ut (quamvis à bilioſo infarctu in ſingulis excitari comperiantur) ratione diverſorum ſubjectorum, & victus regiminis diverſus quoque morboſus apparatus accumuletur: Quo fit, ut in præſcribenda alterutrâ ex univerſalibus præſidiis, evacuatione, varia & dißimilis exſurgat Indicatio ſaltem initio febris in uno ſubjecto diversè ab altero: Cujus ſigna non ſemper ſe produnt adeo manifeſta, quin adhuc ſuperſit dubitationi locus: ſæpißimè enim ad ægrotos vocatus tantam, tamque confuſam mirabar ſymptomatum turbam, ut purgatio ne, an venæſectio, vel neutra in primis foret eligenda decernere anceps & ſummi ponderis negotium eſſet. Solemnes namque evacuationes, quæ aliquibus neceſſariæ videbantur, aliis veluti pernicioſæ, præſcribendæ non erant. Nec doctorum ut ut gravißimorum, conſilia poterant in illis caſibus ſuffragari, quin in alterutrâ operatione tentanda adhuc extaret ambiguitas.*

DE

DE CURATIONE ANTIPRAXIA.

In Ingreſſu Morborum Bilioſorum.

Canones Practici.

I. IN Febrium bilioſarum ſimplicium, ſed vehementiorum ingreſſu an purgatio deligenda ſit, aut potiùs ſanguinis miſſio, maxima frequenter occurrit curanti perplexitas. Febris quidem ipſa in juvene, aut robuſtô ægrotante, violenta, nec non acerbiora ſymptomata, præcipuè pulſus duri, vibrantes, & celeres, cum æſtuatione, ſiti, dolore capitis, anxietate, Bilis per primas vias turgeſcentia è veſtigio non adeo manifeſta, manifeſtior potius cruoris ipſius turgeſcentia, ſuſpectæ ideo alicujus ad partem aliquam nobiliorem majoris irruptionis diſpoſitiones, prεferendam protinus miſſionem ſanguinis imperare videntur. Sed è converſo ſi in biliaris hujuſce febris ingreſſu, tempeſtatis, & temperamenti in ægrotante conſtitutio de biliari morboſo principio admoneant, habitus præcipuè, excretiones, morbi periodi, biliaria tandem per univerſum corpus indicia in argumentum purgationis accedant. Quid, ſi hæc omnia ſimul invicem confuſa ſint atque promiſcua, ſeu, ut dicitur, æquè indicantia (nam ſi disjuncta, unaque aliis prævalentia deprehendi queant, perito Clinico difficile non eſt, alterutram fidenter præferre) quid, inquam, in hujuſmodi antipraxia agendum expediet?

II. In æquali Indicatione, & urgentiâ Phlebotomiæ, & catharſeos in eodem ſubjecto, eodem momento à ſanguinis miſſione inchoandum eſt; Nam majus, & promptius periculum imminet à ſanguinis quàm à bilis turgeſcentiâ. Turgeſcenti ſanguini breviſſima via eſt à vaſis ſuis ad partes obſidendas. Bili vero ex propriis latibulis ad partes longiùs iter impendet & greſſus communiter tardior. Hæc fusè agitantur in noſtris Inſtitutionibus medicis, tract. Therap. cap. 3. quas publici juris aliquando

aliquando faciemus; In quibus autem particulatim circumſtantiis preſtò ſit ad Pleuritides Phlebotomia, ſuperiùs vidimus; In quibus ad hepatitides inferiùs examinabimus; In quibus autem ad febres propriè biliarias adhuc magis inferùis declarandum erit, cum de epidemiis bilioſis.

9. *Exploratâ aliquando harum febrium naturâ, methodus ſequens mihi eſt probatiſſima. Cum primùm accerſitus in prima morbi invaſione (quod raro evenit. Nam alterna intermiſſio vel remiſſio anſam præbet ægrotantibus differendi medicam implorationem ad uſque novas periodos) ſedulè ſciſcitor, qualis ſit febricitantis Idyoſincraſia, victus ratio; atque exercitatio. Quod ſi plethoricum, meri bibulum, aut exercitiis deditum hominem, aut juvenem feminam conſuetas purgationes regulariter non paſſam, curandam aggredior, atque hujuſmodi ægrotantes in paroxyſmo capitis dolore lancinante, membrorum laſſitudine, jactatione, reſpiratione anheloſa, & anxietate conflictentur, non vereor, præmiſſo enemate, curationem auſpicari per phlebotomiam. Quâ inſtitutâ nil mihi ſtudioſius eſt, quàm frigefactum, concretumque ſanguinem inſpicere, coccyneam ne, an variegatam, aut lenteſcentem ſuperficiem referat: Quod ſi purpuream inſpexero, ſupernatante licèt ſero ſaturatiori, eſt mihi argumento, in viſceribus naturalibus bilioſum vitiatum penus procul dubio latere. Animadvertendum tamen eſt an rubellus ille cruoris color à delicatâ nimis Chirurgi inciſione, vel à lento ejus per cutim repentis, non proſilientis effluxu proceſſerit; Nam ſæpe fit ut promiſcuè concreſcat in diſco, fluoris tempore nullo facto partium integrantium divortio, aut præcipitatione, ut cæteroquin fieri ſolet, quando ſanguis per amplam inciſionem libero proſilit gurgite.*

DE INSPECTIONE EXTRACTI SANGUINIS,

Præcipuè in Biliariis Affectibus,

Canones Theoretico-Practici.

I. HYppocrates de vict. rat. in acut. in phlogiſtica Pleuritide coloris extracti ſanguinis mutationem expectandam jubet. *Venam*, inquit, *ſecare prodeſt in cubiti flexura interna, & non cunctari copioſum ſanguinem detrahere, donec multò rubicundior fluxerit, aut pro puro, & rubicundo lividus: utrumque enim contingit.* Baglivus detracti ſanguinis mutationes in Pleuritide apertiùs adnotat, & judicat lib. 1. prax. med. *In Pleuritide, peripneumonia, & hujuſmodi inflammatoriis pulmonum morbis, ſi in ſanguine è vena ſecta extracto non appareat in ſuperficie cruſta alba, quæ neceſſariò apparere debet, peſſimum: materia namque illa cruſtam efficiens in pulmone remanet, eumque infarcit; undè paulo poſt creſcunt febris, inflammatio, ſpirandi difficultas, & reliqua ſymptomata: ſi verò in altera ſanguinis miſſione incipiat apparere; bonum: Contra, ſi in ſecunda nè quidem apparebit, abſtineto ſtatim à ſanguinis miſſione, aliter interficies ægrotantem; quia per repetitam tùm ſanguinis miſſionem ſanguis ſpoliatur parte volatiliori, unde major ejuſdem ad coagulationem via præbetur; ut mihi retulit pro humanitate ſua vir doctiſſimus Dominus Lanciſius amicus noſter.* Sed ipſe ab aſſidua praxi crebriores adhuc obſervationes recolligo mutationis coloris ſanguinis in inflammatoria pleuritide, atque adventûs cruſtæ albæ laudatæ, non quidem ad primam, aut alteram miſſionem, ſed ſolùm ad tertiam; quin imò & ſolum interdum ad quârtam, intrepidè adhuc ſuſceptam cum optimis ægri rebus, morbique judicatione mox ſuccedente, non obſtante cruſtæ illius defectu in prima venæ ſectione, & in altera, nec non in tertia. Quæ quidem obſervationes his placitis Baglivi, & Lanciſii omninò adverſantur. Interea Phaſes hujuſmodi inillioſo ſanguine,

ſanguine, & bilioſis ſyſtrophicis affectibus expectandæ non ſunt.

II. Etenim quò morbus bilioſior eſt, eò murice ſuo rutilantior, ſincerior extractus cruor, & in ſe ſe compactior poſt moram aliquam conſtanter deprehenditur, cum innatante ſero communiter ſubflavo in humidioribus ſubjectis, quorum præſertim vena latam à Phlebotomo paſſa eſt inciſionem, cum nullo verò in ſiccioribus, accedente leviori atque anguſtiori venoſi canalis vulnere. Sed undè jam hoc phænomenon? An quòd bilis in determinatis latibulis morboſè collecta fuerit, & concentrata, ut ideò fluens per orbitam cruor, principiis magis homogeneis donatus, vividiùs etiam naturalem colorem præ-ſe ferat? An potius repetendum erit ab intimiori, cum ſanguine ſubtilioris bilis confuſione, & ſimul exaltatione, eodem ferè pacto ac attenuata quædam ſulphura nec non ab alkalicis in liquore aliquo exaltata exquiſitiùs rubeſcentem tincturam procreant?

III. Sanguis è contra in affectibus pituitariis, ſeu catharralibus è vena eductus, & ſubſidens ferè non concreſcit, ſed difluit adhuc ſolutus, ſimul etiam liveſcens aut nigricans, cruſtâ modò albidâ, modò flavâ, quandoque viridi, aliâve denſiori, aut tenuiori, duriori, aut laxiori obductus, interdum etiam nullâ, ſed vix portioni cuidam ſeroſæ liquidiori ſubjacens. In complicatis biliariis, & lymphaticis affectibus variegati cruores extracti, ut plurimùm, conſpiciuntur.

IV. Plena interdum cementi ſanguinei, ſeu nutritii glutinis ad extracti ſanguinis ſuperficiem excentratio, & in unam molem collectio minima ſanguinea ſubjacentia ſoluta inter ſe ſe, disjuncta, adhuc ideo fluitantia, hinc & apparenter liquata dimittit. Interdum (quæcumque ſit cauſa) celeriùs ad educti ſanguinis ſuperficiem gelatinoſa cruſta concreſcens, totam eandem cooperit, priùs quàm à ſubjectorum cruoris globulorum gravitate & momento contractili, ſuperius fuerint ad ſuperficiem depulſæ ſolutionis ſeri portiones, quæ ideo coactæ per eoſdem globulos, & interſpersæ, liquiditatem, & quandam

ad oculum uniformem miſcellam eădem ulteriùs conſervant, impeditâ tomenti induratione. Quandoque totum extracti ſanguinis ſerum per omnia globulorum intervalla concreſcit, aut etiam per ſinulos tomentoſorum concretorum corporum ubicumque occultatur: Hinc utroque modo uniformis ſanguineæ ſubſtantiæ ſequitur induratio.

V. Profectò ſuperducta extracto cruori cruſta conſiſtentiæ variæ, aut coloris, aut denſitatis, aut molis, ſubjacentem ſanguinem liquidum, aut non liquidum deſinens, ex variâ lymphæ nutritiæ habitudine, ſeu veluti coctionis diverſis gradibus, ut alibi diximus, auſpicanda eſt.

VI. Varia lymphæ nutritiæ habitudo ad ſe excentrandum, vel non excentrandum in extracto ſanguine, ab ejuſdem ſanguinei fluidi, per vaſa animalia circuentis, motu vario dependet. Et ſanè in febrilis circuitus augmento, cruſtis illis nutritiis, albis, aut flavis eductus ferè ſanguis non cooperitur, quibus tamen in eodem ſubjecto, & in ejuſdem febris remiſſione, obductum ſe prodit. Hujuſmodi phænomenon ab humorum in augmento febris majori confuſione, minori verò in ejuſdem declinatione inferendum eſſe conſultum duco, ita ut pacatiores ſucci ſpecificas gravitates, & cohæſiones ſuas multò faciliùs, quàm turbati poſſint repetere.

VII. Non nulli ex alteratione variâ & miſcellâ intermixti ante extractionem aëris, in extractione occurrentis, poſt extractionem circumfuſi, univerſas educti ſanguinis habitudines deducunt. Reverà, ut etiam annuit Guidettus noſter, ſanguis per anguſtius venæ foramen extractus diverſam continuò habitudinem induit à reliquo per latius educto; & ulteriùs vaſi traditus, ac quieſcens diverſis etiam modis alteratur juxta varias ſuperficierum obvii aëris habitudines. Atqui detur aëri propria poteſtas, ſua quoque principiis ſanguini ingenitis. Cur verò non eſt auxilio pleuriticis extractus ſanguis colorem adhuc ſuum uniformem coccineum inalteratè conſervans? Cur majus ſolamen ex eodem variegari inchoante percipitur? Cur maximum, & integra ferè, fauſtaque morbi judicatio, cum ex eodem

eodem brachio priùs pertuſo, eodem venæ hiatu, eodemque ambientis ſtatu eductus cruor tegmine verſicolori gelatinoſo, &, ut dicitur, pleuritico induitur, ut pariter in affectibus bilioſis univerſalibus præclar. Guidettus obſervat?

VIII. His omnibus non conſuetæ dumtaxat ex pleriſque obviæ in morbis variis multiplices extracti ſanguinis phaſes reddi palàm queunt, ſed & rariores, ac fortuito eidem ſubjecto, & morbo, accedentes quoad extractum ſanguinem, nunc ſummè ſeroſum, nunc ſiccum, concretum, aut eliquatum, ſincerum, vel incruſtatum variiſque coloribus præditum. Sed hæc diligentiùs excutient practica noſtra Problemata, brevi etiam in lucem edenda.

10. *Cuicumque verò cauſæ tribuatur floridus ille color mihi ſemper ſuſpectus eſt, & timorem incutit cum de bilioſis affectionibus agitur: Idcircò totus inſiſto in promovendâ recrementi eructatione per loca conferentia, lubentiùs ſemper per inferiora, niſi quid obſtet. Idcircò ſæpè vomitorium præſcribo v. g. ex tartar. emet. & ſal. abſinth. ãã. gr.* vj. *cum conſer. viol. vel, (quod tutiùs) ex infuſione croc. metal.* ℥j. *vel* ℥jß. *pro ſubjecti conſtitutione cum* ℈j. *tart. vitriol. vel ſal. polychreſt. in aq. cichor. q. ſ. & aliquando cum pari quantitate oximell. ſcyllit. hauriendum elapsâ horâ unâ, vel alterâ poſt venæ ſectionem, eâdem ipſâ die, prius quàm ſanguis dato ſpatio velociùs circumactus fellei recrementi jam fermentati fluentum ſecum rapiat ad irruptiones & ſæva ſymptomata, ut contigiſſe non ſemel obſervaverit in ſua quiſque praxi. Quod niſi ſedulò, aut tempeſtivè præcaveatur, pernicioſas indè Anadromes fieri docet experientia.*

DE OCCASIONE EMETICI,

In Bilioſis Affectibus,

Canones Practici.

I. ETSI bilioſâ vomituritione nil frequentiùs occurrat in praxi, utpote penè omnes vomitus per morbos, &

præcipuè per febres tincturam Bilis, aut amarorem præſeferunt; determinata tamen, & electiva bilioſi delinquentis humoris per vomitum invitatio tentanda non eſt, niſi quodam hic gradu maturæ veluti liquiditatis polleat, aut turgeſcentiâ mediocri, aut ex hepaticis receptaculis ſuis, jam versùs principium duodeni, & ventriculum ſponte eructetur. Quod ſi bilis vel crudior extet, vel nimiùm tenax, vel fervens admodum, aut eroſiva, aut ſi paulatinam ex ſeſe per inferiora transcolationem ineat, non inverſè movenda, nec properè nimis ad ſuperiora proritanda: *Cave ne inducas efferveſcentiam bilioſorum.* Celebre eſt effatum Avicennæ.

II. Reſpiciendum inſuper, ut vomitum inſtituas juxtà habitum, & conſuetudinem ægrotantium, ac tempeſtatem. Cacochima, ſimulque carnoſa, & conſiſtentia Corpora tutiùs emeticis tentabis, non item quæ priùs exquiſitè valentia in biliarem morbum confeſtim rapiuntur: Graciliora, Melancholica longoque pectore, aut collo, laxoque pulmone prædita non tam facilè ad vomitum ſtimulanda: Nec illa quæ ad vomitum proclivia non ſunt.

III. Occaſio emetici cum anni temporibus ut ſit conferenda ex Hippocrate eliciamus lib. de ſalubri diæta. *Vomitus oportet, & ventris Cataclyſmata in hunc modum uſurpare. Sex brumalibus menſibus vomere: Quod id tempus æſtivo eſt pituitoſius, & morbi caput tentant, & regionem ſupra ſeptum tranſverſum. At æſtas ubi vigeat, uti Cataclyſmatis: quippe hoc tempus torridum eſt, & corpus bilioſius, & gravitates lumbos & genua afficiunt, Calorque urget; præterea fiunt in ventre tormina. Quare corpus oportet refrigerare, & quæ elevantur deorſum ab his locis ſubducere.* Hæc in gratiam Bilis æſtate per vomitum vix movendæ expreſſim, & ſingulariter pronunciaſſe Hippocratem latè patet ex illo alio textu. *Medicari æſtate ſuperius, hyeme verò inferius:* Quod certè conſilium demptâ bile, aliis quibuſcumque humoribus per æſtatem peccantibus conciliare videtur.

IV. Emeticum ut morbis particularibus accommodandum ſit ex Celſo eruamus lib. 2. cap. 3. *Vomitus neceſſarius eſt omnibus,* *qui*

qui ante febres horrore & tremore vexantur, omnibus qui cholerâ laborant, omnibus etiam cum quâdam hilaritate inſanientibus, & comitiali quoque morbo oppreſſis. Si autem morbus acutus ſit, medicamentis aſperioribus opus non eſt.

V. Porrò ex Bilis per vomitum ejectæ habitudine varia, probum aut improbum eventum auguratur Hippocrates lib.prænot. *Vomitus per quam eſt utilis qui bilem pituitæ quàm maximè permixtam habet, ac neque admodum craſſus eſt, neque multus: Qui enim ſinceriores, pejores ſunt. Si verò quod vomitione rejicitur porrum Colore referat, aut lividum, aut nigrum fuerit quiſquis horum colorum adfuerit pravus æſtimandus eſt. Quod ſi eodem vomitu omnes ii colores rejiciantur, id exitiale eſt admodum. At lividus vomitus ſi graviter olet celerrimam mortem denunciat: Omneſque ſubputres & graves odores in omnibus vomituritionibus mali. Ubi repetitos vomitus ſingultus excipit, mox febris cum pulſus intermittentia, alicujus viſceris inflammationem expectato.*

II. *Emeticis tamen diluentes hauſtus interponi aut ſubminiſtrari curamus, pārileſque fotus ſpongiâ exceptos. Et hypochondriorum regioni calidè repetitos ipſo vomendi tempore, aliiſque etiam horis ſine vomitu, longè à paſtu, præſertim matutinis. Sic & juſcula pullorum inſulſa herbis cichoreaceis, ſcab. agrim. capillaribus, ac emollientibus alterata.*

DE OCCASIONE FOTUUM,

In Bilioſis Affectibus,

Canones Practici.

I. BILE in viſcera naturalia irruente, eâque vehementer extimulante, anodini atque emollientes per exordia fotus quantum utilitatis præſtent, quiſquis accuratiorem praxim profitetur, haud quaquam ignorat; His enim intenſa nimis contractaque fibra laxatur exteriùs, & flexilis efficitur. Diluentes hauſtus, nec non lotorii cliſteres ad idem officium interni ſunt

ſunt fotus, nec minùs idcircò auxiliantes.

11. Sed ſi alicujus jam per viſcera decubitus ſuſpicio ſit, caveas à longâ nimis fotuum adminiſtratione; Partibus enim per remedium ulterius laxatis fluidorumque in ſtaſim compactorum ſolutione rapidè nimis tentata, ſuppurationes accelerantur. Ità Hippocrates lib. 2. acut. *Si fovendo nihil profeceris ad ipſum dolorem ſedandum, fovendi finem facito. Quo textu ad affectum pulmonicum deinceps relato, ſubjungit. Id enim pulmonem exſiccat, & ſuppuratum accerſit.* Et lib. decret. Fotus velut in modum explorationis, commendat jubendo, *cum primum laterales morbi oriuntur, dolereque latus incipit, quia nondum manifeſta eſt affectio, calfactionibus, fomentiſque periculum eſſe faciendum.* Ideò in Coacis ad hunc locum Hippocratis effatur Duretus. *Plurimum valere etiam ad ſuppurandum ipſa curatio, quam medicus inſtituit.*

12. *Si ſtomachus antiperiſtaltico vomendi niſu perculſus fatiſcat, exhibeo per horam ante cibum bol. ex conf. hyacinthin.* ʒj. *theriac.* ʒß. *ſal. abſynt.* ℈j. *& tertiâ poſt cœnam horâ emulſ. ex ſem. melon. ſem. pap. alb. extract. in aq. cichor. addito ſyrup. de ſuc. ejuſdem cichor. vel endiv. vel totius citri, aut hujuſmodi, addit. ſal. prunel.* ʒj. *laudan. liquid. gut.* xvj. *His peractis non nihil ſuperſedeo, & ſolo juſculorum uſu contentus, diligenter obſervo naturæ, morbique motum: ſæpiùs enim compertum habeo, tantum ægris meis levamen ab hujuſmodi regimine acceſſiſſe, ut nonnulli poſt tertium paroxiſmum jam convaluerint, alii mitiùs impoſterùm febricitaverint, & recenſitis temporibus ab Hippocrate definitis liberi prorsùs evaſerint. Si autem, vel ob majorem bilis redundantiam, vel debiliorem vomituritionem prædicta non ſuffecerint, & ſævire pergant ſymptomata duplicatis acceſſibus; tunc per intervalla clyſteres injiciendos jubeo, non omiſſis fomentationibus; nec non venæ maleol: ſectionem præſcribo; eò quidem lubentiùs, quò per hanc aptiùs revellitur circuentis Bilis impetus, ejuſdemque progreſſus remoratur. Intereà laudatis alterantibus interpono mixturas ex aq. flor. ſambuc. totius citri, & theriacal. frig. rob. granor. ſamb. conf. hyacinth. & ſimilibus paratas, identidem hauriendas, & ferè poſt diem quintum exhibeo potionem ex decoct. tamarind.* ℥ß. *rhei.* ʒj. *in aq. com. addit. elect. lenit. vel caſſiæ recent. extract.* ℥ß. *vel*

vel ℥j. ſyrup. roſ. aur. ℥ij, ut quandiù poſſibile eſt evocetur bilioſa materies fluorem nacta; repetendo deinde poſt hanc potionem uſum præfatæ mixturæ cum addit. ſal. abſynth. & card. ben. aut ſimilium. Quoties hoc vel ſuppari ritu ſervato etiamnum vigeat Tyrannis biliſera ſanguinem adorta, tunc abſque hæſitatione, modo vires ferant phlebotomias repeto audaciori animo quàm in principio; nec ſanguis per has extractus, & coaleſcens ſincerus erit, aſt verſicolor vel qualis eſſe ſolet in verè pleuriticis, jamque propagatàm ſignificat deflagrationem. Cucurbitulas, & frictiones, quæ in aliis, præcipuè malignis febribus adeò commendantur, in his verè bilioſis inutiles, imò noxias obſervavi, ſi vigente morbo citiùs applicentur; agitando enim materiam acrem morbificam, perſpirationi adhuc imparem, inflammationem adaugent. Pari ratione neque proſunt ſudores cum & iſti irregulares fiant, & ſymptomatici languorem potiùs quàm levamen præſeferentes, quandoquidem ſanguinis maſſam ſeroſo vehiculo depauperantes, nil penitùs morboſæ Bilis, in ſuarum partium cohæſione vigentis, exantlare videntur; Undè major ſequitur fluidorum ariditas, & ſolidorum tenſio, minor indè ad ſecretiones diſpoſitio, & tandem maxima ad perennandam febrim, vel properandam necem occaſio: ſupervacanea idcircò diaphoretica in hujusmodi febrium genere cenſenda ſunt. Accidit perſæpè poſt irritam ſudorum emanationem arida, luridaque cutis criſpatura, ut in limine monebam, vel tenſiva habitus intumeſcentia in criticam quandoque cachexiam deſinens; cum nempe ab ulteriori effervescentia, & colliſione bilioſa tandem reſina non nihil attenuata à cutaneis glandulis excipitur, ibique inhærens eaſdem ad tempus obſtruit, quò uſque vigorata natura, nec non novis vegetisque ſuccis referta paulatinis irrorationibus perfundendis par ſit, ne dum ad laxandam cutis glandularem, & reticularem ſtructuram, verùm etiam ad perluendum ſanguinem, viasque pro faciliori urinarum micturitione, lævigandas. Porro veræ criſes in his febribus raRò contingunt, quæ morbificam materiam ſtatim diſſipent, nec non ejuſdem fodinas exhauriant. Vrinas dumtaxat uberrimas vidi jam peractis morbi ſtadiis depoſitâ rubedine ſua mictitari nitidiſſimas, cum videlicet ægrotantes aliquâ jam gaudent futuræ ſanitatis certitudine. Veſicatoria præ cæteris localibus ſæpè proficua viſa ſunt in contuma-

 cioribus

cioribus hisce febribus, quæ utut ſanguinem ſpiculis ſuis dolorificis ſollicitare valeant; viam tamen ad emanationem ſeri acrioris, & valdè ferventis aperiunt; tum etiam ad ſanguinem propagatæ, eique confuſæ eorum particulæ epiſpaſticæ & cantharidinæ ſalino-reſinoſam bilis copiam attenuare, & ad vias urinarias trudere, aptæ natæ ſunt.

DE OCCASIONE HAUSTUUM DILUENTIUM
In Febribus Bilioſis, & inſuper Anodinorum, Clyſterum, Cardiacorum, cucurbitularum, frictionum, ſudoriferorum, diureticorum, & veſicantium.

(Uſus Catharſeos, & Phlebotomiæ inferiùs in noſtro epidemicarum bilioſarum febrium tractatu abundè exponetur; ut occaſiones Febrifugi in eâdem bilioſa febre ſuo etiam loco pertractabimus.)

Canones Practici.

I. LIcèt diluentes hauſtus in bilioſis febribus cauſam febrilem è directò non tollant, eam tamen notabiliter hebetant, & molliunt, ſæpiuſque diu emollitam à morboſis cohæſionibus invertunt, & in naturales reſtituunt. Nec locus occurrit humectandi opportunior quàm in biliari affectu: Nam qualecumque bilis vitium auxilia diluentia depoſtulat. Ità ſi craſſa Bilis ſit, tenax, & viſcida, quam in bilioſis morbis ex propriâ cohærendi, & ſeſe conglobandi naturâ, frequentiſſimam vidimus, longis hauſtibus dilatatur, & ſolvitur, ut ideò in his caſibus ſuper alios quoſcumque, congruat tritiſſimum illud Hippocratis: *Corpora cum quis purgare voluerit oportet fluida facere.* Idem eſt, ſi ſoluta bilis ſit, ſubtilior, & vaga, quæ nempe diluentibus attemperatur & cogitur. Quamobrem bilioſâ febre correptis largi humectantes hauſtus præſcribendi ſunt: Præcipuè pro juvenibus, & vividis viſceribus, toroſo præſertim ventriculo præditis, utimur longis decoctionibus, aut etiam ſuccis herbarum refrigerantium, cichorei, endiviæ, ſcariolæ, ſonci, pimpinellæ &c. interdum & ſuaviter lenientium ut malvæ, mercurialis, & ſimilium; In delicatoribus aut ſeneſcentibus verò

juſculis

juſculis per eaſdem alteratis. Si tuſſis abeſt, aut quæcumque alia pectoris affectio, acidiuſcula, aut acida immiſcemus ex acetoſa, trifol. acetoſ. ex ſucco limonum, aut citri, berberis, aut granatorum, ex ſpiritu ſulphuris, aut calcantino &c. ſi firmior ſit ſolidorum, & liquidorum compages, ut non tam facilis eorum relaxatio à crudis hauſtibus ſperanda ſit, puram & frigidam quoque uſurpamus ex aqua fontis, nuceriana &c. Diſtillatas aquas parvi facimus, quibus ſimpliciores decoctiones, aut ſuccos meliori omine ſubrogamus. Excipio ſerum lactis, quod in ſtomacho valentibus ſimpliciter, aut cum herbis appropriatis per M. B. diſtillatum in morbis biliaribus diluens, & cicurans efficaciſſimum venit, uti etiam ſimplex abſque diſtillatione uſurpatum. Celebrem, & practicis hodie delicioſam, aquam illam diſtillatam alkalicam ex infuſione, & digeſtione teſtaceorum, & alkalium fixorum, ut raſ. ebor. matr. perlar., C. C., ocul. C., &c. longâ jam experientiâ ſuaſus parvi pendeo. Nam etiamſi aqua hujuſmodi ex fixis illis immixtis corporibus ſecum quidpiam fortaſſe apportaret, gravibus tamen, & inertibus moleculis ſaturam, aquâ communi aliquantò adhuc ineficaciorem ſuſpicarer. Quod ſi in his febribus præter bilis fervorem ejuſdem etiam viſciditas præpolleat, danda opera eſt, ut ſimpliciter diluentibus aperitiva pariter, abſterſiva, & incidentia permiſceantur, qualia ex radicibus communibus aperitivis eliciuntur, & inſuper helenii, fragariæ, graminis, rubiæ tinctorum &c. ex foliis agrimon. ling. cervin. hepaticæ, ex cuſcuta, epitim., camedr. chamepit. &c. & cum ſuccorum febrilium bilioſorum ſolutio, & concoctio per partes quidem fiat, ideo præparantibus, alvum etiam emollientia, ſubducentiaque per vices interponenda. Sed de his ſuo loco.

II. *Amurcoſa bilis, acris, viſcida, & circa jecur, vicinaſque partes coacta, & in motu impedita, quæ longâ ibidem morâ acrior reddita, & cum putri cachochilia ebulliens, ſalſos vapores exhalando, accidentia circa ventriculum primò, & ſenſim affuſa ſanguini, febrem cum ſociis ſymptomatis producit: Atque adeo loco ſtomachicorum, & deobſtruentium danda potius ſunt remedia bilem diluendo temperantia,*

& per alvum ſubducentia, habitâ quoque ratione ſolidorum, ab ejuſdem ebulitionibus nimium criſpatorum, & ita fluidorum curſum inductâ tenſione intercipientium. Hactenus Baglivus diſſert. *de Bilis nat. uſu, & morbis.* Hæcque adduxi, ut ex progenitis per bilis morboſæ ſtimulos frequenter ſolidorum criſpaturis, admoneam varios ſæpè, eoſque acutos, & interdum ſpaſmodicos dolores exoriri, quandoque ex cerebri infeſtatione & tenſionibus contumaces vigilias atque mentis turbationes non raro per inteſtinalem fiſtulam acerbiſſimos vomitus, colicas, & ſi quæ ſint alia ſatis urgentia bilioſi affectus ſymptomata, quibus indè paregorica, & anodina citò uſurpata mirificè opitulantur, eaque potiſſimum ex theriaca recenti, diaſcordio, & ſimilibus, præcipuè ex bezoartico noſtro vegetabili elicita. Valde inſuper in affectibus biliariis ſpaſmodicis, aut ad ſpaſmodiam accedentibus, proficuum experimur anodinum vegetabile Ettmulleri hoc modo in fine diſſertationis *de uſu & abuſu precipitantium* deſcriptum ℞. *opii, & ſal. tartar. ana, cum ſ. q. aq. com. irroratis ad pultis liquidioris conſiſtentiam, blandoque digeſtionis calori aliquando expoſitis; pro concreti gummeo-reſinoſi faciliori penetratione, & diſſolutione affundatur ſucceſſivè & ſuſpenſâ manu acetum diſtillatum. Fiet ſic cum formali quaſi fermentatione ebullitio. Continuetur hæc affuſio ad punctum ſaturationis uſque; denuoque aliquandiu digeſtioni leni expoſita filtrentur, & phlegmatis exhalatione inſpiſſentur, cum ſpiritu vini per ſe rectificato extrahenda, & ad debitam vel fluidæ eſſentiæ, vel ſpiſſioris extracti conſiſtentiam redigenda.*

III. Clyſteres, fotus interiores ſunt, & ſpecies diluentium & anodinorum non infimæ: Abluunt, & verrunt, molliunt, & ſubducunt, & quoniam ſtomachalibus immutationibus non ſubjacent, varias earum rerum ex quibus fiunt, facultates in inteſtinalem fiſtulam inalteratè deferunt, ejuſdemque contentis immediatè communicant, ut ſæpiùs facultates hujuſmodi ex hac fiſtula ad alias partes alacriter tranſmittantur. Ità ex vino confecti clyſteres ebrioſi ſunt; ex opio narcotici; ex lacte, vitellis ovorum, aut ſimilibus, nutritii; ex therebinthina diuretici; ex decocto abſinth. montan. aut abſinthii umbiliferi Lobelii,

aut

aut herbâ rutæ ſudorifici; ex chinâ chinæ febrifugi; ex alchimilliâ, hederâ terreſtri, veronica, pede cati, & ſimilibus vulnerarii &c. Quare non tantùm in biliari affectione, ſed in alia quâcumque, niſi ſumma laxitas inteſtinis aſſideat, quibuſcumque exigentiis non modicè proſpiciunt. In bile qualibet vitiatâ neque adhuc concoctâ catharticis clyſmata, tutò ſemper eventu ſubrogantur, ac inter ejuſdem humoris præparantia ſingulariter accenſenda ſunt; Lotoria profecto, & emollientia in efferâ, & acri, abſterſiva in cretaceâ & lentiori, acriùs ſolutiva in impurâ, & copioſa.

IV. Cardiaca temperata, ut confectiones hyacinthinæ, & alchermes, pulveres cordiales ſimplices, aqua meliſſæ, totius citri, theriacalis frigida, cuicumque bilioſarum febrium generi ſecura ſunt, & quocumque morbi tempore præſcribi poſſunt. Volatiliora, & acuentia, ut eſſentiæ, ſalia volatilia ſicca, aut humida, oleoſo-volatilia, & exquiſitè aromatica nonniſi in febribus, quas crudior, & cretacea bilis exſuſcitat, & in ſubjectis humidioribus, laxis, & mollibus uſurpanda ſunt. Nec virium apparens imbecillitas in uſum auxiliorum volatilium præcipitanter alliciat. Perſpice primò an vires ab exſolutione, an potiùs ab oppreſſione & ſolidorum ariduris, aut contractionibus deficiant. Infirmæ primo modo vires calidis cardiacis renovandæ ſunt, altero verò, ſimpliciter evacuantibus relevandæ. En textum Cl. Sinibaldi à parva ſua methodo animadverſ. 3. circà uſum medicamentorum, decerptum, & in hoc bivio rectum tramitem medenti exhibentem: *Quando Medicus in morbi principio debilem pulſum explorat interroget primo an præceſſerit aliqua inſignis evacuatio, aut hemorrhagiæ, aut diarrhææ, aut alterius generis, an longum jejunium, magnus labor, aut magnus dolor: Obſervet poſtmodum, an pulſus quò magis comprimitur, magis evaneſcat, & ex his manifeſta erit debilitas ab exhauſtu: ſed ſi nulla ex dictis cauſis præcedente, pulſus ſit inæqualis, & licèt parvus, comprimenti reſiſtat, ac reſiliat, credite ſine hæſitatione, quòd debilitas eſt ab oppreſſione nec roborantibus indiget, ſed vacuatione:* Præcipuè quod in bilioſis affectibus Cardialgiæ, & calidi ex bile laceſcente

ventriculi languores, ut virium diſſipationem magis diſſimulant, ità vehementiùs cum aliis omnibus bilioſæ improbitatis productis exaſperantur, ſi fortè calidis impetantur remediis. Sed cur vinum *lætificans cor hominis*, optimumque ideo Cardiacum, quod nulli biliari febri Hippocrates denegabat; Nos his febribus invidebimus, nec in opportunum hujuſmodi ægrotantium auxilium, & reparationem non advocabimus? Hippocrates vinum in Morbis etiam acutis, in Pleuritide ipſâ, Peripneumoniâ, Anginâ, aliiſque ſimilibus concedebat, tantummodò in maximo capitis dolore, & in delirio interdicens; *Ubi tamen in his morbis* (effatur *de vict. rat.* in morb. acut. ſect. 3.) *ſuſpicatus fueris aut capitis gravitatem vehementem*, aut mentis *perculſionem, penitus à vino abſtinendum, & aquâ in tali utendum aut vinum aquoſum, & album penitus dandum, & penitus inodorum & poſt ipſius potum aqua modica inſuper bibenda.* Vinum itaque in bilioſis ægrotantibus penſum omne cardiacorum abſolvat; & Julapia gemmata, margaritas, fragmenta pretioſa, bezoar, & ſi quæ ſint alia ſumptuoſa pharmacopæorum idola, pluteorum ſuorum pompæ relinquamus.

V. Quemadmodum cucurbitulæ, & Frictiones in idem officium conſpirant, cutanea videlicet ſpiracula reſerandi, liberandique capillamenta ad ambitum corporis vaſcularia: Primæ quidem ſi ſimplices ſint, dilatando, & aëre externo rarefacto, promovendo, ut internus attollatur & cutis texturam expandat; vel ſi cum ſcarificatione uſurpentur, cutaneum cruorem etiam extrahendo: Alteræ verò concutiendo, ſubtiliando, & ſuccos pariter per vaſa exteriora non minùs premendo, quàm ad eadem idcircò evocando: Utræque igitur ſuo modo ad tegumenta corporis liberiores fluidorum curſus invitando, interdum & ab interioribus partibus revellendo, atque expeditiorem, uberioremque tranſpirationem producendo; Ità non video, quòd hujuſmodi auxilia biliaribus morbis valde prodeſſe poſſint: Nam bilioſus humor ejuſmodi eſt, ut nec à liberaliori tranſpiratione laudabiliùs ſegregetur à ſanguine, aut in eodem emendetur; nec ab ipſis ſudoribus ſolvi poſſit, & eliminari; nec ad cutim depoſitus

productos

productos à ſe ſe morbos integrè judicet. Ideò bilioſæ febres non quidem per ſudores, aut uberes, aut frequentes, ſed per alvinas, aut alias excretiones curantur. Vidimus interdum in ſubjectis Ictero contumaciori prehenſis, poſtmodùm acutâ cutaneâ conſtipatione correptis, affixas dorſo, & ſcapulis cucurbitulas, eaſque ſcarificatas, ipſum immediatè noxium, ſeu bilioſum humorem derivare, puro ſero ſaturatè flaveſcenti, & ad guſtum amaro, ſeu abſolutè bilioſo, loco ſanguinis ex inditis vulnuſculis copiosè educto; nec tamen, judicatâ conſtipatione poſt largam hujuſmodi ſucci peccantis evacuationem, Icterus ullo modo remittebat. Sudorem morbo regio laborantibus amarum emitti, ſeu propriè bilioſum, affirmat etiam Galenus de ſanit. tuend. lib. 4. cap. 4. Nec ullum tamen, quod ſciam, regium morbum ab hujuſmodi, aut alio quocumque ſudore fuiſſe ſublatum animadvertit: Tanta eſt lentoris biliaris cum diaphoreſi ordinaria improportio. Verum tamen eſt, ex cutaneis conſtipationibus Bilem, ſuper alios quoſcumque animalis ſuccos, faciliùs citiùſque alterari (ut ſupra etiam adnotavimus) os ideò ſtatim amareſcere, nauſeas & ventris dolores cieri, vomitus interdum bilioſos concitari &c. Sed hujuſmodi biliaris conſenſus à circumferentiâ ad centrum, ſeu à cutis adſtrictione ad bilis centralis alterationem reciprocus non eſt, ſeu ſimilis à centro ad circumferentiam adeò ut vitium bilis per apertiorem factam periferiam corporis efflari, emendarique facilè poſſit; Bilis enim ex his etiam cauſis fortuitis in morboſas affectiones concitata, & ut plurimùm in arctiores lentores coacta, per alios longè modos, quàm per tranſpirationem, aut ſudorem educitur, aut emendatur. Ità ſæpiùs in praxi obſervavimus in adiapneuſtia, & cutaneis rigiditatibus, præcipuè à frigore ſubitaneo cum febre productis, exortas biliares excandeſcentias non priùs ſedari judicarique, quàm poſt ventris tormina bilis mordacis excretio, & copioſa diarrhœa, aut etiam levis dyſenteria accederet: Adeò verum eſt, lentum naturaliter bilioſum laticem, ſecus ac ſubtiliores alii, faciliùs alvi ſubductionibus reſpondere, quàm motibus, ſecretionibus, aut perſpirationibus cutaneis. Bilis

itaque

itaque criſim laudabiliorem explet alvina ſubductio, non unica tamen quantumlibet copioſa, ut ſudor unicus copioſus ſuccos alios morbiferos excutere poteſt, & penitus auferre, ſed iterata per vices, & craſſiuſcula; bilioſum enim craſſamentum non niſi per partes coqui, abſtergi, detrudique poteſt, atque elutriari. Ideò in morbis quibuſcumque bilioſis, in ipſamet dyſenteriâ bilioſa, in cholericâ affectione &c. ſi in principio morbi, aut progreſſu interpolatas bilis ſaturatioris, ſed craſſiuſculas ſimul ſpumantes objectiones obſervas futuram jam tutò, citóque judicationem prænunciato.

VI. Quamquam notabilem Bilis cum cutaneis trajectionibus improportionem adnotaverim, non inficior tamen, ſuccum hunc quandoque à validioribus ſanguinis & fluidorum motibus extraordinariè ſolvi poſſe atteri, nec non naturali craſſitie ſpoliari, ut in analogam ſero ſanguineo ſubtilitatem evectus, per extima cutis itinera in ſudores effundi non poſſit. Galenus de ſanit. tuend. lib. 4. cap. 4. aliiſque locis effatur, *ſudorem poſt validiſſimos labores, & vehementem æſtum planè flavum conſpici*, ſeu immixtè bilioſum. Nos inſuper ſuperiùs part. 2. cap. x. § IV. retulimus, Perſis verno tempore decoctionem radicis chinæ recentis copiosè calidéque epotantibus, atque ad lectum compoſitis & denſiùs coopertis bilem adeò attenuari, ut hi eandem copioſè per ſudores effundant flavedine ſua pannos appoſitos lintea &c. intingentem. Secerni etiam poſſe in colatoriis aliis addidimus ſecundùm varios ſuſceptos tenuitatis, ſeu extraordinariæ cohæſionis gradus, ut reverà in variis Icteri ſpeciebus, aliiſque morbis contingit. Sed firmiùs adhuc ſtabilio, in bilioſarum febrium judicatione, naturam hiſce Bilis attenuationibus & tritibus, ut eandem per ſudores trajiciat, ferè non uti; itaque irrita ut plurimum eſt in morbis verè bilioſis ſudorum multitudo, ſi ſola abſque alio naturæ conatu ſuccedat. Quod ulteriùs confirmat conſiſtentiam bilis ultra alios humores denſiorem, & craſſiorem; quæ videlicet nec per pepaſmum ad eam devehi ſubtilitatem poſſit, quâ pollet cruoris potiſſima pars, ſeu ſerum, per ſudoris vias communiter perfluum.

VII. Ut

VII. Ut rariùs per ſudorem Bilis in morbis ſuis expurgatur, ità frequentiùs per urinam, cui ſemper aliqualis biliofi liquidi portio in ſtatu naturali quotidie immiſcetur; Undè urinæ citrinus color ordinarius, ut ſuperioribus hujus Hiſtoriæ partibus expoſuimus. Revera, quemadmodum per urinaria incernicula craſſiores, quàm per cutanea, & ponderoſiores fluidorum partes eliminantur, ſalia videlicet terreſtrioria, & lixivioſa ſerum inertius, ramenti ipſæmet nutritiæ ſubſtantiæ; ideo & eiſdem facilius copulatur, eaſdemque trajicit vias biliare viſcidum recrementum. Quamobrem nulla eſt biliaris affectio, quæ lotium biliosâ corpulentiâ aut tincturâ ſaltem, vel utrâque ſcatens, criticè vel ſimptomaticè non emittat, adeo ut qui probè per praxim urinarum inſpectionibus aſſueſcunt, urinam ex biliari affectu alteratam ab aliâ cujuſcumque affectione, diſtinguere noverint. Nam ut in Icteris omnibus ſingularia in urinis ſtygmata ab aliis quibuſcumque diſcriminantur, ità etiam in ſingulis biliariis febribus, & ulteriùs in bilis affectibus particularibus, aut cum febre, aut ſine febre, pleuritide, aut phrenitide biliosâ, cholerâ morbo, Obſtructione Hepatis, fluxu hepatico &c. De urinis hujuſmodi per varios bilis affectus inſpiciendis, pluribus hiſtoriæ noſtræ locis, ubi varii examinantur morbi, ſermonem inſtituimus. In febribus biliariis eſſentialibus, quò major eſt morboſæ bilis deflagratio, eò urinæ recremento hujuſmodi ſaturatiores proliciuntur. Idcircò in febribus hujus generis, æſtivis, juvenes vegetoſque viros corripientibus, etiam ſi legitimæ intermittentes ſint, urinæ ſaturatiſſimæ conſpiciuntur, intensè rubeſcentes, & veluti flammeæ; non item in biliofis febribus hyemalibus, & vernis, aut ad finem autumni, ut ut continuæ ſint, imò & acutæ, ſeneſcentes, aut delicatulos invadentibus: Ob quam conſtantem obſervationem, ex febrili bilis aſſatione talem redditam urinam eſſe non diffiteor. Clinicus igitur diſtinguat oportet urinam ſaturatam, rubicundam, flammeam, interdum & confuſam ex affectu locali, aut totius ſanguinis inflammatorio, aut acuto, quæ ideo mala eſt, ab urina ejuſdem habitudinis non quidem ex inflammatione, ſed ex immixtis biliofis

attritis moleculis, quæ ideò non tam damnanda, imo quandoque ſalutaris, & critica: Idque facilè dignoſci poterit ex ægri tolerantiâ, & ſymptomatibus, tum ex morbi, ætatis, præcedentium errorum, & tempeſtatis circumſtantiis, quæ billioſi humoris culpam indicent, vel excludant; præcipuè ex urinæ, & contentorum colore; nam in urinis ob bilis ſaturationem rubeſcentibus color ad croceum, aut rufum nonnihil declinat, non item in urinis inflammatoriis, ſeu ſanguinis, aut alicujus viſceris inflammationem conſectantibus, quæ flammeam magis, & lucidiorem habitudinem æmulantes, cum linguâ aridâ, & ſiccâ, intentis viſceribus, hypochondriorum calore, aliiſque ſignis inflammatoriis, emittuntur. Præterea in bilioſis urinis hypoſthaſis, indeque ſedimentum ferè rubeſcunt, non autem in legitimè phlogiſticis. Urinæ hoc modo in incendiis biliariis accenſæ, & ſaturatæ ob ſuum hujuſmodi, & contentorum colorem, qui laterum colorem ſimilat, communiter lateritiæ nuncupantur: Quas potius criticas, quàm ſymptomaticas memorat, opinor, Hippocrates, & à pernicioſis ex phlogoſi non biliari, aut inflammatione diſtinguit *Prognoſt. cap.* 14. Nam poſtquam urinam omnibus laudabiliorem, aliamque non tam laudabilem inſpexerit; *Urina*, inquit, *optima eſt, cum album ſedimentum, & leve, & æquale per omne tempus eſt, uſque dum morbus judicetur: ſignificat enim ſecuritatem, & morbum brevem fore; ſi vero deficiat, & nunc quidem pura reddatur urina, nunc autem ſubſideat album, & leve, diuturnior morbus fit & minùs ſecurus:* Deindè ſubdit: *ſi autem ſit urina ſubrubra, & ſedimentum ſubrubrum, & leve, multò diuturnior hæc quam prima fit; ſalubris verò valdè.* Dixi Hippocratem poſtremo hoc textu biliares lateritias urinas indicare voluiſſe. Equidem urina rubra, aut ſubrubra cum ſimili ſedimento in acutis, aut inflammatoriis febribus, aut morbis aliis non biliariis *ſalubris* ex ſe ſe numquam eſt, ſed in bilioſis dumtaxat affectibus & *ſalubris*, diutius, tamen protrahitur: Nam bilis intingens, & ſaturans ob lentorem, aſſationem, & copiam non adeò facilè coquitur, & expellitur; Atque qui febribus per æſtatem biliaribus periodicis, præcipuè

tertianâ

tertianâ ſimplici intermittente conflictantur, urinas hujuſmodi lateritias profundentes, ſi ante ſeptimum circuitum utantur febrifugo, quomodocumque per iterata cathartica ſæpiùs purgati fuerint, poſt quindecim dies in febrim certiſſimè relabuntur. Cæterùm exulant fortiora diuretica ab acutis biliaribus, & bile ſolutiori redditâ aut vividiùs æſtuante: ſunt enim ſtimulantia nimium, & concutientia. In earum autem declinatione humidis diureticis, nec non epicerafticis utimur. Tutiora ſunt in Chronicis biliariis febribus, bile viſcidiori, ſimulque inerti exiſtente: Proficua in frigidis hepatis obſtructionibus variiſque Icteris crudioribus. Elicimus ea potiſſimùm ex radicibus communibus aperitivis, polipodii, enulæ, ſmilacis, ex ſiſimbrio aquatico, parietariâ, virgâ aureâ, chamepiti, alchimillâ, ononide, capillaribus &c. ex cicer. rub. bacc. juniper. ſalibus variis lixivioſis, ex abſinth. tamariſc. cort. fabar. nitrata etiam interdum adhibemus, tartarea, vitriolica, martialia, armoniacalia &c.

VIII. Veſicantia tandem vel reſpiciantur ut ſolidorum ſtimuli, ex quibus indè applicitis, & introductis major ſuccedat motuum niſus in villis membranaceam provinciam componentibus, nec non vividior expreſſio corporis cujuſcumque liquidioris, poſiti ad eorum contactum, ideſt circa illos, & intra ſpatia per quæ ſucceſſivè moventur, hinc major ejuſdem derivatio, ut mechanicè ſentiunt Bellinus, & Baglivus: vel ut nova morboſa emiſſaria excogitanda ſint ad humores recens exoticos educendos aperta, ſecundùm aliorum placita, præcipuè Lanciſii lib. de repentin. mort. obſerv. 11. *Validius eſt remedium ad omninò præternaturalem humorem extrahendum, morboſa emiſſaria ſubito artificio aperire; quàm inani ſpe illius concredere evacuationem ordinariis ſecerniculis, quæ cùm conſueta ſint nonniſi ſenſim congruere cum fluidis, mixturâ, ac motu naturali gaudentibus, nec ſubitò, nec tutò præternaturalibus excipiendis liquidis aptari poſſunt:* Vel denique auxilia ſint, liquidorum in genere diſſolventia, ſimulque revellentia, derivantia, atque evacuantia, ut ſcholæ communiùs effantur. Veſicantia itaque ſub his omnibus, aut ſingulis ſpeciatim operandi modis explorata, bilioſis cujuſcumque

generis febribus, ut ut contumacioribus, præcipuè ſi bilis acrior, ferventſque partes, atque cruorem afficiat, vix eſſe proficua tum ratione, tum experimentis ſuffultus ſtabilio. Et ſanè nec ſtimuli in his febribus ad ulteriores ſolidorum preſſiones ſuperaddendi ſunt, quæ nempè bilis irritantis aculeis jam ſatis laceſſita, in immodicas interdùm tenſiones, & criſpaturas abſque ulteriori phænigmorum additamento cientur. Inſuper cum Bilis humor non ſit omninò præternaturalis, & extraneæ naturæ, ſed priùs in naturalium ſuccorum familiam adſcriptus, indè non ob naturæ mutationem, ſed ob ſolam aut motus, aut conſiſtentiæ, aut proportionis, & nexus principiorum alterationem à ſtatu laudabili deſciſcens: Cumque plurima eidem naturalia emiſſaria aperta ſint, quæ quocumque modo depravatam transcolare poſſunt, & foras eliminare, ut nuper, & alibi vidimus, cur nova dolorifica, variiſque de cauſis ſuſpecta, & quidem ex ſe ſe morboſa, ſeu per inditam continui ſolutionem, tum per varias in partibus, & ſanguine concitatas irritationes pernicioſa emiſſaria eidem educendæ aperiemus? Denique nec Bilis accenſa, aut concitata per cauſticas veſicantium particulas eſt ulteriùs ſolvenda, exaſperanda aut excitanda, nec per Phænigmorum inuſtionem revelli iſta poteſt, derivari, aut evacuari, cum nuſquam bilioſis elicitis ſubſtantiis, quæ haudquaquam ſuppurantur, ſed ſeroſis continuò ac liquidis nutritiis lymphaticis facilè ſuppurabilibus madere veſicantium ulcera animadvertimus. Ob has rationes numquam in bilioſis febribus profeciſſe veſicantia teſtari poſſum (cui candido aſſerto totam à Guidetto noſtro indulgentiam ſperamus) vixque in illis affectibus non febriferis, ubi bilis lentor potiùs, quàm fervor, & concitatio dominetur, ex veſicantibus utilitatem percepimus. Ità in Ictero frigido ſine febre ex non acri, ſed potiùs gelatinoſo-reſinosâ bile, atque obtuſiori, fauſtè opitulantia hujuſmodi auxilia interdum deprehendimus. Placet itaque veſicantia in coagulis non inflammatoriis, aut phlogiſticis, ſeu in lentoribus potius catarrhalibus non calidis commendare. Proſunt revera in malignis ex coagulo, & viſciditate febribus, in ſoporoſis affectibus, hydrocephalo,

cephalo, vertigine frigida, capiplenio, apoplexiâ, paralyſi, aliiſque capitis, aut nervorum affectibus frigidis, pleuritide lymphaticâ, lentâ (ut ſuperiùs innuimus tract. de biliosa Pleuritide) ſimiliter in depluviis variis, ſeu, ut dicitur, defluxionibus lymphaticis localibus, ut & in morbis variis oculorum, aurium, narium, linguæ, gutturis &c. in diuturnis pertinacioribus ad determinatas partes ex fluido doloribus permanentibus, aut periodicis: nam ex antiquorum oraculo. *Dolores recentes calidi, veteres verò frigidi:* Denique in illis omnibus affectibus, in quibus, ut ait Baglivus, *neceſſe eſt ſolvere, divellere, derivare, excitare, & ſimilia agere;* & ſimul humores non calidos revellere, & ſimul evacuare. Rejicimus autem hujuſmodi præſidia ab inflammationibus omnibus legitimis, aut etiam acutis febribus ſimplicibus, à Convulſionibus, præcipuè recentibus & cum febre, à doloribus ſyphilicis, in primis cum calida viſcerum, & ſanguinis intemperie conjunctis, à calido hiſterico affectu, & maximè, ut ſuprà, à bilioſis exſcandeſcentiis, cum bile efferatâ, extimulante, & potiſſimùm febrili, ita ut calida, & ſicca inſurgat morbi habitudo; nam affectus hos omnes concernit illud Ætii de veſicatoriis loquentis, effatum (quod ideo ſanctiùs obſervandum venit) *In calidis, & ſiccis affectionibus his ego non utor: Per veſicantium enim ſtimulos*, ait laudatus Baglivus, *major in fluidis fermentatio, turgentia, & orgaſmus excitatur, & in ſolidis vivida quædam oſcillatio &c.*

IX. Licet Phlebotomiæ ſermones aliò ſervare inſtituerim; hîc tamen loci non reticebo; in turgeſcentia Bilis, atque ad caput anadrome habitam ex pede phlebotomiam fallacem ſatis in maribus, & infidam, interdum & noxiam communiùs me deprehendiſſe, tutiorem tamen, & ferè continuò proficuam in mulieribus. In viris febri biliari contumaci cum majori, aut minori acutie prehenſis ſalvatellæ ſectionem, miſſioni ſanguinis ex talo, maximo ſanè cum fructu ſubrogamus: Proficuam inſuper vel in ipſis ſimplicibus tertianis febribus ſalvatellæ apertionem, hujuſmodi interdum febres, inſtar nobilioris cujuſcumque febrifugi plenariè expugnantem frequenter obſervavimus.

Grave hoc ſaltem monitum Guidertianæ ex talo memoratæ Phlebotomiæ fuiſſe continuò hîc loci ſuperaddendum exiſtimavimus.

13. *Irritationes alvinæ, aut bilioſæ DiarrhϾ ſæpe in his febribus inteſtina laceſſunt, abſque ſymptomatum imminutione, quas tamen ſupprimere vix audeo, niſi vires atterantur; Demulcentibus potiùs & anodinis compeſco, & non numquam extractis è ſalvatella ſanguinis unc. 6. circiter. Quod præſidii genus in præfato caſu pertinacioris febris valdè proficuum cognovi. Cæterùm ſupra dictis arefactis corporibus, quibus ſalvatellæ ſectio non profuit ſupervacaneum eſt importuna uſurpare remedia. Præſtat, negotium ad aliquod temporis naturæ committere, ſolaque cichoracea aut alia hujus generis præſcribere, quorum auxiliis plures fauſto omine curatos animadverti. Criſes per ſæpè ſecundum magis aut minus ſuſceptam exoticæ bilis tenacitatem, & lentorem ad habitum corporis ſpontaneè ſed imperfectè erumpunt, cum Icteritiis indè ſubitaneè aut paulatinè obortis: Undè primarum febrium temporaneæ feriationes. Interea Icteritiæ hujuſmodi ſibi ipſis interdum linquendæ, velut per naturales liquidorum ſolidorumque preſſuras inſenſiliter diſſlabiles: Interdum etiam perſpectâ earum contumaci ſtatione, aut ſenſibili detrimento, epicraticis purgationibus, aperitivis incidentibus, & catharticis apozematibus, tum digeſtivis, tum diureticis præſidiis, oppugnandæ.*

TRACTATUS

TRACTATUS

De Morbis ex Bile in Hepate, aut extra Hepar, particularibus.

Introductio.

QUemadmodum in naturali ſtatu id omne, quod in ſanguine biliosum eſt, demptâ portione quadam minori, tenuiorique quæ transcolatur cum lotio, ad hepar pro ſecretione devehitur: ſecretum indè ad ſpecialia in inteſtinis officia præſtanda deſtinatur, eiſque muneribus perfunctum, foras è corpore eliminandum eſt; Ita per ſtatus frequenter præternaturales, aut non quidquid biliosum extat ad hepar pro ſecretione deducitur, ſed ejuſdem major aut minor portio, modò in colatoriis aliis ſecernitur, unde morbi in his partibus à translata Hepatis ſecretione fiunt; modò per tunicas corporis dumtaxat effunditur, ut determinatum Icteri genus conficiat; aut ſi in hepate receptum fuerit biliare liquidum, ex hoc in inteſtina non perfluit, ſed remoratur in Viſcere, ibique tumores varios, modò non calidos, ſeu obſtructiones, nunc magis, aut minùs calidos, ſeu phlegmonem, vel hepatitidem conſtituit; Aut ex hepatis viſcere in ſanguinem per ramos cavæ relabitur, atque reaffuſum in ſanguine interdum per omnes indiferenter corporis partes ab eodem ſequeſtratur, ut nova adhuc Icteri genera procreet; Quandoque citiùs, ac ferociùs in partes aliquas determinatas ſive internas, ſive externas, intimè aut minùs intimè invadendas tranſmittitur; hinc Pleuritis bilioſa, Phrenitis bilioſa, Eryſipilas &c.; Aliquando non tam citò ſegregatur à ſanguine, ſed turbas in eodem varias, priùſquam ſejungatur, exſuſcitat, ex quibus variæ bilioſarum febrium Claſſes emergunt; vel tandem id omne, quod bilioſum eſt, defertur quidem

ad

ad hepar, in eodem ſecernitur, atque deinceps ad inteſtina tranſmittitur; At verò copiâ, vel acredine, æſtu, ſolutione, craſſitie, turgeſcentiâ aut his omnibus ſimul donatum inteſtinali fiſtulæ varios morbos invehit: undè colica biliaris, vomitus, diarrhœa, teneſmus, cholera morbus, dyſenteria, fluxus hepaticus &c. Cum autem noviſſimus hic Guidetti noſtri textus de his omnibus Bilioſis affectibus ediſſerendi argumentum nobis offerre videatur, lubenter idcircò de eiſdem ſermones inſtituemus. Sed in ſuperiori parte hujus Hiſtoriæ ſecretiones hepaticas ad organa non hepatica translatas abundè ſatis expoſuimus: nec iſtæ profectò plurimum in medendi opera calculum exhibent. Prætereà de bilioſis morbis univerſalibus, ſeu de biliaribus febribus per alia Hiſtoriæ noſtræ loca, & in primis per inferiora, quidem multa diſtributa venit diſſertatio, præterquam de Lypiria biliari. Itaque ſolos, ex his omnibus, locales morbos à bile variis modis vitiata pendentes (demptâ biliari jam ſuperiùs deſcriptâ Pleuritide) toto hoc tractatu practicè perpendemus: & à variis Icteri generibus exorſi in hepatis obſtructiones, & ſuccedentem ſcirrhum progrediemur, poſt hac in Phlegmonem, abſceſſum, & ulcus, deinceps in hepatitidem, phrenitidem bilioſam, Eryſipilas, colicam biliarem, aliaſque inteſtinales ex Bile affectiones, Lypiriam denique bilioſam attingemus. Quibus omnibus ad umbilicum perductis, diſquiſitiones, & caſus practicos Guidettianos proſequendo, neque tot noſtras impoſterum adnotationes interſerendo, vixque additis ad loca aliquot de dolore, & ſpaſmodia vulneribus, & ſciſſionibus hepatis nonnullis practicis obſervatiunculis, ad biliares febres epidemicas, & Febrifugi tractatum properabimus, quibus aliquando hanc quoque therapeuticam partem abſolvere divino bene juvante Numine confidimus.

DE

DE ICTERO.

Canones Practici.

I. CUM itaque, ex ſuperiùs memoratis, Icterorum alter à Bile ortum ducat, quæ in hepate percolata nondum fuit, ſed immediatè à ſanguine ante appulſum in hepar per tunicas interiores, & exteriores partium corporis animalis effuſa; alter autem à Bile jam per hepar trajectâ, & ab eodem denuò in ſanguinem retropulſa; jam hic repetere conſonum duximus, quod ſuperiùs in part. II. cap. X. referebamus: Icterum videlicet, alterum eſſe à vitio ſanguinis, alterum à vitio hepatis, utrumque autem vel criticum vel ſymptomaticum. Criticus eſt Icterus à vitio ſanguinis, ſi immediata effuſio, & diffuſio Bilis è ſanguine in partes ſuccedat, cum integra, aut penè integra ejuſdem ſanguinis liberatione ab hiſce ſubſtantiis priùs extraneis, ſive ſi tranſmiſſio hujuſmodi per leges criticas abſolvatur. Symptomaticus autem cenſendus erit, quotieſcumque ex copia, aut orgaſmo biliari procedat effuſio, ſuperſtite adhuc in ſanguine tantâ ſucci ejuſdem portione, quanta in eodem liquido fovendis morboſis affectibus ſufficiat. Eodem ritu Icterum à vitio hepatis criticum appellabimus; ſi bilis ab hepate in ſanguinis gremium regurgitatio, & retropulſio non ſine integra ſolutione prævii morbi obveniat: Symptomaticum verò, ſi factâ in cruorem hâc ictericâ propulſione vitium hepaticum non deſiſtat, aut etiam augeatur, adeo ut icterica hujuſmodi productio ſit potiùs contumacioris affectionis, & obicis hepatici indicium, ſive obex & affectus hujuſmodi tumor ſit calidus, minùs calidus, aut non calidus, ſive ſpaſmodia, imbecillitas atonia, corruptio.

II. Icterus à ſanguine producitur in genere ex quacumque cauſa præternaturaliter in eodem ſanguine ocillante, quæ ideò non tantùm in vaſis ſanguiducis ad hepar tendentibus, ſed inſuper in aliis quibuſcumque vaſis, ad partes alias diſtributis,

 moleculas

moleculas in bilis corpus faceſſere aptas ſollicitet in bilioſas manifeſtè cohæſiones, quæ in partes deinde trajicientes poſſint ad earum ſuperficies ſenſibiliter implicari, aut etiam ſpontaneè à ſanguine affigi & deponi. Immediatè autem à vitio hepatis Icterus oritur, cum bilis per vaſa ſanguiduca ad hepar tendentia in cohęſiones quidem diſponitur ſuas, ſed in eodem, ut ſuprà, vel obſtructo, vel contracto, vel nimiâ jam bile obſeſſo, & ſaturato, aut aliter etiam vitiato non ſecernitur, ut ideo repellatur in alveum generalem fluidorum, ex quibus indè affuſa per partes vicem aliquam præſtet hepaticæ ſecretionis: vel quidem in hepate ſecernitur, ſed ſiquidem tota recipi nequit in promptuariis ſuis, ita dum pars aliqua dumtaxat excipitur, portio alia ad inteſtina elutriatur, alia tandem ab hepatis preſſione in ſanguinem reſtituitur, ut tum in aliis colatoriis ad ſupplementum ſecernatur, tum ad commodiores ſubeundas ſecretiones adhuc per partes effundatur. En breviter Icteri utriuſque ratio, critici nempè & ſymptomatici. Rurſus uterque Icterus criticus ſcilicet, aut ſymptomaticus, à vitio ſanguinis, aut hepatis, vel eſt cum febre vel ſine febre. Cum febre quidem, ſi præſeferat intimiorem redundantis bilis miſcellam, & colliſionem cum propriis cruoris principiis, eorumque turbatum motum, nec non naturalium cohæſionum, niſuumque ſenſibilem alterationem, quæ vel prævia ſit ad Icterum, vel eundem comitetur, aut conſequatur. Ex adverſo febrem excludet ſi hæc omnia contrario modo ſe habeant. Cum autem circa Icteri geneſes atque claſſes ſatis ſuperiùs part. II. cap. X. perveſtigatum fuerit, practicas hîc ſolùm pro ſingulis Icteri ſpeciebus tùm criticis, tùm ſymptomaticis, & noſtras & Hippocraticas obſervationes adnectemus.

III. Et primò Icterus ex ſanguine, criticus, & cum febre indicatur ab Hippocrate de judicat. ſub his verbis. *Febre ardente finiente, ſi morbus regius ſuccedat non ſòlet ampliùs ſudare, neque alibi uſquàm abſceſſum facere ſed ſanus evadit.* Reliquiæ hoc caſu febriles non tantùm criticè à ſanguine per hepar, ſed etiam per partium corporis intercapedines expurgantur: nec ſudor ampliùs

ampliùs effunditur, vel quia ſpiracula cutis obſidentur ab Ictero, & Icteri materies trajiciendis cutaneorum meatuum anguſtiis minùs apta eſt, vel potiſſimùm, quia febrilis cauſa ſecreta, eadem ac per Icterum bilis eſt, quâ aliquando ſecretâ nec ſudor ad judicationem exigitur, nec ampliùs abſceſſus ex morbo jam judicato expectandus eſt. Ità Valeſius in epid. *Morbus regius in febris ſolutione ortus, per quem & urina & dejectio ſunt quales in benè valentibus, facillimè ſolvitur*; ac brevi Criticus etiam regius morbus judicandus eſt, ante ſeptimam in acutis apparens, ſi largis per alvum, urinam, & in primis hæmorrhagiam purgationibus ſtipetur. Ità Hippocrates epidem. lib. 1. ſect. 3. in acuta ardentium febrium epidemia effatur: *Quibuſdam morbus regius ſexto die accidit: ſed hos aut per urinam purgatio, aut alvus turbata juvabat, aut magnum profluvium ſanguinis, ut Heraclidæ accidit; qui juxta Ariſtoclidem decumbebat. Atqui huic & ex naribus fluxit ſanguis, & venter turbatus eſt, & per veſicam eſt purgatus. Iudicatus autem eſt ſexto die, non ut Phanagoreon ſervus, cui cum nihil horum eveniſſet; mortuus eſt.* Idem Hippocrates lib. de vict. rat. in morbis acutis: *In febre климat bilioſa, morbus regius ante diem ſeptimum cum rigore ſuccedens febrem ſolvit, citra rigorem verò intempeſtivè obortus, lethalis.* Nam obveniens in ſtatu morbi rigor, qui etiam ante ſeptimam in biliari acuta exquiſita interdum accedit, concoctionem declarat, & rectam à ſanguine peccantis bilis tranſmiſſionem, & fomitem à ſinu liquorum vitalium excuſſum. Super hoc concoctionis Icterum conſectantis fundamentum addit divinus ſenex in Coac. prænot: *Quibus in moleſtis febribus ſeptimâ, nonâ, undecimâ, aut decima quartâ die morbi regii oriuntur, bonum, ni dextra præcordia obduruerint.* Nam ſi hypochondria duro tumore corripiantur, Icterus eſt ex vitio viſceris ſymptomaticus, ut infra monebimus, ex quo non niſi pernicies oritur. Præterea Cous eâdem habitâ pepaſmi, aut incepti, aut confecti ratione lib. 1. de morbis inquit: *Febricitanti quidem, & bilioſo ſi bilis ſuo tempore* (ſemper intelligit tempore coctionis) extra diſperſa fuerit, *bono eſt; ſub cutem verò effuſa, ac diſperſa ægroto toleratu facilior, & medico*

curatu promptior; *effuſa autem*, *ac diſſipata*, *& in unam aliquam corporis partem incumbens*, *malo eſt.* Hîc enim Hippocrates excretionem Ictericam, criticam aut ſemicriticam judicatoriis diebus, aut iis qui prope judicatorios ſunt, perpetratam, quæque per evacuantia indè præſidia ad criſim perfectam manuduci facilè poteſt, diſtinguit à biliosa methaſtaſi, ad partem aliquam majoris uſus irruente, quæ ſemper mala eſt, præcipuè ſi per decubitum accidat, ut cum in caput erumpit; non autem per effluxum, ut cum ad fiſtulam inteſtinalem determinatur biliaris methaſtaſis: Quæ pulmones aggreditur media eſt inter methaſtaſim per decubitum, & effluxum: Nam in pulmonibus decumbens bilis majorem quidem ſtaſim perpetitur, quàm ſi in inteſtinis deponatur, ex quibus nempè ulterius effluit, ſed multò minorem quàm in capite; ſiquidem ex pulmone poteſt ulteriùs per anacatharſim expurgari, quod minimè de bile in caput translata verificatur, ex quo nulla ferè ad exitum via aperitur. Sed de his diffusè jam egimus cum de biliari pleuritide. De cætero qui in febribus critici ſunt hujuſmodi Icteri, ſi citò ſpontéque non diſpareant, facilè intra quinque, aut ſex dies exantlantur cum integra febris jam ab ictero miteſcentis ſolutione, uſurpato apozemate cathartico, aperitivo, & abſterſivo, bis per diem epotato. Qui Icteri febribus intermittentibus ſuperveniunt, eaſque perfectè judicant, brevi ſine alia remediorum adminiſtratione ex ſeſe diſſipantur, niſi ad extremum autumni adveniant, quorum nempè plures, ut ut inſontes, uſque ad ſubſequentis veris initium protrahuntur.

IV. Quod ſi Icterus in febre acutâ, aut aliâ quacumque ſuperveniat, eâ nec adhuc declinante, nec ullo modo concoctâ, ideò nec rigore, nec ullo alio pepaſmi indicio ſtipatâ, & præcipuè manifeſtâ aliquâ aut pluribus evacuationibus non apparentibus, criticus profectò non eſt, ſed merè ſymptomaticus; Qui nempe laudabilem ſecretionem non conſequitur, ſed potiùs motum morbi, & violentam bilis immixtæ ſanguini exundationem, ac veluti exploſionem, vel ſubitam rareſcentiam, & diſſolutionem, deperditis (quæcumque ſit cauſa) ejuſdem cohæ-

ſionis

ſionis modis, vel redundantiam nimiam vel tandem orgaſmum. Ità idem Hippocrates aph. 42. ſect. 4. *Quibus febribus morbus regius ante diem ſeptimum accidit, malum*: *& alio textu. In febribus ardentibus ſi morbus regius, & ſingultus quinto die contingat lethalis eſt*: namque in hoc caſu Icterus quinto die accedens non ſolùm ſymptomaticus eſt, velut in morbi augmento, cruditate, & turbatione excitatus, ſed inſuper convulſioni copulatur; imò etiam ſine convulſione Icterus in bilioſa febre accedens, dummodò *intempeſtivè* ſeu abſque ulla concoctione contingat, lethalis, ut ſuprà, ab eodem Hippocrate pronunciatur. In Icteris hujuſmodi ſymptomaticis licèt ſpectabile ſit Valeſii monitum comment. in 7. epidem. *Morbus regius, qui ob bilioſam ſit cacochimiam nonniſi ſæpè ac vehementer expurgato corpore ſolvitur*; bilis tamen niſi turgeſcat, aut ob nimiam ſolummodò redundantiam Icterum producat, non eſt continuò catharticis impetenda; ſed ſi ſoluta ſimpliciter extet, rarefacta, & diſploſa priùs emollientibus, epiceraſticis, refrigerantibus, imò & ſubacidis, acidiſque per alia loca memoratis pacanda, attemperandaque, iiſque ad quendam conſiſtentiæ, & ſpiſſitudinis gradum, pepaſmo proximum, præparanda, & promovenda: cui ideo arquati generi puto potiùs conferre monitum illud Hippocratis lib. de loc. in hom. de Ictero loquentis: *Medicamenta purgantia ne dato, ne corpus magis conturbes*. Veniunt & Icteri ſymptomatici ex ſanguine cum febre in hectica eſſentiali ictericâ, in phtiſi icterica, (interdum etiam phtiſis icterica præviam habet hepatis obſtructionem, ut vidimus 2. part. cap. X.) in longa, & funeſta lithiaſi cum febre lenta, aut maraſmode, aliiſque chronicis affectibus: In his aurigines multò lentiores ſunt, nec aliis remediis curandi, quàm his, quæ morbis eaſdem foventibus conferre videntur. In genere urinæ in ictero quocumque ſymptomatico febrifero, aut non febrifero bile ſaturatæ ſunt, croceæ idcircò & tingentes: In ictero quocumque critico urina ut plurimum naturaliter colorata eſt, & benè conſtituta: Jamque ex urina duo primaria Icteri genera diſcriminari invicem poſſunt.

V. Arquatus criticus à ſanguine ſine febre interdum poſt morſum viperarum, aut araneorum, tum poſt ingeſta venena varia rarefacientia accedit cum ægri incolumitate. Quod ſi quandoque contingat homines poſt ingeſtum, aut inflictum virus in icterum faceſſere, & inde etiam mori, criticum ſemper ex ſe ſe icterum hujuſmodi arbitramur; ex quo nempè crebriùs in his caſibus affectos homines à venefico morbo feliciter judicari perſpicimus. Strenui vinipotæ frequenter ventriculi languoribus, aut colicis, aut articularibus affectibus corripiuntur, quos tamen his omnibus non raro ſolutos vidimus per ſubitum ſalutarem icterum. Irâ correpti in ſtatum quandoque valetudinarium decidunt, niſi icterico affectu corripiantur. Hiſtericæ interdum paſſiones per icterum ſupervenientem ſolvuntur. Vidimus prætereà conflictatos à chronica celtica lue cum ulceribus & doloribus aſſiduè vehementerque homines ſubitò ictericos evadere, cunctaque in eiſdem aliquandiu pacari. Icteri hujuſmodi nullam ex ſe ſe curativam praxim depoſtulant. Arquatum tandem ſymptomaticum, à ſanguine ſine febre, non infrequentem animadvertimus in ſubjectis variis utriuſque ſexus, præcipuè juvenibus, gracilibus bilioſis, & rari corporis habitus. Hæc, ineunte æſtate præcipuè ſicco, & ventoſo, cum diuturnis æſtuationibus, in Icterum delabuntur, cum virium proſtratione, languoribus, inapetentiâ, interdum & vomitu, non raro & diarrhœâ biliosâ interpolatè recurrente; nec niſi ad autumnum, refrigerato aëre, ac imbribus emollito liberantur. Hujuſmodi affectos longis diluentibus, & ſimul Analepticis excipere oportet, præcipuè ſi bilis craſſioris, & effœtæ inditia videantur. Proficuum identidem experimur bolum ex caſſia cum cinamomo, & tantillo rhabarbari, interdum ſerum lactis cum amaris ſimplicibus præcipuè Marrhubio, & centaurio diſtillatum, aut longos hauſtus ex The, in pluribus aquas acidulas, non raro in pichrocolis chocolatam ipſam religiosè uſurpatam. Sed efficaciùs præſidium eſt tempeſtatis immutatio, patienter expectata.

VI. Nunc

VI. Nunc Icteros ex vitio hepatis immediato, eoſque etiam vel criticos, vel ſymptomaticos, cum febre, vel ſine febre, expendamus. Criticus cum febre obſervatur, quando Phlegmone hepatica, aut hepatitis, aut ſimplex hujus viſceris dolor cum febre per Arquatum repentinè obortum judicatur, excuſſo per hanc criſim, alióque tranſmiſſo humore morbum producente, & fovente. Arquati hujuſmodi, ſoluto hepatico morbo, poſt aliquot dies abſque alia remediorum adminiſtratione paulatim diſparent: ſymptomaticus cum febre dicitur, quoties ab affecto Jecinore per epigeneſim fit, affectione viſceris non remittente, imò ut plurimùm ingraveſcente. Hunc exprimit Græcus ſenex aph. 42. ſect. 6. *Morbo regio laborantibus ſi ſit hepar durum, malum.* Hujuſmodi autem duritiei nomine intellexit Medicorum magiſter vel opilationem, vel inflammationem, vel ſcirrhum, ut ſolidè exponunt interpretes. Quare biliares in his morbis hepaticis eruptiones ictericas, viſceris affectione non imminutâ, ſed fixâ, & ſtabili, cum dolore & tumore, aut pulſatione, & calore, aut conſtanti ſimpliciter duritie, & renitentiâ, ut ut diebus decretoriis cum rigore aliquo, aut quopiam leviuſculo ſigno coctionis obveniant, ex ſola bilis irritatione, aut orgaſmo, atque ex mala epigeneſi excitari, ſuſpicamur, non autem ex critica, ſalutarique ſecretione: Undè diſcriſiæ, ſive difficiles judicationes. Quod ſi è converſo icterus ſymptomaticus non ſit, ſed potiùs eſſentialis, & erumpens ex bilis impetu, copiâ, & malitiâ, illam in hepar Hippocratis duritiem, ſeu unam, aut plures affectiones deferat, deterioris adhuc aleæ cenſendus.

VII. Icterus ex hepate criticus ſine febre interdum oritur, cum diuturnæ ejuſdem viſceris opilationes ſine febre, aut ſpaſmodici dolores interpolatè infeſtantes, aut colicæ bilioſæ per Icterum ſubitaneè erumpentem judicantur. Sed frequentiùs Icterus hepatis ſine febre ſymptomaticus eſt, veluti non à motu naturæ ad ſegregandum & expellendum inſurgentis productus, ſed ab ipſiſmet in hepate morbiferis cauſis ſegregationem inhibentibus: Bile ideò per univerſum corpus potiùs diffusâ quàm

effusâ

effuſâ Phyma ſymptomaticum aggerente, ut cum Dureto loquar. Lentæ non rarò, & ſubdolæ, præcipuè in hypochondriacorum, ſtudioſorum, aut longis animi affectibus diſtrictorum hominum Jecinore congeruntur intemperies, quæ ſenſim in lentum pariter ſine febre Arquatum influunt: iſque naturalem ulteriùs conſtitutionem videtur invertere, & malam non minus animi habitudinem, inductis frigidioribus animi pathematibus, ſtupefactione, mœrore, aliiſque, quàm vitiatam corporis conſtitutionem cum flatibus, indigeſtionibus, cruditatibus, inapetentiâ, emaciatione, torpore, ſomnolentiâ, proſtrationibus, introducere: Quæ ſi longiùs perduret cuilibet artis auxilio rebellis efficitur. Sapienter itaque Hippocrates admónet lib. de judicat. & prædict. *Regio ex morbo fatuitas aut ſtupiditas malo eſt.* Icteri hujuſmodi, utpotè à bile cretaceâ, vappidâ, amurcosâ, viſcidâ, & inerti ſive frigidiori, ut aiunt, progeniti, communiter idcircò frigidi nuncupantur, qui ſibi cachexiam præcipuè in mulieribus aſciſcunt, in pueris frequenter hydrocephalum, atque in hydropem ut plurimum terminant: Ideò ſpeciem hujus Icteri Hipp. & Gal. pituitoſam etiam appellant, velut ex pituitæ cum bile infarctu prognatam. Decocta his amara conveniunt ex abſinthio, gentianâ, angelicâ, cichoreo, abrotano, ſalviâ, marrhubio, carduo benedicto, ruthâ, ſcordio, camedri, centaureo minori, chelidonio majori, polio montano, ariſtolochiâ rotundâ, origano, hyſſopo, & ſimilibus. Famigeratiſſimus & amiciſſimus vir D. Roſinus Lentilius Archiater Wurtembergicus, ſmegma quoddam ſuum aperitivum antictericum mihi per epiſtolam ante hos quatuor annos communicabat, eôque indè in ictericis hujuſmodi affectibus, ac hepaticis inſuper chronicis obſtructionibus feliciter uſus, in publicam eſſe utilitatem evulgandum ratus ſum. ℞. *ciner. abſinth. juniper. agrimon. ãã m. iiij. cum ſ. q. aq. fontis f. lixivium forte. Hujus lixivii menſur. ſeu pint. vj. incoque radic. rub. tinctor. & filic. an. ℥ij. bardan. ℥iij. fol. marrhub. alb. m. iij. flor. centaur. min. m. ij. cola; & cum colatura & ſebo bovillo liquato coqu. ſ. a. ad conſiſt. ſmegmatis, vel ſaponis, ſub finem adjiciendo croc. auſt. pulveriſ. ℈ij. effund. in capſulas ligneas, & uſui ſerva.*

ſerva. uſus. ſmegmatis hujus ℥j. aut ʒij. ſolvantur in hauſtu lactis vaccini calidi. Bibat æger hoc lac calidè bis in die. Cum aliis etiam vehiculis interdum exhibemus, quandoque cum tinctura rhabarbari, & abſinthii pontici aut montani, nunc ſolidè in bolo & opiatâ præcipuè cum martialibus. Proſunt inſuper tincturæ ex mirrha, croco, millepedibus in ſpiritu juniperino &c. præcipuè eſſentiæ digeſtivæ, aut tincturæ chalibis nobiliùs alcooliſatæ: Ità præſtantiſſimam deprehendimus eſſentiam martialem armoniacalem, aut martis tincturam ſ. a. paratam cum ſucco abſinth. & ſal. vol. C. C. aut cum ſpiritu baccarum juniperi & menthæ. Laudo etiam tincturam martis tartaream Lemerii, tincturamque martis auream pharmacopœæ Bateanæ. Terebinthum Cyprium quemadmodum in Pleuritide biliari non admodùm calidâ, ſucco morbifico per urinas derivando non modicam efficaciam præſtat, ità & in Ictero frigido per eaſdem vias ſolvendo. Poſtmodum juſcula viperinâ, abſinthiaca, aut juniperina, commendamus. Inter cathartica rhabarbaro utimur cum tartareis; cætera ferè declinamus.

VIII. Denique Icteri, ex vitio hepatis ſymptomaticè ſine febre producti, non infima cauſa eſt calculoſa cyſtidis felleæ habitudo. Superiùs in altera parte hujus hiſtoriæ ſymptomaticum auriginoſum morbum ex calculo cyſti felleæ inſidente, optimè judicatum expoſuimus, eodem calculo per cathartici ſtimulum in nobili matrona è cyſti deturbato, & excreto. An præter fortuitum hocce auxilium alia etiam remedia potis ſint calculos hujuſmodi recentes, aut veteres è nido hoc ſuo arctè ſervato ſemovere, hactenùs profectò imperſpectum fuit: An inſuper calculi ipſi humani è folliculis cadaverum hepaticis collecti, & præparati calculis hujuſmodi viventium abrumpendis, atque è propria ſede divellendis preſtò ſint, ut vagatur opinio. An denique ad hunc uſum præſtantior ſit lapis ex felle ſeu veſica biliaria nigri bovis, nihil ipſe profectò decernam, lapideas has omnes virtutes nimis adhuc obſcuras exiſtimans, ut & ſpecificam ejuſdem calculi biliaris humani facultatem in febribus continuis, & lapidis in cyſti fellea porcorum indorum, & in

ventriculo hiſtricum etiam indarum inſidentis. Sed practici curioſiores viderint. Porrò eò redeuntes, unde nonnihil digreſſi: Quæ in ictericis urina linteum immerſum flavedine notabiliter tingit potiùs jecinoris, quàm ſanguinis Icterum denunciat; nam Bilis in Ictero hepatico ſuam magis naturam, & cohæſionem conſequuta eſt, ut liquida à ſanguine decidua colore ſuo ſaturare faciliùs queat, nec de cætero difficile eſt, bilem colore refertiſſimam lotium ſanguinis eodem inficere, dum plurima etiam alimenta, aut aſſumpta remedia flavedine ſua lotium notabiliter afficiunt, quâ pariter immerſa lintea tinguntur, ut beta, crocus, jus cicerum, rubiæ tinctorum, aut tormentillæ, caſſia, rhabarbarum, ſemen ſantonici &c. Jamque cum notabili animadverſione tractatum abſolvamus. Icteri pertinaces, vel ſanati, & ſæpiùs faciléque recidivantes, exinde incurabiles redditi, à calculo cyſtidis felleæ ferè produci, cadaverum ſectiones quamplurimæ nos, & Baglivum docuere. Quod jam in II. part. cap. X. annuimus.

DE OBSTRUCTIONE HEPATIS,

Et obiter de Scirrho, aliiſque in hoc viſcere Morboſis congeſtionibus.

Canones Practici.

I. DE hepatica obſtructione ſermonem facturi, ſolam hîc obſtructionem memorare intendimus à proprio trajicientis humoris vitio progenitam; nam quæ à ſolido primitùs contracto, anguſtatoque, viamque præterlabentibus ſuccis, fortaſſe inſontibus, præpediente obſtructio hepatis producitur, organica propriè dicenda eſt, atque vitio cavitatum, & meatuum etiam juxta veterum placita, nominatim referenda: Hanc in altera hujus hiſtoriæ parte conſpicati ſatis jam fuimus, ubi aliam quoque obſtructionem, ſive ab alio vitiati ſolidi genere elicitam remittimus,

remittimus, quam memorato loco antiquorum intemperiem nominare non erubeſcimus.

II. At verò humoralis obſtructio non inſolens eſt in hepatico viſcere, ubi nempe liquida uberrima, & multiplicia, & inſuper à curſu per alias animalis partes communiter habito notabiliter retardata continuò trajiciuntur: Et ſicuti latex propriè ſanguineus, vel ſincerus, vel cum recrementis variis, aut ſaltem cum ſuccis propriè non ſanguineis immixtus, ſtaſes in hepate præternaturales aggrediens, exquiſitè calidas illas acutaſque obſtructiones producit, quas inferiùs attingemus; ità liquida non ſanguinea ſpeciales in hepate morboſas retardationes ſuſcipiendo leviores quaſdam alias obſtructiones procreant, quas hic reverà agitare decernimus.

III. Ex ſuccis, qui jam à cruoris propriè dicti natura recedentes, hærere diutiùs poſſunt in jecore, indéque leviores, aut graviores obſtructiones extruere, primas tenent Bilis, & lympha; Quarum prima cum ex tardigrado ſuper cæteros liquores in Hepar trajectu, tum ex propria, inſitaque tenacitate, & craſſitie, in arctiores adhuc nexus (quæcumque cauſa ſit) implicata, & coacta veniat, diverſorum quidem graduum obſtructiones ciere facillimè in hoc viſcere potis eſt, ubi non raro in duriores, ſive calculoſas concretiones degenerat: Altera verò ſeu lympha tum quod uberiùs in hepate ſuper alia omnia viſcera ſeparatur à ſanguine ſejunctéque percurrit, tum quòd multò infirmiùs in hac, quàm in alia quacumque parte à vi circuitus generalis urgetur, ad proprias quoque aggerendas obſtructiones non difficilè diſponitur.

IV. Verum tamen ad judicandam Hepatis obſtructionem non ſoli tactus teſtimonio fidendum eſt; Quippe niſi Hepar tumore notabili, eoque admodùm renitente prehendatur, difficilè ſatis per ſolum tactum ejuſdem habitudines recognoſci, dijudicarique poſſunt, quantumvis in ipſo inſpirationis momento ad inferiora detruſum hoc viſcus diligenter exploretur. Hinc tot practicorum errores effluxere de hepaticis, aliorumque viſcerum morbis, abſolutas ex ſolo contactu ſententias profe-

rentium: Viſcerum ſiquidem naturalium obſtructiones exploranti manui facillimè fallaces extant, dum aliquis, quicumque ſit, renitens in cavea abdominis, circumſcriptus locus, qui explorantis manui offeratur, frequentiùs ex convulſiva, aut ſimili ambientium, aut ſuperpoſitarum partium tenſione ortum ducit, quàm ex legitimis contentorum viſcerum obſtructionibus: ſæpiſſimè enim contingit, ut durities & reſiſtentia per abdominis areas exploratæ integumentis dumtaxat communibus, aut propriis, membranaceis, aut muſcularibus, non autem internis propriè corporibus aſſideant; & quamquam renixus ad propriam hepatis regionem occurrat, non illicò perinde aſſeverandum eſt, renixum hujuſmodi ex hepate potiùs, quàm ex aliis eidem alligatis, aut adjacentibus partibus exoriri: ſi quidem Colon inteſtinum hepati immediatè attiguum, imo ad imam ejus crepidinem alligatum, ventriculus ipſe, Ren ipſe dexter, Lienque uſque ad dextri hypochondrii provinciam ob varias interdum præternaturales affectiones expandi queunt, tactuque hic loci dolenter, aut etiam indolenter, reſiſtendo, inſontis hepatis, ſuoque naturali ambitu præditi, reſiſtentiam atque obſtructionem mentiri. Imò quantumvis Clinicus ſibi pro re nata ſuadere poſſet ipſum hepar & proprium ejuſdem vitium noviſſe contactu, ſupereſt adhuc non tam facile diluenda dubitatio; num ſcilicet hujuſmodi vitium propriam hepatis ſeu, ut vocant, Parenchimatoſam ſubſtantiam occupet, num ſolam potiùs ambientem tunicam, quæ nempe ultra conſuetum quandoque contracta, indurata, & reſiſtens, aut etiam flatuoſo corpore, inter ipſam & viſcus coacervato, elevata, aut ſeroſis laticibus imbibita, & craſſefacta inſontis fortaſſe poteſt comprehenſi viſceris obſtructionem, aut aliud quodcumque vitium ſimulare. Memini mihi ſæpius fuiſſe non mediocriter volupe quorundam practicorum delibare oracula, qui extraordinariam quandam (ut in morbis frequenter aſſolet) in toto rectorum abdominis muſculorum tractu tenſionem, aut renixum contactu percipientes, firmo ſtatim animo enunciabant, notabiles per totum abdomen ſtabulantes obſtructiones contingere. Alius quidam

non

non infimi ſubſellii medicator in picrochola muliere, atque inteſtinis valde gracilibus, faciléque ad latera abdominis excurrentibus, gracillimo inſuper, extenuatoque meſenterio prædita, per prementem fortiter manum vertebras ipſas perſentiens, exquiſitum, confirmatumque ſcirrhum deprehendere in Pancreate, & pertractare tutò aſſerebat. Sed de nimia plurium practicorum in anatomicis rebus innocentia numquam ſatis dolendum.

V. Simplex igitur obſtructio hepatis, quæ nempe non adhuc vergit in notabilem viſceris, & manifeſtò renitentem duritiem, ſeu ſcirrhoſam, aut ſimilem, per alia potiùs indicia manifeſtatur. Et ſicuti ſimplex hujus partis obſtructio alia à Bile eſt, eâque aduſtâ, & fervente; alia quidem adhuc à Bile ſed ſimpliciter craſſâ, & cretaceâ; alia denique à frigidiori humore, ſive merè lymphatica, ut hac de re ex hepaticis hujuſmodi obſtructionibus aliam calidam denominemus in praxi, ſive calidum in hepate lentorem, à primi generis vitiata bile; aliam frigidam, ſive lentorem frigidum, à lymphaticâ in hoc viſcere aggeſtione & concreſcentiâ; aliam tandem mixtam, mediamque, ſeu à bile non acriori, non calidiori, ſed tantummodò craſſefactâ, & obſtruente, ita tria ſimplicis hujuſmodi hepaticæ ſecretionis genera propriis ſignis interſtinguere aſſueſcimus.

VI. Simplex quæcumque hepatica obſtructio ſibi ſociam devehit coloris faciei, interdum, & totius corporis, immutationem, ſed variam juxta memoratas obſtructionis ſpecies: Etenim ſaturatè flaveſcunt, qui primi generis hepaticâ obſtructione diſtringuntur; ex albo palleſcunt, qui frigidam, lymphaticamque geſtant obſtructionem: Flaveſcunt ſimul, atque pallent, qui mixtâ corripiuntur: ſi quidem genericè in omnibus; ſi non totius corporis, color ſaltem faciei ſenſibiliter immutatur.

VII. Sed alia adhuc tutiora indicia haſce hepaticæ obſtructionis ſpecies diſcriminant. Ex Bile aduſta & ferventi hepaticum obſtructum infarctum denotant non ſolùm levior, aut gravior icterus, antecedens, concomitans, aut conſequens, ſed

inſuper urina turbida, & crocea; pertinax alvi ſtipticitas, aut crudæ, albæque ſolum dejectiones; Dolor dextro inſidens Hypochondrio cum moleſta, & aſſidua gravitate punctorius, quandoque, præſertim per tactum, acutior; notabiles à cibo exæſtuationes, atque ad volas manuum, & plantas incaleſcentia horis aliquot moleſta; poſt mediocrem motum reſpirationis anguſtia, & veluti cordis angor & palpitatio; conſtans cibi faſtidium & ſitis inſueta præſertim à paſtu; oris amaror aſſiduus cum dentium ſorditie linguæque flavedine; frequentes flatuum per inteſtina, atq; ventriculum excurſiones; erraticæ febres, interdùm cum rigore notabili ingruentes quem quidem accenſiones fortes, atque totius corporis enormes jactationes excipiunt; notabilis ad tactum etiam extra febrem, in univerſo dextro hypochondrio acrioris caloris ſenſatio.

VIII. Frigidam hepatis obſtructionem revelant præter pallorem faciei, & univerſi corporis habitus, ad cachexiam vergentem pedum frequenter œdematoſa intumeſcentia, ad veſperas præcipuè ingraveſcens; notabilior dextri totius hypochondrii elevatio, ſed cum dolore obtuſiori, ac ferè etiam ad tactum vix ſenſili; Pallida urina, nunc tenuis, nunc craſſa; libera alvi excretio, eaque liquidior, & cruda; Aſſidua quædam ſpirandi difficultas, major autem poſt aliquem corporis motum, in primis ad acclivem aſcenſum; Continua, homotona, ſed lenta abſque ſenſibili calore febricula, imo ſenſus frigoris univerſalis ferè perpetuus; ventriculi inconcoctiones; ſicca quædam tuſſicula; lingua palleſcens, & flaccida; muſculorum torpor & univerſi corporis gravitas; præceſſa potiſſimùm prævalentis pituitæ per varias affectiones indicia: Signa verò ad deſignandam mixtam hepaticam oppilationem, promiſcua veniunt.

IX. Pertinacior Hepatis frigida, ſive lymphatica, obſtructio præſertim poſt diuturnos in rebus non naturalibus errores, quandoque in ſcirrhum convertitur, cùm pituitoſus humor, obſtructionem pertinaciter fovens, tenuiori ſuâ, liquidiorique portione temporis ſucceſſu diſſipatâ, & abreptâ, in volumen inertius indureſcit, ac veluti in tophaceam naturam tophis podagri-

corum

eorum analogam, concreſcit. Rarò bilioſa ſimpliciter obſtructio in ſcirrhum degenerat, ob bilis activiorem indolem: Ob eandem quoque rationem multò etiam rariùs ſcirrhus à legitima hepatis inflammatione procreatur. Scirrhum hepatis à ſimplici Ictero exortum conſpicatus ipſe hucuſque non fui.

X. Quod ſi contumax hepatis obſtructio non quidem in ſcirrhum propriè aggerendum, ſed ad hepaticam potiſſimùm depravandam, aut etiam ſufflaminandam ſecretionem intendatur, everſis primarum digeſtionum naturalibus diſtributionibus, & minimè ſubactis recentibus ſuccis, qui ſanguinem appellunt; in crudam & ſeroſam colluviem, demiſſis naturalibus cohæſionibus paulatim faceſſit liquidum ſanguineum, ut facilis ad hydropem via, in primis ad Leucophegmatiam, ſternatur. Verum tamen eſt, quaſcumque hydropis ſpecies abſque ulla hepatis, aut cujuſcumque alterius viſceris labe corpus aggredi poſſe: Quod contra veterum placita quotidiana experientia, atque hominum hydrope quocumque denatorum extiſpiciis edocti, profectò affirmamus.

XI. Hepatici ſcirrhi ſigna ſunt, tumor poſt diuturna præceſſæ obſtructionis indicia ad Hepatis regionem circumſcriptus, manifeſtè durus & renitens, præcipuè cùm æger vel erectus manet, vel in latus ſiniſtrum decumbit: majorem hic, aut minorem hepatis tractum occupat, interdum per totam hepatis circumferentiam contrectanti manui ſe exporrigit: Gravitatis ſenſus in hac regione valdè quidem moleſtus non eſt, ſed obſcurior, intereà aſſiduus: nulla communiter febris, corpus tamen notabiliter emaciatur, ejuſque color in virideſcentem maximè pallorem traducitur; urinæ parcitas, hinc ſcirrho hepatis celerrimè cachexia ſuccedit, & niſi maturè occurratur, & hydrops, & obitus. Æger meliùs in dextrum latus decumbit, quoniam ſcirrhoſi viſceris pondus à ſinu coſtarum, abſque moleſtia ſuſtentatur: At verò, ægro in ſiniſtrum latus reclinato, ponderoſum hepar ventriculum dolenter comprimit.

XII. Scirrho minorem tantummodò hepatis partem infeſtante diutiùs adhuc ægri vita protrahitur, breviùs autem, eodem

potiſſimam

potiſſimam hepatis portionem invadente. Quod ſi totum hepatis corpus ſcirrhoſâ aliquando duritie obſideatur, mors fores pulſat, præcipuè quibus alvus non dejicit obſervante Galeno. Qui Scirrhi ad ſuppurationem perducuntur ex practicorum obſervatione facilè in cancrum abeunt, nullamque curationem ſuſcipiunt: Nec tamen feliciorem ſuſcipit hepatis ſcirrhus quamcumque induat habitudinem; hic enim utplurimùm incurabilis eſt, præſertim confirmatus & grandior. Externis interea validè emollientibus & diſcutientibus potiſſimùm utendum; interiùs autem potenter diſſolventia, incidentia, & roborantia interdum & exſiccantia, eiſdem ſuperaddere contingit. Hæcque fuſiùs deſcribunt practici antiquiores omnes, præcipuè Galenus & Ætius, à quibus ideo recenſendis, veluti eorum utilitatem haudquaquam ſperantes, lubenter ſuperſedebimus. Id proportionaliter intelligendum eſt de calculis, in propria hepatis parenchimatoſa ſubſtantia deliteſcentibus, nec non de vermibus & hydatidibus in eodem viſcere natis, & contumaciter ſtabulantibus.

XIII. De cætero, reſpiciunt in genere difficilem hepatis, jamque inſanabilem obſtructionem ſigna illa à Galeno lib. de dynam. collecta, ſi in hepatico affectu ſimul accedant: *Tuſſire nimium, in latere dextro quieſcere non poſſe: ſanguinem è naribus identidem profluere: pedem dextrum aut etiam utrumque conſtanter tumeſcere; poſt veſperam, & circa veſperam, pigritiam vel laſſitudinem pati.* Quibus ſuperaddenda eſt lenta febris, & continens, cum corporis conſumptione, ſurdaque, aut vividiori ad hypochondrium dextrum doloris ſenſatione perpetuâ.

XIV. Recentem, & ſine febre frigidam hepatis obſtructionem deſignat Hippocrates aph. 40. ſect. 6.: *Quibus hypochondrii dolor eſt ſine phegmone iis ſuperveniens febris dolorem exolvit.* Quoniam, ut ait Galenus, *febrili motu dolorificus humor inciditur, tenuatur, atque digeritur.* Adde, divinum ſenem per textum hujuſmodi, obſtructionem hepatis veluti criticam indigitare, quæ nempe ex crudi, indigeſtique humoris, ad naturalium fluidorum cohæſionem imparis, ſecretione in hepaticis concurſibus

concurſibus inſtitutâ, perficitur indè, auſpicatóque abſolvitur à febre ſuperveniente, quæ ſuccum viſceri quidem hærentem, ſed jam à majori ſanguinis alveo fauſtè ſepoſitum maturans ulteriùs, & ſubigens, vel inſenſiliter deinceps excutit, vel ad integrum exitum ab animali, per opportuna loca diſponit:

XV. Nam ſimplex obſtructio hepatis alia quodammodo critica eſt, alia verò abſolutè ſymptomatica: critica, quæ cum majori morbo celeriter, & recens ſuccedat, eundem delet, aut ſublevat, morboſo, ut diximus, principio ex alveo fluidorum majori, in minores, & minimos ſeu hepaticos vaſorum ſecretorios concurſus, depoſito. Symptomatica verò, quæ non à determinata, & proficua puri ab impuro ſecretione inſtituitur, ſed à malefica, fortuita, & paulatina ſuccorum in his concurſibus, abſque immediato naturæ regimine; coacervatione, & craſſitudine; undè uber aliorum, pejorumque morborum ſcatebra reſeratur. Elucidant plenariam criticæ hepatis obſtructionis judicationem quæ enunciat Hippocrates in coac. & aph. *Tumores hypochondriorum ſine phlegmone recens obortos, tum indè natos dolores exolvit borborigmus, in hypochondrio excitatus, maximéque ſi exciderit cum dejectionibus & urinis: ſin minus ipſe per ſe trajectus. Juvat autem qui ad inferiora devolvitur.* Quippe cum criſis haud quaquam perfecta dicatur, quoties morboſus humor ex majori ſuccorum animalis promptuario in partem adhuc corporis determinatam projicitur; ex qua indè reaffundi, & reſtitui non difficilè in idem queat; idcircò ut perfectior, plenáque criſis evadat, ex determinata illa parte deturbandus ad alias humor eſt, in quibus non difficilè liceat morboſos humores ſecernere, & à corpore penitùs ablegare. Cui quidem officio (illâ in hepate conſideratâ congeſtione, quæ quidem à ſalutari naturę molimine inchoatur) oppidò Cous noſter opportuna cenſet renalia, atque inteſtinalia incernicula, meliùs autem poſtrema; cum deturbandi, atque foras ejiciendi humoris directior longè, breviorque via ab hepate ad inteſtina, quàm ab eodem ad Renes obveniat; tum lentis excipiendis quiſquiliis hepaticis inteſtina ſint renibus ſummoperè commodiora.

Ita concludit Senex. *Juvat autem iis quibus ad inferiora devolvitur;* atque motum humoris, ab hepate ad inteſtina perfluentis, denotat memoratus ab Hippocrate *Borborigmus.*

XVI. Curativa igitur principalior indicatio, ſymptomaticæ hepatis obſtructioni conſulit. Hæc licet in genere aperitiva depoſtulet, diſpari tamen hæc modo juxta peccantis humoris genera, dirigenda ſunt. Enim verò ſi primum memoratum genus adimpleat obſtructio ſive à bile torrida, piceaque, ſed ſimul furente, excitari morbum compertum ſit, diluentibus, longiſque aporematibus, epicerаſticis, eccopzoticis, ac demulcentibus, vix blandè abſterſivis, potiùs tentanda curatio eſt, quàm, ut apud practicos communiter aſſolet, fortiter aperitivis, incidentibus, aut calidè attenuantibus. Fugienda idcirco purgantia, præſertim validiora. Mihi uſui frequentiùs eſt alteratum hoc juſculum. ℞. radic. cich. gramin. fragar. acetos. & taraxac. a. ℥iß. fol. cichor. endiv. capill. ven. pimpinell. agrimon. ſcariol. & hepatic. à MSS. ſemin. frigid. major. a. ʒij. flor. bellid. violar. & hiperic. a pug. ij. ſantal. citrin. pul. ʒiij. cinnamom. ʒij. limonem unum, aut alterum in taleolas inciſum. Coque cum ſ. q. aquæ fontis. de colat. largos capiat hauſtus mane, & veſpere. Proficuus extat frequens caſſiæ uſus, modico interdùm addito rhabarbaro confugiendum inſuper exteriùs ad repetitos fotus ex malva, althea, violaria, ſem. lin. & fænugrec. flor. camomil. melilot. Bellid. verbas. aliiſque emollientibus, & blandè diſcutientibus. Interiùs ad ſerum lactis lupulatum, aut cum ſiſimbrio decoctum, aut etiam ex eorum infuſione diſtillatum; ad decoctiones, jura alterata, aut ſuccos, largè præcipuè cum jure dilutos, rad. gramin. rad. & fol. cichor. fol. dent. leon. taraxac. ſcariol. acetoſ. endiv. bugloſſ. pimpinell. ſonchi, lactucæ; & ſimilium. Valent in primis ſucci ſubacidorum ſimplicium, extractaque ab eiſdem ſalia eſſentialia; quibus omnibus palmam præripit ſal. eſſent. alleluiæ, ſeu acetoſellæ cum jure quotidie uſurpandus, ſalique interdum vegetali magiſtrali conjunctus. Perutiles inſuper ſunt leniores acidulæ præmiſſis univerſalibus præſidiis. Fugienda Chalibeata, abſinthiaca, ammoniacalia, & ſimilia, ſalino

volatili

volatili principio, aut aſperiori, excitantique pollentia.

XVII. Hæc tamen ultima, tartareis præſertim immixta, utiliter adhibentur in oppoſito hepaticæ obſtructionis genere, ſeu à frigido lentore lymphatico. Opitulantur igitur in hoc affectu fortiora aperientia, incidentia, deterſiva, roborantia, atque volatiliſantia, ex regnis omnibus deducta, modiſque quàm plurimis adminiſtrata, iiſque interpollatè intermixta præſidia viſceris plenitudinem imminuentia, ſeu congruentia cathartica. Proficua interdum deprehenduntur in ejuſmodi obſtructione, ad cachexiam aut hydropem faciliùs tendente, Jura Galli veteris & viperina, aut etiam diaphoretico-diuretica ex rad. chin. bardan. ſmilac. ſalſ. parill. ſaſſafr. guajac. lign. quercin. juniper. & ſimilibus. Sed pro omnium remediorum inſtituendis claſſibus, & formulis, ut & victus in hiſce morbis ducendo regimine, innumera apud practicos omnes authores commentaria ſuppetunt.

XVIII. Media tandem, ſive mixta hepatis obſtructio à limoſa bile, ſed inertiori, mediæ quoque naturæ remediis oppugnatur. Frequenter utor ipſe in hac obſtructionis ſpecie ſuccis, decoctionibus, aut aliis præparationibus, elicitis ex 2. aut 5. radicibus aperitivis communibus, & radic. ering. enul. campan. rub. tinctor. filic. fol. agrimon. capil. ven. hepatic. buglosſ. ling. cervin. geran. cuſcut. camedr. abſinth. hiſſop. marrub. centaur. min. fumar. ſcolopendr. flor. geniſt. & ſambuc. baccar. juniper. &c. utor prætereà arcano duplicato, tartaro vitriol. & limatur. calib.; lixivioſis quoque ſalibus; & identidem aloëticis, rhabarbaratis, aliiſque ſpecificis Catarticis.

DE HEPATIS PHLEGMONE.

Canones Practici.

Hepatis Phlegmone vel gibbam, vel cavam partem diſtinctim obſidere poteſt: Prima tactui manifeſtior eſt, altera obſcurior.

I. QUandoquidem hepatis viſcus, quod præter communia integumenta tribus valdè craſſis abdominis muſculis, & inſuper peritonéo contegitur, tactui vix aliquam ſui notitiam præſtare poſſe videtur, niſi (ut Galenus admonet lib. 5. de loc. affect. cap. 7.) *vel magna in ipſo oriatur inflammatio, vel incumbentes ei muſculi extenuati fuerint*, vel (quod quidem Galeni loco addendum eſſet) fortis ſaltem obſtructio ingentem tumorem afferat; Phlegmone hujus viſceris, quæ quidem ſola, & legitima, & propriè à cruoris vitio, inflammatio eſt, ſi gibbam ejus partem invadat, ita attollit ejuſdem molem, ut tactui perfacilè conſpicuam reddat; non item ſi imam dumtaxat regionem occupet; ut hinc phlegmonem in cavâ hepatis regione, advertente Galeno, per alia potiùs accidentia, quàm per tactum inveſtigare oporteat. Hæc autem hepaticæ phlegmonis differentia loci haberi facilè poteſt, namque cum phlegmonoſa affectio coacervata in determinatum tumorem inflammatio ſit, hæc certè partem unam hepatis duntaxat obſidere potis eſt, alterâ quidem in tumorem non advocatâ; licet hęc cum tumida parte ſuos etiam morbidos aſſequatur conſenſus: veluti in plegmone humeri, aut cubiti, vicinæ partes lentorem ſanguinis, tenſionem, calorem, aliaque phlegmonis accidentia, veluti in leviorem quandam inflammationis partem deductæ, compatiuntur.

Signa utriuſque Phlegmonis cõmunia, Dolor, febris acuta, dif-

II. Signa tum internæ, tum externæ hepaticæ phlegmoni communia ſunt: 1. Dolor ad dextrum hypochondrium, non quidem punctorius, ſed obtuſus, qui ideo vocabatur ab Archigene *tardus*, *ſtupidus*, & ſimpliciter *tractatorius*, ut habemus in Gal. 2. de loc. aff. cap. 8., interea cum ingenti

ad

ad hunc locum gravitatis ſenſu ; quandoquidem viſcus ſuaptè naturâ amplum, omniumque hominis maximum, & valdè compactum, ſi multo repleatur ſanguine inſignem gravitatem nanciſcitur, quæ ab ægrotante inprimis percipitur, dum ſeſe ab uno latere in aliud convertit. Ab inflammatoria verò accumulatione ſanguinis in hepate cum non tantùm viſcus, ejuſque ſuccingens membrana, ſed annexa inſuper ligamenta in ingentem adigantur tenſionem, hinc tenſivus dolor cum gravativo fœderabitur, ut in omnibus hypochondrii locis, quibus hepar per ſua ligamenta connectitur, peculiarem ſuum tenſivum perſentiri dolorem neceſſe ſit. Ita Galenus 2. de loc. aff. cap.8. loquens de ejuſcemodi hepatis dolore ait *dolor hujuſmodi, ſi quis alius, vicina corpora ad conſenſum inducit,* ſentiet igitur æger moleſtum tenſionis ſenſum totâ illâ cavâ diaphragmatis parte, cui hepatis ſuſpenſorium ligamentum illigatur ; ſentiet igitur ad finem ſterni, & cartilaginem Xiphoidem, quibus ſuſpenſorii ligamenti productio committitur ; ſentiet ad poſteriora, atque ima diaphragmatis, ubi ad locum trajectus cavæ peculiari ligamento connecti hepar in ejus anatome oſtendimus ; ſentiet ad latera ſpuriarum coſtarum, quibus dexterum hujus viſceris ligamentum à nobis deſcriptum adnaſcitur ; ſentiet tandem in ipſo ſiniſtro hypochondrio, ubi ſiniſtrum à nobis pariter ſuo loco deſcriptum ligamentum affigitur, atque interdum ſuis etiam moleſtis tenſionibus afficietur umbilicale ligamentum. Ita Galenus, ejuſque ſectatores effati ſunt in hoc hepatis morbo, dolorem in pluribus plerumque locis percipi. Hoc autem ex dolore multiplici elicitum hepaticæ phlegmonis ſignum graviſſimum eſt, cum certè, vel hoc ſolo diſcerni hæc affectio ab aliis omnibus queat. Addit Galenus cit. loc. Phlegmonoſis jecoris doloribus doloris uſque ad jugulum extenſionem, quam tamen aliis etiam hepatis morbis, ut obſtructionibus, ſcirrhiſa communem eſſe contingit. Licet afferat Foreſtus de hepat. affect. lib. XIX. obſer. VII. : *dolorem ad jugulum uſque propagatum ſentiunt ii tantummodo, qui magnâ laborant phlegmone :* Quod ſi adſit hæc ad uſque jugulum doloris in hepatica

ſicultas ſpirandi, ſicca tuſſicula, æſtus, cibi faſtidium, ſitis, vomitus, adſtricta alvus, urinæ color corporis, decubitus &c.

phlegmone propagatio, morbum in gibba parte intelligendum eſſe, idem author eodem loco ex Galeno admonet. II. Febris acuta quidem, ſed plerumque non ardens, neque cum intenſo calore, interea cum pulſu magno, ſed molli, & undoſo, cum urinis rubeis, & craſſis, cum rubore faciei interdum ſincero, interdum verò ſubfuſco, atque ad dextram genam intenſiori; atque hæc febris noctu ut plurimum exacerbatur. Foreſtus loc. cit. ait: *Niſi valenter jecur inflammari contingat, licèt febris excitetur, quoniam princeps viſcus eſt, tamen ea acuta non erit, niſi eadem inflammatio magna ſit.* Interea à praxi edocti ſumus, febrem, jecoris legitimam phlegmonem comitari ſolitam, vel malignam eſſe, vel ſaltem ſemper acutam: Ita de phlegmonoſis doloribus intelligendus videtur Hippocratis textus in lib. Prorreth. *Febres ex hypochondriorum doloribus malignæ.* Non tamen diffiteor, à majori, vel minori, ampliori, aut anguſtiori hepatica Phlegmone acutiorem remiſſioremve exoriri febrem; dum ſanè in externis omnibus, interniſque partibus magnitudinem inflammationis vehementia febris continenter ſectatur. Quâ de re, ut in exili, ſpuriaque interdum hepatica inflammatione vix febrem percipere datum eſt; ita in acutiſſimo, & univerſali jecoris phlegmone, veluti eryſipelas eſt, vel ipſa ardens febris, ſeu typhodes, ut dicitur, excitatur, atque excandeſcit. III. Ingens ſpirandi difficultas; cum hepatis moles adauctâ gravitate adnexum diaphragma deorſum trahat, magnitudine, & intumeſcentiâ comprimat, utroque modo liberum ejus motum impediat. IV. Tuſſicula arida, & ſicca, moleſta quidem, ſed rara. Fortè quintum hujuſmodi ſignorum genus implere poſſet monitum illud Hippocratis in Aphor. 59. ſect. 5. *Hepati inflammationem patienti ſingultus advenit.* Hæc quidem ſigna propria ſunt hepaticæ phlegmonis, atque ab eadem inſeparabilia: Alia inſuper à Galeno, aliiſque advocantur in medium, quæ vel hunc affectum non ſemper comitantur, vel aliis etiam hepatis morbis, ut hepatitidi, eryſipelati hepatis & interdum adjiciuntur: ut linguæ color in primis magis ruber, deinde verò niger evadens: vehemens cibi

faſti-

faſtidium, ſitis inexplebilis: vomitus tum ſinceræ bilis, tum ejus, quæ ovorum vitellis ſimilatur, quæ poſtea æruginis aliquem colorem referre conſpicitur: alvus adſtricta: urina flammea, & acris: color totius corporis pallidus ad ictericum vergens: decubitus ſupinus facilis, ſed difficillimus ſuper utrumque latus, cum in dextro decubitu major tenſio ſiniſtro hepatis ligamento inducatur, in ſiniſtro verò cætera ligamenta à ſuſpenſi viſceris pondere vehementer diſtendantur. Senſus ingentis æſtus ad dextrum Hypochondrium, interdum cum macularum ex rubro nigricantium, aut exurentium veſicularum ad hunc locum eruptione.

III. Diſtinguitur legitima hepatis phlegmone à calidâ, ſive acuta hepatitide ab accenſa bile producta, quod in hac ultimâ affectione, ſi adſit dolor, acutus ſæpè eſt, atque lancinans cum non tanto moleſtæ gravitatis ſenſu; neque inſuper per varias viſceris partes tam multiplex: Febris in hepatis phlegmone ſtatim principio acuta eſt, ſed in calidâ hepatitide initio quidem lenis, hinc ſenſim augeſcens, in ſtatu morbi, longè quàm in phlegmone ardentior evadit cum calore intenſo, ſæpe cum rigore, aut horrore periodos inſtituens, cum veloci pulſu, duro, inæquali, & quodammodo ſerratili, urinis tenuibus, intensè citrinis, ſeu croceis, & ardentibus, flavo inſuper, ſeu icterico, aut aliter lurido ad faciem aut etiam ad totum corpus ſubitaneè oborto colore: tuſſis inanis frequentior: lingua flaveſcens, & ſicca: oris amaror: oculi concavi: ſumma, & inexplebilis ſitis: acerrimæ auriginoſo colore ſaturatæ, aut etiam lividæ bilis vomitiones crebræ: gravior ciborum averſatio: bilioſæ, calidæque per alvum dejectiones. Comitatur macilentus, atque extenuatus corporis habitus: tùm cauſſæ bilem multiplicantes, aut in inordinatos motus excitantes præceſſere; ut fuſiùs inferiùs, quum de hepatide ſermo erit. *Signa quæ Hepatis Phlegmonē à calida Hepatitide interſtinguunt.*

IV. Interſtingui facilè inſuper poteſt phlegmone hepatis à pleuritide, quod in hac acerbior dolor eſt, & punctorius; Et licèt in hepatis phlegmone doloris uſque ad jugulum propagatio interdum contingat, tamen, obſervante Dureto in *Signa Hepatis Phlegmonem à Pleuritide dirimentia.*

com-

comment. ad Coacas: *Hepatis inflammatio ſolam ad jugulum tenſionem facit: pleuritis verò punctorium, & gravantem dolorem, quæ duo planè ſunt acerbiora quàm tenſio.* Difficultas inſuper in pleuritide ſpirandi major eſt, nulla coloris faciei mutatio, ſaltem non in ictericam illicò habitudinem converſio, niſi in bilioſâ aliàs deſcriptâ pleuritide, quæ quidem adhuc ab hepatis phlegmone ſatis diſtinguitur per doloris ſedem ad coſtas veras, atque humidam, ſputiſque feracem creberrimam tuſſim. Cæterùm non ſolùm ſicca non eſt, quæ in qualibet pleuritide tuſſis vehementior eſt, & moleſtior, quàm in hepatis phlegmone; ſed plerumque humida, ſaltem procedente malo, cruento ſputo, aut aliquantulum ſanguini intermixto, aut aliàs colorato conjuncta; atque copioſa ejiciens; Pulſus inſuper durus, & vibrans, ac ut vocant, ſerratus, ſeu ſerrinus: In Hepatis verò phlegmone, tuſſis, ut ſupra, arida, & ſicca eſt, neque crebra, nec fortis: mollis pulſus, atque ad undoſum accedens: Tum inſpiratio, atque expiratio æquè difficiles ſunt in pleuritide: ſed in hepatis inflammatione prima difficilior percipitur, altera verò facilior. Tumor denique, & pondus gravans, veluti deorſum trahens thoracem, ad dextri hypochondrii regionem haudquaquam in pleuritide dignoſcitur. Operoſius igitur videtur à pleuritica, & præcipuè biliari affectione diſtinguere memoratam ſuperiùs hepatitidem, quam quidem ſectantur acutus interdum dolor, intenſior febris, duriorque pulſus. Et ſanè præter memoratam reſpirandi diverſam rationem nonniſi doloris ſedes, atque à tuſſi exſpuitionum habitudo affectus hujuſmodi interſtinguere poſſunt, cum non tantùm eadem in utroque affectu doloris, febris, & pulſus ratio videatur, ſed & excretionum per vomitum, aut ſeceſſum, aliorumque omnium, quæ bilis copiam, malitiam, aut malam tranſmiſſionem indicare queant. Ita facillimum eſt, hujus generis hepatitidem cum pulmonum affectu complicari juxta illud Hippocratis in Coac. prænot. *Hepaticis ſputum multum cruentum, ſive intus ſub putridum, ſive ſi merè bilioſum fuerit, ſtatim perniciem denotat.* Non ergo cruentum hoc ſputum ab affecto Hepate recta

rectà profluere dijudicandum eſt ; ut neque Textus ille Hippocratis in Coacis : *Qui ſpumantem expuunt ſanguinem, dextroque laborant hypochondrio , à jecore ſpuunt , multique intereunt,* intelligendus venit , quatenus ſanguis ab hepate ad tracheam, veluti per directam quandam liberéque productam viam , inſonte fortaſſe pulmone traductus , tuſſi foras ejiciatur. Id enim non ſibi velle declarat idem Cous in Aphor. XIJI. ſect. V. *Quicunque ſpumoſum ſanguinem expuunt , his e pulmone eductio fit.* Sed eo quòd impedito per ingentem hepatis phlegmonem in magnis numeroſiſque hujus viſceris ſanguiducis vaſis libero ſanguinis fluxu , is certè tam inſigni proprii itineris parte defraudatus , alióque curſum neceſſariò inflectens , irruptionem in pulmones , atque etiam exundationem frequenter moliatur; undè ejuſdem ſpumoſi , aut minùs ſpumoſi , copioſa, minúſve copioſa per tuſſim excretio contingat. Eodem quidem pacto, quo mulier , cujus occluſa uteri vaſa menſtrui ſanguinis effluxum impediant , hæmorrhagiâ narium , aut vomitu , aut hæmoptyſi ſanguinem non rarò profundit : juxta Aphor. XXXII. Sect. V. *Mulieri ſanguinem evomenti menſtruis erumpentibus ſolutio.* Et viciſſim. Atque illud in Coac. *Mulieri menſtruali , cui menſtrua non reſpondent prodeſt è naribus profluere ſanguinem :* Multiſque juvenibus uſu venit , cohibitâ narium hæmorrhagiâ ſanguinis anadromem curſum habere per pulmones , exitumque per os. Porrò curatarum hepatis inflammationum pro pleuritide , aut ſaltem pleuritidi ſimilium , plurima proſtant exempla apud Galenum , Zacutum , Horſtium, Valleriolam , Schenckium , Foreſtum , Panarolum , alioſque: Tum plurima etiam complicatarum hepatis, atque pulmonis lethalium inflammationum : Quorum unicum , idque profectò recentiſſimum , ne nimius videar adducam. In Principe de Urſinis Romæ Prid. Non. Decembr. ſuperioris anni 1722. poſt quatuor dierum morbum octuagenariâ defunctâ , & apertâ , hepatis , & pulmonis viſcera abitâ in necroſim inflammatione æquè perculſa deprehenſa ſunt. Ita illàc accepimus.

Differentia in Hepate Phlegmonis, & Eryſipelatis.

V. Cum autem eryſipelas hepatis inflammatio quoque ſit, ſed latior, & acrior, & totum occupans viſcus, neque in peculiarem tumorem coacervata; idcircò quantumvis Galenus 5. de loc. affect. cap. 7. admonere contendat *hepatici eryſipelatis accidentia phlegmonis accidentibus ferè ſimilia eſſe.* Per ipſum interea eryſipelatis acutiorem gradum utramque invicem affectionem diſtinguemus. Adjicit enim Galenus; *& inſuper* (in hepatis eryſipelate) *febris quoque cum vehementiſsima ſiti laborantes cruciat: Eas enim febres, quas cauſones, ſeu ardentes antiqui vocabant, magnâ ex parte advenire videmus jecoris, aut ventriculi flammeis diſpoſitionibus, atque in pulmonis inflammatione eryſipelatis participe ardentes febres excitantur, quemadmodum ubi in univerſo quoque corpore bilioſi humores ad immoderatum fervorem perveniunt. Verùm hæ, quæ aut jecoris, aut ventriculi occaſione eveniunt, omnium ſunt vehementiſsimæ, quibus particulis ita laborantibus febres magnâ ex parte in marcorem tranſmutantur:* Per diverſam igitur comitantis febris naturam phlegmone hepatis ab ipſius eryſipelate diſcriminatur; & diſpar febris conditio à diſpari utriuſque morbi fovente cauſſâ æſtimanda eſt: Illa enim propriè à ſanguineo, hæc verò à biliari principio ortum ducit. Hinc non tantùm hepaticæ phlegmonis febrem eryſipelatoſa febris ſeu ardens, & Typhodes, longè vehementiâ ſuperat, ſed ulteriùs acutior in eryſipelate dolor eſt, & calor admodum intenſior non ſolùm in affecto hypochondrio, ſed in univerſo etiam corpore.

Indicia hepatis Phlegmonem à ſpaſmodico ejus dolore diſtinguentia.

VI. Alia inſuper indicia ſunt, quæ hepatis ſpaſmodicum dolorem à phlegmone diſcriminant: Quippe ſpaſmus hepatis morbus eſt repentè invadens, cæterùm ſiccus, ut nulla in linguâ, cute, urinis, aliiſque excretionibus peccantis, aut tranſmiſſæ bilis veſtigia obverſentur: Dolor non gravativus, aut tenſivus, ſed veluti dilanians, atque ad interiora, ſuperioraque retrahens, iſque vehementiſſimus, non inſuper continuus, ſed ad intervalla recurrens: intervallata in conſequens ſpirandi difficultas: Ingens quidem, unaque per totum hypochondrium tenſio, non verò circumſcriptus tumor tan-

tangenti manui porrigitur : Nulla tuſſis , aut ſaltem ejus conatus ab hypochondrii tenſione impeditus. Ut ſubita ejus invaſio eſt , ita & ſubitanea ſolutio : Nulla præcipuè febris, quæ ſi tandem morbo diutiùs deſæviente , accendatur, morbum indicat juxta illud Hippocratis in Coacis *Hepar vehementer derepentè dolentibus febris ſuccedens remedio eſt.* Cæterùm à ſimplici obſtructione , atque à ſcirrho per propria ſigna, horum tractatibus adjecta , facilè jecoris phlegmon interſtinguitur.

VII. Galenus cit. loc. animadvertit , inflammationem muſculorum abdominis cum hepaticâ inflammatione confundi poſſe , hinc ſigna tradit , quibus una ab altera diſtingui valeat. Siquidem in muſculorum abdominis inflammatione cutis circumtenſa valdè eſt , ut ſi quis digitis apprehenſam attrahere velit , ea minimè ſequatur. Inſuper inflammatio muſculi unius aut plurium abdominis ſe tactui non tantùm facillimam præbet , ſed inſuper extra hypochondrium elongatur , verſùs umbilicum plerumque ſe proferens , affectorum prætereà muſculorum figuram repræſentando , diverſam à figurâ inflammationis hepatis , in qua quidem ſubrotunda , & circumſcripta in hypochondrio moles profundiùs percipitur , dum muſculi manu facilè pertractari , nec non à ſubjecto tumore dimoveri, atque expediri poſſunt. Præcipuè diſſimilis in hiſce inflamationibus totius corporis color exhibetur : In muſculorum inflammatione naturalis , & vividus permanet , in hepatis phlegmone aut pallidior apparet , aut ad ictericum vergens. Ita per hujuſmodi totius habitus , & in primis faciei coloris inſpectionem , atque inſuper ventris explorationem Galenus Steſianum quendam , ab aliis Medicis abſceſſum in hepate geſtare creditum , abſceſſu in abdominis muſculis , ex phlegmone genito , affectum eſſe revelavit , ut meminit cit. lib. 5. cap. 7. *de loc. affect.* Atque his Galeni veſtigiis inſiſtens Valleriola , mulierem , quæ ab alio Medico phlegmonoſo hepatis tumore prehenſa judicabatur , muſculorum abdominis inflammatione vexari fœliciter oſtendit , ut affert lib. 4. obſervat.

Quomodo diſtincta ſunt muſculorum abdominis, atque jecinoris inflammationis indicia.

Vu 2 cap.

cap. 5. Adhæc, urinæ, aliaque excreta in muſculorum inflammatione veluti naturalem conſiſtentiæ, coloris, & componentium partium habitudinem videntur adhuc præ ſe ferre; quod quidem in hepatis phlegmone minùs contingit.

Quomodo Phlegmones gibbæ, aut cavæ partis Hepatis diſcerni invicem queant.

VIII. Denique phlegmones gibbæ, cavæque partis hepatis diſtingui invicem ſat facilè poſſunt. Si gibba, vel convexa hepatis pars laboret, durus tumor tactui ſe facilè porrigit, figuram hepatis penè globoſam, aut quaſi ſemilunarem referens: renixus: dolor inter reſpirandum major eſt, & uſque ad dextram juguli partem protenſus, ut detrahi videatur, acris inſuper circa cordis foveam: Tuſſis, & reſpiratio crebrior cum diſpnea, majorque gravitatis ſenſus; cum difficiliori in dextrum latus decubitu: facilis ad phrenitidem, imò & paraphrenitidem tranſitus. Symptomata denique omnia ad partes thoracis attinentia graviora ſunt, quàm ad inteſtina, & ventriculum; & ſanè ſi cava pars afficiatur, tumor ad tactum non eſt adeo conſpicuus; dolor interim aliquis per tactum, & compreſſionem percipitur: Vehementior ſitis, linguæ ſcabrities, & nigredo, interdum flavo, aut viridi colore fucata, nauſea ferè continua: imò in ventriculo cardiogmos, aut frequens ſingultus, aut utrumque; bilioſarum ſanierum vomitus; ventris laxitas & *ambarum partium commune ſymptoma eſt febris, ſed convexarum major*; ait Duretus ad Coac. Hipp. fol. mihi 458. Adite eundem ibidem, & fol. 325. pro his diverſis in gibba, aut cava parte eliciendis inflammationis indiciis; tum Galenum lib. 5. de loc. affect. cap. 7. Foreſtum lib. XIX. de Hepat. affect. obſervat. VII. Sennertum de Hepat. inflamm., Riverium lib. XI. cap. II. de Hepat. inflam. alioſque.

Hepatis Phlegmone etiam ante quartam diem ægrum interdum de medio tollit, at verò non per morbi

IX. Graviſſima hepatis phlegmone cum enormi viſceris tumore, etiam ante quartam diem ægrum jugulare poteſt, non quidem ex morbi ſolutione, ſeu malâ judicatione, ſed ex oppreſſione tumoris, ſive ex reſpirationis ſuffocatione, per diaphragma à functione ſua prorſus impeditum. Ut qui hoc pacto præfocentur, per immanem orthopneam moriantur. Ita

habet Hippocrates ſect. 2. lib. 2. Popular. morbor.: *Coi ſorori hepar elatum eſt ſplenico modo. Mortua eſt ſecundâ die.* Ideſt, hepar in hoc caſu tantam in molem fuiſſe elatum intelligit in quantam lien interdum ſolet, qui ſanè ob laxiſſimam texturam facilè, celeriter, & inſigniter diſtendi poteſt, atque tumeſcere. Ita inſignem lienis tumorem, qui uſque in dextram partem tendi aliquando videretur, Liciæ accidiſſe ſuperiùs Cous narraverat. Cæterùm ſimilem in hepate phlegmonoſum decubitum cum ſtrangulatu & nece ad ſecundam invaſionis diem vidimus nos non ita pridem, ſeu Idibus Martiis hujus anni 1723. in Illuſtriſſimo D. Franciſco Boſchetti ante Templum D. Antonii in majori Padi viâ decumbente. Ita oportunè annotat Duretus in comment. ad Coac. Hipp. loc. de morb. veſicæ: *Quæ phlegmone ſyſtrophica jecur occupat primis etiam morbi diebus ſæpè mortifera eſſe dicitur.* Peſſima igitur, mortemque eſſe brevi adfuturam portendentia, hæc in hepatis inflammatione ſigna ſunt: Febris ardens, ſitis inexauſta: lingua ſcabra: refrigeratio extremorum, quum medium corpus, & præcipuè dextrum hypochondrium uritur: vomitus item niger, vel porraceus: venter intumeſcens: jactatio vehemens cum frequenti pedum ſuſcepta ab ægro nudatione. Enormis præcipuè tumor, renixus, & dolor cum frequenti ſingultu, animique defectu. Hepatis Phlegmone per metaptoſim, invadens, ſi fractis viribus accedat, citò mortifera eſt, juxta illud in Coacis: *Ex anginoſis hypochondrii dolor irritâ criſi, cum infirmitate ſumma, & exolutione obortus, clàm necat, tametſi admodum videatur eſſe in tuto.*

ſolutionem, ſed per tumoris ſuffocationem: cujus quidem Phlegmonis indicia exhibentur.

X. Prognoſim à divini ſenis oraculo hauriamus. *Præcordia ſine ullo doloris ſenſu æqualiter mollia eſſe oportet: At inflammatione tentatâ, aut inæqualiter affectâ, aut dolore vexata, non contemnendæ ægritudinis notas præ ſe ferunt.* In Coacis prænot. fol. mihi 279. jam dixerat: *Præcordia optima quidem, quæ dolore vacant, mollia ſunt, & æqualia tum dextrâ, tum ſiniſtrâ parte: Incenſa verò, aut dolentia, aut intenta, aut inæqualiter affecta, tumentia, potiſſimùm in principio morbi mala ſunt, præſer-*

Naturalis Hypochondriorum viſcerum ſtatus; ipſorumque tumentium varii, ſecundùm variam ſedis tumoris, magnitudinis, doloris,

duritici, mollitudinis, & adjuncta febris conditionem, eventus ex Hippocrate.

præſertim in dextera parte, & mortem brevi affore indicant. In Prognoſt. verò: *Præcordia tumida, dura, & dolentia, ſi in universum affecta ſunt, maximum malum portendunt, ſi verò altera parte duntaxat, & ſiniſtra minùs periculum eſt.* Addit inſuper: *Hujuſmodi tumores* (viſcerum ſcilicet in hypochondriis degentium phlegmonoſi) *in principio quidem proximam mortem denuntiant:* pariter lib. Prognoſt. *Ubi verò viginti dies exceſſerint, neque quieſcente febre, neque tumore remiſſo, ad ſuppurationem convertuntur. Mollis tumor dolorem non inferens, & digitis cedens longiori tempore finitur, ſed non ita grave ab eo periculum pendet. Quod ſi intra ſexaginta dies neque febris deſinit, neque tumor deſiſtit, fore ſuppurationem hoc loco, & reliquo ventre ſignificat. Durus itaque, magnusque tumor, dolore crucians, mortis periculum non multo poſt fore denunciat: mollis verò, & ſine dolore, quique prementi digito cedit, longus eſſe ſolet. Ventris tumores minus faciunt abſceſſus, quàm qui in hypochondriis: minimè verò qui ſubter umbilicum ſunt, in ſuppurationem vertuntur.* Jamque his textibus Legislator noſter prius naturalem hypochondriorum viſcerum ſtatum, hinc acutiſſimi eorum, & præcipuè jecoris phlegmonis, peracuti, acuti ſimpliciter, & demum in chronicam indolem vergentis, eventus omnes tum ex tumoris amplitudine, & loco, majus, aut minus periculum denunciat.

Alvi fluxus in Hepatis Phlegmone mali: & qui deteriores ſint. Parotides hunc morbum plerumque malè judicant. ex Hipp. Nihil autem moveri mortiferum eſt.

XI. In hepatis phlegmone alvi fluxus mali, præcipuè ſi ante morbi concoctionem adveniant; cum his ea non excernantur, quæ excerni oportet, atque inſuper humorum turbationes, & ſolutiones, & viſcerum reſolutiones per ipſos indicentur; quo quidem judicio intelligendus eſt textus ille in Coacis. *Quæ cadunt in hypochondrium dolorifica mala, cum aliàs prava ſunt, tum verò ſi faciunt profuſiores alvos: Pejora autem, quæ brevi naſcuntur.* Peſſimæ verò inferiores hujuſmodi excretiones, ſi copioſæ, & craſſiores ſint, ſimulque ad lividum colorem accedant juxta illud Hippocratis in Prorrethic.: *Ex torminoſo ſedimentum limoſum, ſublividumque, malum: An ex hypochondriis dextrum dolere videatur, exolvaturque? atque*

his

his parotides parùm dolorificæ? Venter his omnibus copiosè fluens, perniciem affert. Revera aliis locis Cous de parotidibus hepatis inflammationi ſupervenientibus ſermonem inducit, malè inſuper ab hujuſmodi transmiſſione præſagiens. Ita in eod. Porrethic. *Ex volvulis malè olentibus cum febre acuta, hypochondrioque ſublimi diutiùs perſeverante, parotides exurgentes perimunt.* Ibidem. *Quibus amplè, & crebrò ſpirantibus morbus regius, & febres acutæ cum duris hypochondriis refrigeratæ fuerint, hi abſceſſus magni ſecundum aures ſuſcitantur.* Revera in hoc ultimo textu Hippocrates neque ſatis dirimere videtur duritiem hypochondriorum inflammatoriam à duritie ſcirrhoſâ, cum de dolore ſileat, neque in transmiſſione ad parotides perniciem, aut utilitatem contingere annuit. Id interea colligamus, parotides hypochondriorum morbis ſuccedentes plerumque mali ominis eſſe. Interea frequentiores fortaſſe Hippocrati viſæ ſunt ab hypochondriorum phlegmone, aliiſque morbis parotidum eruptiones, cum ibidem binos adhuc hoſce textus adjiciat. *Quibus comatoſa, faſtidioſa, hypochondria, dolentia, & cruenta exigua, in his parotides exciuntur: antea autem faciei ſigna - - - - Hypochondrii contentio cum comate faſtidioſo, & capitis dolore parotides attollunt.* (Galenus in commentario: *per dolentia hypochondria, & hypochondrii contentionem* phlegmonem intelligit.) Tum in Coacis habet, *in diuturno hypochondrii meteoriſmo* (habeas pro meteoriſmo Hippocratico magnum, ſubitóque in ſublime elatum, ipſiquemet viſui fortè obvium, nec tamen valdè durum tumorem, à flatu, ſcirrho, aut phlegmone productum, interdum ab eodem uſurpatur hoc nomen pro ęgri ſurrectione, dum nempe is à lectulo ſe attollit denuoque reſidet, ut ſect. 2. progn. t. 6. & Coac. t. 495. quandoque etiam pro ipſamet flatuoſa ſubſtantia per inteſtinalem fiſtulam turbulenter vagante: Atque de hoc flatuoſo inteſtinorum meteoriſmo loquitur in Coacis: *à ſuppreſſione alvi meteoriſmus Hypochondriorum, gravis.* Colica flatuoſa. Tum in 7. Aphor. ſect. 6.: *Dolores qui ventrem tenent cum tumore, leviſſimi ſunt: ſine eo, graviſſimi.* Flatus Hypochondriacuſ.)

&

& alvo graveolente, abſceſſus, qui ad aurem aſsurgit, necat. (Intelligit hic ſenex pro graveolente alvo illiacam affectionem: quod quidem ſuperiùs explicaverat: *Parotides graveolentis volvuli conſectariæ cum febre acuta, & hypochondrii meteoriſmo, diuturno, interimunt.*) Tandem ibidem: *in bilioſis ſpiritus magnus, & febris acuta cum præcordii intenſione juxta aurem abſceſſus facit.* Sed id fortaſſe translationum ab hypochondriis ad parotides frequentius erat in Græciâ ad ævum Hippocratis. Nos tamen in Italis noſtris regionibus rariſſimum eſſe animadvertimus. Interea nihil prorſus in hepatis inflammatione per evacuationes moveri, mortiferum eſt. Ita in epidem. Hippocratis lib. IV. *Puerperæ maritus, qui prope Sitodochi ædes habitabat ictericus erat, ad quem ſeptimâ die veni, octavâ mortuus eſt, neque urinam, neque alvi excrementa emittens, hypochondria magna erant, & dura, & ſpiratio crebra. Hic moriens, ne frontem quidem præ labore madefecit.* Ab hiſce igitur ſiccis hepatis inflammationibus eſt ſummopere cavendum.

Phrenitidem Hepatis inflammationi perſæpè ſuccedentem præſagientia ſigna.

XII. Frequentiùs ab inflammato hepate ad cerebrum pro inducendo delirio tranſmiſſiones, ſive epigeneſes, ut plurimùm funeſtæ, celebrantur; præſertim ſi revellentibus, ac derivantibus præſidiis morbi principium, & augumentum non ſatis fuerint oppugnata; ut in Dromeade uxore, cujus hiſtoriam affert Hippocrates lib. 1. popular. morbor. Cum verò per nimiam hepatis, atque ſanguiferorum vaſorum plenitudinem, ejuſcemodi decubitus ad caput obeantur; ita Hippocrates in prognoſticis, & Coacis ſignum exhibet, quo iſti prænoſci queant: *Præcordiorum venæ, ſi pulſent, turbationem, aut delirium portendunt: ſed eorum qui ſic affecti ſunt oculos aſpicere oportet: quippe frequens illorum motus inſaniam comminatur.* Atque in Coacis prænot. rurſus ait: *Pulſus in hypochondrio cum perturbatione dementiæ eſt: magiſque ſi oculi crebrò moventur.* Et ſanè quæ in hepatis phlegmone, dextræ cœliacæ aut ipſiuſmet Aortæ ſenſibili, moleſtâque pulſatione prehenduntur, præcipuè ſi poſt inſtitutam ſanguinis miſſionem hanc adhuc pulſationem perſentiunt, neque eidem ante morbum aſſue-

aſſueverint, raptum ad caput, atque phrenitidem non effugiunt; Niſi inflammatione ad occultam vomicam, aut etiam in viſcere aggerendum ſcirrhum vergente, delinquens humor aliò non rapiatur, & decumbat; quorum quidem alterutri morbo poſt inflammationem non raro contingenti videtur proſpicere locus ille in Coacis: *Stomachi dolor, & pulſus hypochondriorum, febre extinctâ, malum denunciant: idque cum aliàs tum in ſudatiuncula.* Stomachi dolor ab Interpretibus pro ſingultu, interdum pro cardiogmo intelligitur: pulſus hypochondriorum eximiæ quidem, ut ait Duretus, inflammationis inſeparabile ſignum eſt; Qui tamen, defervente inflammatione, & in metaptoſim faceſcente, vigere adhuc poteſt ob ademptam hepaticæ, & cœliacæ arteriæ libertatem à tumore ſcirrhoſo, aut ſuppurato. Ephidroſis verò, ſeu illa ſudatiuncula, quâ roſcidum eſt tantùm caput, cervix, & thorax, aut etiam quæ perexigua toto exudat corpore, tuberculi potiùs hepatici, vomicæ, aut cujuslibet ſuppurationis confectoria eſſe ſolet, quàm ſcirrhi, ut inferiùs dicemus. Dixi ſuperiùs dextræ cœliacæ, aut ipſiuſmet aortæ pulſationem; quoniam arteriæ ſubſtantiam hepatis ingreſſę, atque ad ejus vaſorum tunicas diſperſæ, cum graciles admodum ſint, ſenſibilem edere pulſationem non poſſunt, ut idcircò à qualibet cauſſâ preſſæ nimiùm in jecore fuerint, ſenſibile pulſationis incrementum in ſolo cœliacæ ramo dextro vel ipſius cœliacę trunco, vel etiam in viciniori aortę ſectione inducere poſſint. Quod quidem nec Galenum præteriit, dicentem 2. de loc. aff. cap. 3. *Neque in hepate, neque in renibus nunquam hujuſmodi pulſationem apparere.* Æquivocum interea eſſe argumentum poteſt hujuſmodi in affectibus hepatis arteriarum pulſatio: Quippe plures noſcimus, pręcipuè hypochondriacos, & picrocholos tali arteriarum pulſu, vel citra febrem, & affectum hepatis, atque in ipſo naturali ſtatu vehementer obſeſſos. In his igitur *præcordiorum venæ* pulſantes, in ſuperventa hepatis inflammatione, metaſtaſim ad cerebrum,

non ita tutò deſignarent. A turbatis cæterum, tremuliſque oculis, & præcipuè inflammatis, & turgidis, imminens prę- videri poteſt inſania; tum quod turgida oculorum vaſa tur- gentia ea pariter, à quibus originem nacta ſunt, cerebri vaſa teſtantur; tum quia nervorum oculi concuſſiones, ſive tre- mores nervoſorum pariter in vicino cerebro caudicum ab irruen- tibus improbis ſuccis laceſſitorum, jactationes ſignificant.

Hepaticæ Phlegmones vel per hæmorrhagiam narium, vel per ſudores, perfectè judicantur; imperfectè per urinas, ſedes, ictero:, aut vomitus diebus criticis, malè per ſuppuratum; peſſimè, & lethaliter perſcirrhum, aut gangrenam, aut maraſmum, aut hydropem.

XIII. Tametſi Galenus lib. 3. de Criſibus cap. 3. hęc tradat de hepaticæ phlegmonis judicatione: *Hepatis devexæ quidem partes inflammationem patientes tribus præcipuè modis criſis obediunt, fluxibus ſanguinis è nare dextra, & ſudoribus bonis, & urinis abundantibus: convexæ autem partes excrementis alvi bilioſis, atque ſudoribus, nonnunquam verò & vomitibus: magis autem ex- petuntur per urinas expurgari*; per ſudorem tamen decretoriâ die advenientem Hepaticæ indiſcriminatim phlegmones ut frequentiùs, ita fœliciùs judicantur; rectè igitur admonet Duretus in Coacis; Phlegmonarum omnium ſyſtrophicarum mutationem eſſe, aut convenienter naturę, ſeu diaphoreſi, & ſuppurato; aut contra naturam, ſeu ſcirrho, & gangręna. Quippe Phlegmon hepatis, inſtar aliorum omnium calidorum tumorum, vel, bene difflatis per ſenſilem, aut inſenſilem tranſpirationem, qui fuerant incenſi, & impacti, humoribus, atque indè reſti- tutis in circulum, fauſtè reſolvitur, abſque ullo in viſcere re- licto morbi veſtigio; vel ſuppurat; vel in ſcirrhoſam conge- ſtionem denſatur, atque induratur; vel tandem in corruptio- nem faceſſit. Prima judicatio totum naturæ opus eſt: Altera morbi, & naturę virium participans: Tertia, quartaque ſem- per à dominatu morbi ortum ducunt: Tertia immedicabilem quidem hominem, ſed diu adhuc ſuperſtitem linquit: Quar- ta lethalis eſt, citôque interimit. Sed ſi ſudores parvi ſint in morbi cruditate advenientes, mali; juxta illud Hip- pocratis in iiſdem Coacis: *ſi cui ſine febris vacuitate ſudatiun- cula crebra cum hypochondrii tenſione conjuncta ſit, malè illi eſt; ſed multò pejùs, ſi ejus dolores ad jugulum, & acromion ſe obfir- ment.*

ment. Interea igitur non raro per lyſim ſeu etiam abſque ſenſibili ſudore, per paulatinam & inſenſilem reſolutionem hic morbus terminatur: ſæpenumero in imperfectam criſim per icterum faceſſit: quandoque, præcipuè quum diutiùs protrahitur, in ſcirrhum induratur, *tenuiori*, ut ait Galenus (ſive ſanguineâ) *morbum committentium humorum parte difflatâ; craſſiori verò, & ſequaci* (ſeu lymphatico-ramoſâ) *in viſceris amplitudinibus depacta.* Non raro inflammatio hepatis, nulla procuratâ ſuppuratione, in hecticam, & maraſmodem febrem deſinit: interdum & in hydropem. *Hepatis inflammatio, ac durities facilè in aquam inter cutem tranſit*, ait Foëſius.

Atque ab inflammato Hepate progenitum Hydropem gravem fore, & lethiferum præſagit Hippocrates in Coacis deciſionibus: *At verò hydropes illi permoleſti ſunt, atque mortiferi, qui veniunt è morbis acutis.* Profectum ab inflammato Hepate hydropem eodem deinde loco deſcribens Cous, certiſſimum præbet indicium, quo quidem iſte ab alio Hydrope, meſenterii, vel inteſtinalis tubi, aut utriuſque vitiis creato, diſtingui valeat. *Quibus hydropes à lumbis, & ilibus ortum habent, iis tument pedes, ac diarrhæa longa eſt, quæ nec prætumidum ventrem adæquat, nec ipſos lumborum, & ilium dolores exolvit. Sed quibus ab Hepate ſunt hydropes, & unà tuſſes adſunt, & crebra inceſſit tuſſiendi cupiditas, & commemorabile nihil extuſſiunt, ac pedes tument; tum alvus non dejicit niſi dura, atque coacta. Quin etiam circa ventrem aſſurgunt ædemata, partim dextra, partim ſiniſtra, quæ modò conſurgunt, modò ſubſidunt.* " Aſtricta alvus, ait in " Commentario Duretus, ſignum ſyllogiſticum eſt, atque, " ut ita dicam, character hydropis Hepatici, non ſecus at- " que Diarrhæa prædicta illiaci. Alvus autem nihil dejicit, " quia nec irritatur corruptione chyli, nec ſuppreſſione tantâ " opprimitur. Deinde hîc feces naturali carent vehiculo, id " eſt humore, quem hepatis phlegmone prorſus exhaurit. Tum " inteſtina proritatione illâ non gaudent, ut ſolebant deje- " ctionibus ipſis dicata, quam bilis edit per folliculi meatum

" effuſa. Quæ ratio inhibendæ, atque ſiſtendæ fecis commu-
" nis eſt omnium ictericorum: Cujuſmodi ſunt tales Hydro-
" pici. Hucuſque Duretus. Cum igitur noſter Dictator in iiſdem Coacis de aliis hydropis ſpeciebus, non à peculiari hepatis, aut alterius viſceris vitio, aut læſione, ſed ab univerſali fluidorum dyſcraſia ortum habentibus, loquens ab alvi fluxu bonum portendat: *Qui ſecundùm venas hydropici ſunt, prorupta in alvum aquâ ſanantur. . . . Aqua inter cutem initio aquoſum alvi profluvium abſque cruditate exortum, morbum ſolvit. . . . Aqua inter cutem vitio, cui Leucophlegmatias nomen eſt, laborantes alvi profluvium ſedat:* Jam in hoc textu duo præcipua colligenda ſunt: Primum, in Hydrope à lumbis, & ilibus, ſeu, ut commentantur Interpretes, à meſenterio, & inteſtinis ortum habente, nihil alvi profluvium juvare, cum ſemper ſymptomatica, atque ab impedito nutritiorum laticum trajectu fiat ejuſcemodi excretio: Alterum verò, in Hydrope ab Hepatis inflammatione producto neque poſſe alvi fluxum proficere, cum hydropes ab acutis morbis incurabiles ſint; neque poſſe ſperari, cum in hepatico hoc hydrope alvus non dejiciat. Sed de Hydrope nos dicendo fortaſſe nimium à propoſito digreſſi fuimus.

Hæmorrhagia quo loco contingere, & quibus conditionibus ſtipari debeat, ut Phlegmoni Hepatis proficua evadat: Tum quibus indiciis prænoſci queat.

XIV. Sanguinis è nare fluor, decretoriis, aut etiam non decretoriis diebus adveniens, maximo ſolvendæ Hepatis inflammationi adjumento eſt, eóque magis, ſi citiùs in principio, aut augmento, ſeu ante morbi ſtatum contingat, juxta illud Hippocratis in prognoſt. *Accidit in his* (ſive in hypochondriorum inflammationibus) *in prima circuitione* (ſeu in primis ſeptem diebus) *etiam ſanguinis è naribus fluor, atque admodùm juvat.* Hujuſmodi verò criſim in legitima dumtaxat jecinoris inflammatione, ſeu phlegmone, prodeſſe deprædicat per illud in Coac: *Quibus cum rubore faciei hypochondrium in febribus non eſt molle, effluente naribus ſanguine, convaleſcunt.* Nam in ſolo phlegmone facies rubore coloratur: In illegitimis aliis, ſeu bilioſo ſanguineis hepatis inflammationibus, ut in eryſipelate,

pelate, calidâque hepatitide, facies ictero, aut ſubicterico colore ſuffunditur. Sed quemadmodum ſanguinis per nares eruptio in Hepatica Phlegmone citò adveniens celeri auxilio eſt, *inchoatam*, ut ait Duretus, *ſyſtrophem reprimendo, factam exolvendo, denique concitatum rheuma inhibendo, & conſiſtens vacuando*; ita ſanguis per tuſſim in eodem morbo ejectio graviſſimo extat periculo, juxta illud in Coac. *Quicunque ſpumantem expuunt ſanguinem, dextroque laborant hypochondrio, à jecore ſpuunt, multique intereunt.* Tunc enim peſſima conficitur epigeneſis, geminatâ affectione, perſiſtente foco primigenii morbi; afflicto ſimul pulmone, apertoque indebitæ vacuationis loco. Alibi Cous fluere ſanguinem recto itinere commendavit, contrario verò culpavit; docens ipſe quid nam per contrarium intelligat: ſcilicet, *Liene grandiore* (ſeu inflammato) *fluere ſanguinem è nare dextra, affecto Hepate è ſiniſtra.* Ita ad Hepaticam recreandam phlegmonem ſanguis à dextra nare, ſervatâ nempe Hippocraticâ vaſorum rectitudine, effundi debet. Cæterùm in eodem textu adjicit Hippocrates indicia humorum ſurſùm tendentium, undè fluxus ſanguinis naribus imminentis prædictiones eliciantur: Videlicet capitis dolorem, ſubitamque oculorum veluti hebetationem: *Sed tum ſanguinis eruptio expectari debet, quum interrogati, aut caput dolere, aut oculos caligare fatentur.* Addit inſuper quibus hominibus utiles hujuſmodi ſanguinis effuſiones frequentiores extent: *Magis tamen in junioribus quinto & trigeſimo anno ſanguinis fluores expectare oportet.* Addit Duretus in Comment. ad Coac. *Inflammato hepate quò citiùs venit liberalis hæmorrhagia, eò res ægri meliùs eunt.* Huc quoque referri debet ſenſus ille Hippocraticus: *Icterus jecoris oppreſſione natus accedente hæmorrhagiâ deletur.* Quippe Cous oppreſſionem illam verè inflammatoriam eſſe intelligit: Elucetque per praxim, regium morbum in Hepatis inflammatione erumpentem largâ ſanguinis miſſione ſublevari. Ita hæmorrhagiâ ſuperveniens ſanguinis miſſionem facilè ſupplet. Sed magis ſuper hâc re perſpicuum extat Senis in Coacis

judicium: *Hypochondriorum*, *Hepatis*, *Cordis*, *partiumque umbilico circumpoſitarum dolores excluſo ſanguine periculo defunguntur*, *non excluſo*, *intereunt.* Dolores hîc aliiſque locis pro veris inflammationibus recipit.

Quæ alvi, aut urinæ excretiones in acutis biliofis, atque hepatis inflammationibus perniciofæ ſint.

XV. Concernere quoque Hepaticæ inflammationis prognoſim Hippocratica illa in Prorrethicis ſententia videtur: *In acutis bilioſis albicantes*, *ſpumoſæ*, *& perichola dejectiones*, *malæ: Malæ quoque & urinæ hujuſmodi*, *an & his jecur doloroſum.* Cum enim Hippocrates arguere morbum ad concoctionem non adhuc perductum intendat, ab urinis in hoc albicantibus coercitum in viſcere peccantem indicari ſuccum intelligit; à ſpumoſis acerbiorem ejuſdem efferveſcentiam, à pericholis verò multam ejuſdem noxii, ac palantis humoris copiam. Quippe pericholum ex Galeno ſignificat ſuperfluè bilioſum, & tenue. Quam ob rem ut de his urinis Hippocrates malum in acutis bilioſis, ſive hepaticis prçſignat, ita ex una earumdemmet urinarum inſpectione bilioſorum, ſive hepaticorum morborum acutam indolem explorari poſſe, atque manifeſtari declarat Aphor. XXXII. Sect. VII. *Quibus autem in urinis bilioſa ſedimina ſupernè tenuiora ſunt*, *acutum morbum ſignificant.* Namque in hujuſmodi urinis bilis non adhuc concocta, ſeu recollecta apparet, ſed adhuc per ſanguinem ſubtiliùs diſperſa; quæ totam ideo volantis ſulphuris conditionem participans ſurſum attollitur; hinc neque multa, neque craſſa, neque nimium oleoſa eſſe deprehenditur; undè ut morbi brevitas, ita & acuties, ut dicitur, emanat. Quod de urinalibus dictum eſt, id pariter de alvinis ab Hippocrate memoratis dejectionibus intelligendum ſupereſt. Imo ex Practicorum omnium obſervatione quilibet alvi fluxus, hepatis Phlegmoni conjunctus lethalis eſt, aut ſaltem admodum pernicioſus, niſi diebus decretoriis contingens materiam, quam excernit, concoctam præ ſe ferat. Quod etiam alio textu indicare Senem voluiſſe, ſuperiùs perſpeximus.

XVI. Deni-

XVI. Denique: *in hepatis inflammatione ſingultus malum.* Hipp. Aphor. XVII. Sect. VII. Ingens ſiquidem, & ferè totum viſcus obſidens Hepatis Phlegmon eſt, quæ ventriculum premat adeo, & veluti ſtrangulet, ut queat in hujuſmodi convulſionis ſpeciem adigere. Ita Galenus in hujus Aphoriſmi Commentatio ſubjungit: *Singultus Hepati inflammationem patienti dicitur ſupervenire, non ſemper, neque quomodolibet patiente, ſed quando ad magnitudinem attollitur, fervente inflammatione, in quo fervore ſtomachus ad compaſſionem trahitur, nonnunquam communium nervorum ratione. Quare tunc ſolùm compaſſio fit ſtomacho ad hepar, quum inflammatio & maxima, & peſſima fuerit.*

Maximam Hepatis Phlegmonem ſingultus comitatur.

XVII. Cauſam hepaticæ phlegmonis repetendam eſſe à fervidioris ſanguinis, atque in hoc viſcus impetuoſiùs irruentis, minorumque ejuſdem meatuum ordinem turbantis collectione, affuſione, atque ſtaſi, aut ſaltem notabili retardatione eo liberiùs exiſtimamus, quò cum Phlegmone communis ſit viſceribus aliis, omnibuſque humani corporis parenchimatoſis, aut muſcularibus affectio, à communi ſeu partes omnes æquè irrigante liquido, quod quidem ipſe ſanguis eſt, potiùs quàm à ſpeciali, ſeu bile, deducenda eſse videtur. Sed partium hominis inflammationis modus, & ratio Medicorum ſcholis tam ſunt vulgaria, & comperta, ut nos, poſt aliqua ſuper hac re in ſuperiori hujus Hiſtoriæ parte vellicata, in hac tertia unam praxim amplectentes, Theorico hoc opere diſputantium otiis, & tricis dimiſſo, hujus morbi, aliorumque hepatis diagnoſim, prognoſim, & curationem ex inſtituto aggredi, ſedulóque proſequi dumtaxat intendamus. Id unum annotare juvabit, internas hepaticæ inflammationis Cauſſas ab externis, & procatharticis excitari, & diſponi interdum plurimùm poſſe; ut à contuſione regioni hepatis inflicta, caſu ab alto in hypochondrium dextrum, & ſimilibus.

Cauſa Hepaticæ Phlegmonis conjuncta non tantum à ſtaſi ſanguinis, ſed à vehementi ſuſcepto fervoris motu eſt deducenda.

XVIII. Quod

Curatio, quæ in Hepatis Phlegmone atque Eryſipelate, præcipuè ſpurio, eadem videtur, quomodo ſit dirigenda quoad ſanguinis miſſionem.

XVIII. Quod igitur ſpectat ad Hepatis Phlegmonis, atque Eryſipelatis mixti, ſeu phlegmonoſi curationem (in utroque enim morbo medendi ſcopus eodem plerumque recidit) eò ſanè dirigenda iſta erit, ut prius impediatur inflammationis incrementum; quâ obtentâ re, ad eandem indè minuendam, & tandem reſolvendam progreſſio inſtituatur. Cum itaque ab irrumpente vehementer in hepar ſanguine, copioſiùs hinc aggeſto, atque in tumultuariam effervescentiam concitato, Phlegmone ortum ducat; Eſt hic decubitus impediendus, frenandus ſaltem, atque attenuandus, ſanguinem liberaliter evacuando, in alias, eaſque diſtitas partes per revulſionem avertendo, atque inſuper effuſum in viſcere ſenſim ab eodem derivando, lateralibus hujus retardati liquoris preſſionibus unà cum mole imminutis; ut tandem liber in parte, per ablata hujuſmodi preſſionum obſtacula, liquidorum omnium fluxus & refluxus reparetur, & revocetur; ſeu, ut dicebat præceptor, ſtrictum ab inflammatione productum relaxetur. Celebranda igitur eſt, ac largè repetenda Phlebotomia, ratione evacuationis, revocationis ad oppoſitam, aut valdè longinquam partem, aut derivationis à viſcere: in quibus quidem adimplendis indicationibus rectus, atque expeditus ordo adhibendus eſt; priùs baſilicam dextram aperiendo, & ſanguinis copiam, affectionis magnitudini, ægri viribus, & conſtitutioni non imparem, detrahendo. Secanda indè ſaphena, ſi in muliere cum non liberis menſibus emergat morbus: Hemmorrhoïdes poſt hinc uberrimè aperiendæ: Quod quidem præſidii genus, quidquid objiciant circulationis leges, hepatis evacuationem propiùs reſpicere videtur, cum à Galeno in Comment. Aphor. XII. Sect. VI., inſtituto hemmorrhoïdum ſermone, hoc poſterorum memoriæ traditum legatur. *Si quis hoc ei intercludat iter* (ſeu hepati ſe ſe vacuandi per hemmorrhoïdes libertatem adimat (*ſimul duritiem in Hepate facit, ſimul multitudine gravat, ac craſſitie.* Aëtius tetrabib. 2. ſerm. 2. cap. 3. non tantùm primo, &

ſecundo

ſecundo die venam ſecari jubet, ſed & ſeptimo, ſi dolor ex inflammatione adhuc vigeat, & vires ferant. Imò plerique antiquorum in maxima inflammatione etiam uſque ad Leïpothymiam ſanguinem educebant. Nec certè, ob memoratas rationes, miſſione ſanguinis ex variis corporis partibus elicienda, expeditius in hoc affectu præſidium eſſe poſſet: Cætera enim principem curationis ſcopum non attingunt. Galenus in inflammatoriis hepatis doloribus ſalvatellæ dextræ ſectionem valdè etiam proficere *lib. de anat. vivor.* author eſt; ubi etiam ad antiquos hujus viſceris dolores ab arteriæ manus ſectione mirabile juvamen pollicetur. Præmiſſâ hâc ſanguinis ex majoribus venis liberali evacuatione, cucurbitulis quoque, cum ſcarificatione uti licet, vel ad coxas, & crura revulſionis ſtudio, vel ad dorſum, & lumbos in aliquam ineundam derivationem admotis. Cavendum verò ne quum Phlebotomiæ uſu hæmorrhagiam narium, quam remotam cenſemus, ſupplere conamur, eandem, quę revera ſit proxima, importunè, ac perniciosè ſubtrahamus. Conducet ergo imminentis hæmorrhagiæ narium indicia diligenter à Galeno prædiſcere. *lib. 3. de criſ.* aliiſque locis.

XIX. Cathartica, vel leviora, ante ſeptimam, atque ante declinationem morbi angue pejus fugienda veniunt; cum ex ſuperiùs allegatis, in hoc morbo alvinæ omnes evacuationes perniciem afferant. Interea oleoſa plurima purgantium vices ſupplere poterunt, ſi cum aliqua primarum, ut dicitur, viarum expurgatione inflammatoriam viſceris tenſionem laxari oporteat. In hunc ſenſum dulcium amygdalarum, aut papaverum, aut ſeminum melonum, aut lini olea revocamus. Clyſteres; hoſque frequentes purgantibus ſubrogari pariter expediet, ſed vix emollientes, & lotorios, ne quælibet ſtimuli vel puſilla ratio ad uſque inflammatam partem per tunicarum, aut vaſorum continuitatem, cum non levi incommodo traduci queat. Quod ſi, febre cum inflammatione defervente, lene aliquod per alvum ſolvens remedium *Quomodo præterea quò ad alia remedia.*

exigi poſt ſeptimam videatur, id certè à ſero lactis cum tartari cremore, à beta, viola, mercuriali, à caſſia, epythimo, polipodio, elect. diaprunis, aut ſimilibus modeſtè parandum erit. Topica vel in principio, vel in progreſſu inflammatorii morbi, hepatis regioni adhibita, quæ diſcutientia, repellentia, reſolventia, aut etiam diaphoretica dicuntur plurimam ſemper mihi ſuſpicionem fecere: Quandoquidem actuoſum quodlibet, ut ut exteriùs applicitum, hepatis Phlegmoni irritamento eſſe, aut ſaltem tenuiores ſubſtantias, tenacioribus indè magis hærentibus redditis, diſſipare fortaſſe poteſt: Ableganda igitur non minùs ſunt propriè refrigerantia, & pacantia, quæ inflammatos interdum ſuccos mortiferè indurant, & fixant. Cavendum enim eſt, ne nimium in hepatis Phlegmone exteriùs, aut interiùs, aut utroque modo perfrigerando, humores cogas, atque ut ait expertiſſimus Duretus, *à nimium ſtupefacta inflammatione ſcirrho fundamenta extruas*. Actu frigida, tametſi Eryſipelas, aut inſignis fervor debacchetur, nunquam admovenda ſunt. Repellentibus verò, non calidè, non frigidè; ſed tepidè admotis, ac ſæpius renovatis, in Hepatis eryſipelate interdum uti licet. Emollientia igitur, blandéque laxantia, externè, internéque, calidiuſculè ut dicitur, aut etiam tepidè duntaxat in hujus morbi vigore uſurpabimus. Diaphoretica & Diuretica ob metum vehementioris excitandæ turbationis, cautè plerumque in hoc morbo declinabimus, licèt per ſpontaneum interdum, atque decretorium ſudorem liberari affectionem, aut per faciliores urinas in progreſſu ſublevari poſſe, perſpectum ſit. Leviora in contumaci vigilia, aut acerbiori dolore, aut utriſque, admittuntur paregorica. Denique Galenus method. med. lib. X. cap. V. in Hepatis, & Ventriculi phlegmone tenuiſſimum victum, imo penè nullum imperat: *Nam quod ad phlegmonem, quæ in his eſt partibus ſpectat, minimè planè eſt cibandum.* Cæterùm, dictante Sennerto, tutiſſimum eſt, ut ſine ſuppuratione Hepatis inflammatio curetur. Si tamen præcaveri ſuppuratio

ratio non poſſit, danda opera, ut quàm citiſſimè perficiatur, & quantum fieri poteſt curetur.

Atque penſum hîc meum abſolviſſe videor ſuper naturâ, cauſſis, diagnoſi, prognoſi, & curatione hepaticæ phlegmonis. Nunc gradum faciam ad Hepatis abſceſſum, atque ad ulcus, ex abſceſſu frequenter ſuperſtes.

DE HEPATIS, ABSCESSU, ATQUE ULCERE;

Et Primùm de Abſceſſu.

Canones Practici.

Quid ſit ſuppuratio in genere; quot ejus genera; & quomodo Abſceſſus, ſeu Apoſtema à ſimplici ſuppuratione diſtinguatur: Quid tandẽ empyema, atque quot ſenſibus accipiatur.

I. IN Hepatici Abſceſſus Examen introduci vix poſſe videmur, niſi quędam priùs in genere de ſuppurationis natura hîc loci afferamus, aut, ſi mavis, ſuper ſimilibus in Tractatu Pleuritidis Can. XXVIII. ſuperiùs adductis diſquiſitionibus, repetamus. Et ſanè bina ſunt primaria ſuppurationum genera: Primum, & ſimplex ſuppurationis genus illud eſt, in quo concreſcibilis aliqua ſimulque hæterogeneis plurimis particulis imbuta lymphatica ſubſtantia à ſanguine, alicubi viſcerum retardato, expreſſa; aut ſponte ſejuncta, tum per ipſius ſanguinis, tum recipientis viſceris calorem, atque inſuper inſenſilium propriarum particularum vividum quemdam, & adauctum motum, novam conſiſtentiæ habitudinem, ſeu veluti cocturam quandam conſequitur, ut in quoddam ſpeciale liquamen, nonnihil in ſe conſiſtens faceſſat. Neque indè cocta hęc, atque leviuſculè craſſeſcens lympha confluit

in determinatam ſedem, in eâque totum colligitur; ſed ubicunque fuerit hoc modo mutatum, ibidem manet; ſit jam in vaſis, aut quibuslibet vaſorum, aut viſcerum ſpatiis diſperſum. Atque cum liquidum hujuſmodi, internis ſuis ab hujuſmodi coctione refrictis motibus, quendam pariter in componentibus particulis niſum, & impetum, nonnihil prius ſolidorum prementibus viribus reluctantem deperdiderit; & hoc pacto iiſdem preſſionibus facilius, docilius, atque ductilius reddatur, ut ad ſecretiones, atque excretiones paratum magis ſe præbeat; Hinc hujuſmodi ſuppurationis, ſeu potius coctionis genus à pepaſmi legibus non multùm recedit: Neque emergens ab ipſa liquamen pus verum dicendum eſt, ſed puriforme. Alterum verò ſuppurationis genus pus verum producit; in qua nempe actuoſiſſimæ, fervidiſſimæque lympharum copiæ ab inflammato, congeſtoque in tumorem cruore expeditæ, & ſejunctæ, in communem excavatum ſinum turmatim irruunt, ibidemque recoctæ vertuntur in pus legitimum, procreans hoc pacto abſceſſum, folliculato tuberculo coacervatum, atque collectum. Prima igitur, ſeu ſimplex, & diffuſa, ſeu diſgregata ſuppuratio, neque circumſcriptam, ſeu folliculatam congeſtionem ſecum ducit; neque indè ſuperſtes ulcus in loco ſuppurationis relinquit; cum nullam revera ſolidis, ſeu continentibus partibus ſenſibilem alterationem inducat: atque illa ſuppuratio eſt, quæ in plurimis pulmonum rheumaticis, aut etiam calidioribus contingit affectibus. Altera verò ex adverſo ſinum effodiens, apoſtematica, folliculata, atque indè ulceroſa, hepaticas phlegmones, non bene judicatas, proſequitur, interdum & calidiores hepatitides, præcipuè autem exquiſitas pulmonum inflammationes. Atque ut omnibus palam res ſit, in his nos, aliiſque omnibus neque per hilum ab Hippocratica abſcedere doctrina, en utrumque ſuppurationis modum, in morbo pulmonis ab eodem lib. I. *de morbis* egregiè, atque perſpicuè deſcriptum: *Pulmonis inflammatio fit, cum commotam, & humectatam pituitam,*

&

& bilem propter calorem ex vicinis locis pulmo ad ſe traxerit, ſuper ea, quæ jam in ipſo exiſtunt. Totum quidem corpus percalefacit, doloremque præcipuè dorſo, lateribus, humeris, ac ſpinæ exhibet, cum nimium plurimam ad ſe humiditatem attrahat, hæque partes ſupra modum reſiccantur, nimiumque incaleſcunt. Cum verò ad ſe traxerit, tumque bilis, tum pituita ſedem in pulmone fixerit, putreſcit, & in pus vertitur. Et ſiquidem præcipuis ad judicationem diebus putrefacta per ſputum reddita fuerint, evadit æger. Si verò ſuſceperit quæ per initia obvenerunt, aliaque præterea acceſſerint, & neque putrefacta per ſputum rejiciat, præ copia ſupervenientium plerumque moriuntur. Eſt igitur ſalutaris, diſperſaque ſputi concoctio, ſeu veluti Pepaſmus, quàm hîc loci deſcribit Senex; qui poſtea ibidem in malam, ſeu coacervatam indicandam ſuppurationem progreditur: *Quòd ſi ad duos, & viginti dies perveniunt, febriſque dimittit, neque in his per ſputum repurgati fuerint, purulenti evadunt.* Jam ergo utramque ſuppurationem valdè diſcriminat. Ad finem ejuſdem libri primam denuo, ſeu ſalutarem ſuppurationem commemorat: *Ex morbo autem laterali intereunt, cum circa exordia copïoſa quidem pituita, & bilis ad latus impacta fuerit, quam neque ſpuendo propter copiam, neque putrefaciendo ſuperare poſſit.* His itaque Hippocraticis textibus commentati ſunt Interpretes optimi primam ſuppurationis ſpeciem confici à virtute naturalis caloris, alteram verò à violentia febrili. Cæterùm ad primæ ſuppurationis cenſum reduci debere Aphoriſmum XXXVIII. Sect. VII. *Catarrhi prolabentes in ſuperiorem alvum viginti diebus ſuppurant*, luce præclarius videtur; cùm certè Catarrhalium hujuſmodi diſtillationum ſuppuratio, quæ ut plurimùm ſalutaris eſt, neque ullam pulmonis ſubſtantiæ læſionem inducat, in majori duntaxat defluxis ſeris conſiſtentiâ conciliandâ, undè major ſpuendi, ſeu ut dicitur expectorandi facultas ſuboritur, ſubflavoque inducendo colore expleatur. Hoc adhuc ab Hippocraticis colligamus oraculis; cruorem ipſum non eſſe ſuppurationis materiam, ſeu ſanguinis purpuream partem in pus

haud quaquam converti poſſe; ſed ipſam duntaxat nutritiam, albidamque lympham utramque ſuppurationis ſpeciem adimplere. Hoc enim non obſcurè docet Hippocrates in progn. *Abſceſſus autem fiunt, hi quidem ad infernas regiones, quibus aliquid phlegmatis circa hypochondria ſit.* Quemadmodum igitur probum pus ſemper albeſcere oportet; ita quomodocunque alicubi à curſu ſuo retardetur cruor, aut partibus hæreat, aut etiam cum febrili ęſtu, & qualicunque effervèſcentiæ gradu extra vaſa ſubſideat, nunquam in albam habitudinem, ſive propriè in ſuppuratum faceſſit: Ut in aneuriſmate, in ecchymoſi, aliâve omnimodâ quâlibet per vulnus, diereſim, aut rixim, ſanguinis intra, aut extra canales ſtaſi videre eſt: Quibus quidem caſibus putreſcere ſanguis, atque in fœtidiſſimum ſanguinis cadaver migrare non verò ſuppurari perſpicitur. Demùm Empyema, quæ vox ſæpè apud Hippocratem, alioſque antiquos ſonat ſuppurationem in genere; interdum determinatam in pulmonibus puris collectionem, ſive pulmonis vomicam; frequenter verò puris collectionem in cavitate Thoracis extra pulmonum ſubſtantiam ſignificat; in peculiaribus Hepatis ſuppurationibus ab eodem Hippocrate, aliiſque, modò pro ſimplici, ſeu primi generis ſuppuratione deſſumitur; modò pro folliculato ejuſdem viſceris abſceſſu; interdum etiam pro rupto ejuſdem teterrimo, quod phlegmone produxerit, apoſtemate, cum viſceris ſuperſtite ulcere, ſeu toto illo relicto ſinu, qui fuerat ab abſceſſu excavatus, atque inſuper exundatione puris à loco rupturæ in abdominis Cavum, undè contenta viſcera obruantur, ac præfocentur: Quem tertium eſſe, nec non graviſſimum ſuppurationum gradum ſuperiùs in cit. bilioſæ pleuritidis loco declaravimus. Poſtremum hoc cæterùm hepatici empyematis genus annuimus in hujus Hiſtoriæ parte II. Cap. V.

Suppuratio hepatis in folliculatum ſemper abſ- II. Ut modò ad hepatis ſuppurationes deſcendamus: id è limine animadvertendum eſt, haſce alteram ex deſcriptis ſpeciebus, ſeu deteriorem, continuò adimplere; cum revera deſide-

deſiderentur in jecore liberæ, amplæque excretoriæ fiſtulæ, à viſceris ſubſtantia veluti ſejunctæ, ut in pulmone bronchiales, & tracheales ſunt; in quas quidem celeriter defluant catarrhales ſucci, atque indè per primam ſuppurationis ſpeciem, & naturalem veluti calorem concocti, ſubactique, arbitrario poſtea ſpuendi niſu commodè, citóque foras expellantur. Sed hujuſmodi in hepate ſuccorum mutationes in ipſiſmet ſanguiducis vaſis, ab acerrimo inflammatorio calore obeuntur: hinc citæ ejectioni non facilia colliguntur invicem, & morâ acriora reddita, atque *ulcerifica*, ut ait Duretus, hujuſmodi liquamina, exercitis vectis, & cunei viribus, ſcindere ſubſtantiam viſceris valent, & rodere; atque in inſculptam hoc pacto determinatam ſedem exundando, demùm in folliculatum abſceſſum converti. Quod adeò verum eſt; ut quoties ab authorum quolibet hepatis ſuppuratio pertractatur, ſub abſceſſus in diſtinctum tumorem elevati ſpecie deſcribitur; tum ſemper mortiferâ, aut ſaltem peſſimâ prognoſi obſignatur. Revera confecto hepatis abſceſſu de ægrotante actum eſt; niſi fortè fortunâ adeò foras ab hepatis ſubſtantia vertatur ſuppuratus folliculus, ut ipſam hepatis tunicam potiſſimùm occupans, ſe facilem præbere queat exitui, per tentatam à Chirurgi opere apertionem diſpoſito; vel adeo verſùs biliaria ad inteſtinum emiſſaria erumpat, ut per eadem ad alvum expurgari poſſit. Interea in his adhuc caſibus ſuo non caret diſcrimine hepatica ſuppuratio, tum ratione ſuperſtitis ulceris, tum etiam virulentiæ collectę puris, ut inferiùs liquebit. Cæterùm tempora productionis hepatici abſceſſus duo ſunt; nempè in exquiſita ejus inflammatione; ſeu plegmonoſâ aut mixtâ Eryſipelatoſa; (quam ultimam, hepatis ignem ſacrum appellat Galenus in Comment. 2. Progn. Hipp. 66.) vel in minus exquiſita, qualis eſſe poteſt hepatitis calida, aut mixta, quas quidem inferiùs deſcribemus. In prima poſt diem vigeſimum abſceſſus conficitur: In altera poſt ſexageſimum: Quæ quidem

ceſſum faceſſit: Quomodo conficiatur: Quando lethalis extet; & quando aliquam curationis ſpem faciat: & quænam ſint tempora hujuſmodi ſuppurationis.

dem tempora à binis Hippocratis textibus in Coacis eliciuntur: *At verò tumor in Hypochondriis durus quidem, ac dolorificus peſſimus eſt, ſi ſit ab omnibus partibus. Eorum verò qui ſunt unius partis, periculi minùs habet qui è ſiniſtris aſſurgit. Verùm tumores hujuſmodi, per initia quidem nati, mortem in propinquo eſſe denunciant: ſin autem vigeſimum ſuperent, manente febre, in ſuppurationem vertuntur. . . . . Tumores autem molles, ac doloris expertes, ſeriores illi quidem adferunt criſes: At minùs aliis periculoſi. Sed hi quoque tamen ſexageſimum diem ſuperantes, manente febre, in ſuppuratum vertuntur.*

Signa inflammationis hepatis, quæ ſuppurari debet; & ſigna jam ſuppurantis; & quæ jam ſuppuratam eſſe declarant: Quæ inſuper ruptionem abſceſſus indicant; Quæ lethalem eventum; quæ ſpem adhuc aliquam pollicentur: Quæ proximam mortem denunciant: Quæ tandem gibbam, aut cavam partem affectam eſſe dilucidant.

III. Signa igitur futuri hepatici abſceſſus deducuntur à contumacia inflammationis, quæ quidem remediis non cedat, ſuiſque, ut ſupra, criticorum dierum circuitibus nulla, quæ morbo par ſit, judicatione excipiatur. Ad imminentem jecoris præſagiendum abſceſſum valere etiam ſuo modo poteſt illud Hippocratis in Progn.: *Qui multo tempore tenues, & crudas mingunt urinas, ſi cætera ut evaſuris adſint ſigna, hos ad regiones infra ſeptum tranſverſum abſceſſum expectare oportet.* Hoc revera ſignum ſemper deprehendimus in his, qui à capitis vulnere, poſt aliquot dies, interdum & plures, imo aliquando poſt ſexageſimum, octuageſimum, interdum & centeſimum diem, hepatis tandem abſceſſu corripiuntur: quos cum in altera hujus hiſtoriæ parte fol. 146. jam ſatis memoraverimus, & cauſſas purulentę translationis à capite ad hepar pro inſtituti ratione tetigerimus, hîc jam prætermittere liceat; hoc ſolùm notabili adjecto, quod mihi non ita pridem referebat Præclariſſimus Collega Antonius Reina: Plurimos nempe ad celebrem per omnes ætates Urbis noſtræ Taurinenſis Obſidionem Capite percuſſos in Noſocomiis Militum mortiferis hujuſmodi hepaticis abſceſſibus tentatos ipſum obſervaſſe, quorum qui per lapides bellicis tormentis, mortariis dictis, projectos, ſævis quidem, ſed citra lacerationem, contuſionibus afficiebantur, citiùs, non ſuperato acuti morbi ſtadio, in hoſce abſceſſus, præcipitemque inde necem ſtupidi,

ac

ac veternoſi ruebant.

Signa jam ſuppurantis inflammationis à ſubita gravativi conſueti doloris in pulſativum, ſimulque punctorium mutatione, tum à febris, aliorumque ſymptomatum ingraveſcenti extemplò habitudine eruenda profectò ſunt. Quippe ex Hippocratis oraculo. *Dum pus conficitur, dolores & febres accidunt, quàm in confecto*; ſive omnia exacerbantur. Accedunt rigores nullo ordine invadentes, & crebrò citati, caloris irregularibus pariter exacerbationibus excepti; quæ in deteriori abſceſſu multò magis inæquales ſunt, & abruptæ. Ita ex Hippocrate: *In his morbis frequens ſudatiuncula, & horroris viciſſitudo peſſima.* Concoctum jam, ſive confectum abſceſſum indicat doloris mutatio: *Si dixerit pro dolore ſibi ineſſe pondus in loco, quo dolore afficiebatur: Hæc enim fiunt inter initia ſuppurationum.* Hipp. in toties cit. Progn. Febris inſuper aliorumque ſymptomatum imminutio quidem, ſed viribus enormiter debilioribus relictis, cum frequenti, languidoque, interdum & intermittenti pulſu, facilique, & frequenti animi defectione. Quandoquidem Phlegmoni ſuccedens ſuppuratio conſideratur ab antiquis veluti cinis, flammæ atque igni ſuperſtes. Tum non in pulmone ſolùm, ſed & in hepate, aliiſque viſceribus, expletam confectamque jam fuiſſe ſuppurationem declarare poſſunt adducta illa à Coo in Prognoſt. indicia: *Principio ſi febris non dimittit, ſed interdiu tenuior, noctu vehementior eſt: ſi ſudores multi ſuperveniunt, cum ſicca, & inani tuſſi: ſi oculi cavi redduntur, maxillæ verò ruborem trahunt, & ungues manuum curvantur; digiti verò potiſſimùm ſummi caleſcunt, atque in pedibus tumores fiunt, neque cibum appetunt.* Ruptionem abſceſſus comitantur crebertima Leypothimia, frequenſque ſyncope; præcipuè ſi pus in abdominis cavum effundatur; quæ quidem effuſio ſemper lethalis eſt. Signa demum, quæ aliquam de bono abſceſſus eventu poſſent nobis ſpem facere, ſunt ſi febris, annotante Præceptore, "eodem " die poſt abſceſſus eruptionem dimitteret, ac cibum æger " citiùs appeteret, & ſiti liberatus eſſet, & venter conſi-

Z z ſtentia,

" ſtentia dejiceret ; & pus album, leve, & concolor eſſet
" ac vacans pituitâ, ſeu crudâ & mucosâ ſubſtantiâ (de quo quidem in ſequenti Can. V. dicemus) aut ſaltem ad hæc
" proxima fieret acceſſio. "Signa verò deterrima ſi febris non
" deſierit, aut cùm videatur deſerere, denuò recaleſcens in-
" noteſcat; ſitiant, neque cibum appetant,, &c. aliaque adhuc magis perſpicua in ſequenti paragrapho exhibenda. Morti proximis à rupto abſceſſu, venter intumeſcit cum lurida, & hypocratica facie; atque inſigni virium proſtratione; & frigidum ſudant circa collum, & faciem, atque animo linquuntur: *Qui hepatis abſceſſu laborantes colorem habent ictericum, febrem continuam, inapetentiam, & nauſeam, lethaliter decumbunt.* Sennertus. An gibbam hepatis regionem, an concavam obſederit apoſtema, à ſignis præcedentis phlegmonis, quæ quò ad alterutram viſceris partem ſuperiùs diſcuſſimus, colligi tutò poterit. Hanc fortè diſquiſitionem concernit illud Hippocratis in Progn.: *Abſceſſus autem fiunt, hi quidem ad infernas regiones, quibus aliquid phlegmatis circa Hypochondria adſit: Illi verò ad ſupernas, quibus hypochondrium quidem flacidum, ac doloris expers perſiſtit; difficultas autem ſpirandi aliquo tempore facta, deſierit ſine occaſione alia.*

Prognoſis abſceſſuum Hepatis, ex ſitu, & figura tumoris ab Hippocrate elicita.

IV. Prognoſim abſceſſus Hepatis à divino pariter Sene hauriendam ducimus: *Suppuratorum quæ ſurſum ſunt* (ſcilicet ex mente Dureti quæ ſtabulantur in ſuprema regione abdominis) *alia quidem in tunica ſtabulantur collecta; alia verò ſunt in viſceribus ipſis diffuſa. Abſceſſuum prædictorum lethales ſunt illi, qui pus effundunt intrò. Reliquorum autem ſuppuratorum, quæ foras abſcedunt, principem locum obtinet, quod ut breviſſimè, ſic acutiſſimè eſt collectum.* Ideſt ex mente præclariorum Interpretum, Lethales illi abſceſſus ſunt, qui pus intrò in viſceris penitiora effundunt, pus ſcilicet à natura non recollectum, neque ſecretum, ſed propriâ erodendi vi novas ſibi vias, atque cuniculos excudens, & amplificans. Quod quidem magna ejuſdem viſceris læſio, atque unitatis ſolutio conſequitur,

ſequitur, novaque ſuccreſcit offenſio partium, virulentam potiùs, quàm putulentam materiam excipientium. Hoc apoſtematis genus hepatis Vomicam medentes plerumque nominant, quæ interdum brevis, frequentiùs diuturnior morbus eſt, at ſemper incurabilis; tum quia penitiores cuniculos agens, viſceris functionem inſigniter lædere, aut integrè etiam delere poteſt; tum quia abditum purulentum phyma eſt, cujus puris lentor, atque ingens craſſities ſalutarem vacuationem, ejuſque penitior ſtabulatio vacuationis aditum invenire non poteſt. Suppurata verò, quæ foras abſcedunt, breviſſimâque circumſcribuntur ſede, & veluti in mucronem faſtigiantur, ſalutem portendunt; tum quia minimam, aut modicam indicant ſubſtantiæ viſceris læſionem, atque rupturam; tum præcipuè validas naturæ vires vegetoſque ad expellendum conatus, adhæc meatuum libertatem, & puris exquiſitè mitificatam ſubſtantiam denunciant. Ita Cous in I. Prognoſt. Phymata viſcerum in hypochondriis degentium ſuppurata rememorans, ſuperiora repetit, aliiſque ſuperadditis confirmat: *Suppurationum obſervatio ſic accipienda eſt. Earum omnium, quæ in exteriorem partem erumpunt, optimæ ſunt parvæ admodùm, eminentes, atque in acutum faſtigiatæ: peſſimæ verò ſunt, quæ magnæ, latæque, miniméque in mucronem contractæ.*

V. Interea licèt ad hepatis exteriora, ſeu juxta ipſam ſuccingentem tunicam, purulenta colligatur materies, atque faſtigiatum tumorem, modicâ quidem ſede comprehenſum protendat, periculo tamen non vacabit, niſi eas ulteriùs attingat conditiones, quas Senex in iiſdem prognoſticis proponit: *Pus autem optimum eſt, ſi candidum, æquale, leveque, & quàm minimè fœtidum eſt: Maximè verò contrarium huic, deterrimum eſt.* Fœtidum enim corruptionis, non concoctionis indicium eſt: Quod etiam de colore, & conſiſtentia dicendum; Cùm, quò magis puris color à naturali nutritii ſucci candore, denſiorque conſiſtentia ab æquali levitate recedunt, eò majorem virulentiam teſtentur. In aliis autem Coacarum, atque Aphoriſmorum

Prognoſis abſceſſuum hepatis per eundem Hippocratem à puris colore, odore, conſiſtentia, & locis, per quæ idem excernitur; tum de variis ejuſdem quæ apud authores decantantur, excretionum viis.

riſmorum locis adjicitur " Pus nec debere eſſe fervidum, neque
„ ſubcruentum, neque cænoſum, neque craſſius, neque tan-
„ dem ab ipſo vulnerarium ſpecillum, quod in ſinum peruſti
„ lateris immittitur, colorari oportere „ Ita etiam in Coacis: *Quibus inuſto hepate velut amurca prodit, lethale.* Hoſque homines ex cruditate, & malitia ſuppuratæ materiæ in corruptione, & maraſmo finire vitam omnibus certè compertum eſt: Fieri enim non poteſt, quin jecoris ſubſtantia intimiùs computruerit, ſi pus exinde prodiens putridum, ſimulque inſtar *amurcæ*, ſeu fecis olei, concretum appareat. Pravum itaque, & deleterium collectum humorem, tum ſordidum, aut malignum ulcus hujuſmodi excretio depromit. Eodem pacto, quantumvis abſceſſus hepatis, ſi cavam occupet partem, rumpi in biliares ductus, iiſque mediis, non nimiùm grandi relictâ in viſcere plagâ, per inteſtina expurgari queat; ut huc referri videatur illud Hippocratis in Prognoſt.: *Quæcunque verò intrò rumpuntur, optimæ ſunt, ſi cum exteriori ſede nihil communicant, ſed adductæ ſunt, nec dolent, & omnis exterior locus unicolor apparet*; atque ſimile aliud in Coacis: *Eorum, quæ introrſum feruntur optimum quidem illud, quod neque dolore, neque tumore, neque colore conſpicuum quicquam foris exhibet, contrarium verò peſſimum*, deductâ ſiquidem ſpe vel à nullo, vel à minimo relicto cuniculoſo ulcere, vel ſaltem à tali, cujus curatio duce Naturâ ſuſcipi, nec non abſolvi valeat; Multum adhuc diſcriminis in eodem itinere, iiſquemet locis, per quæ derivantur ſuppurata, expectandum eſſe videtur „ Quoniam, ut ait Galenus in hujuſce
„ textus Commentario, excretum per inteſtina pus mordet,
„ & concerpit ea, difficultatemque committit inteſtinorum „
Quæ indè, ut addit Duretus, *Fractis jam viribus immiſericorditer ægrum exercet.* Ita ait Avicenna 3. Canon. fen. 14. tract. 3. Cap. 2. *Sciās quòd, cùm apoſtemati hepatis aſſociatur ventris ſolutio, eſt mortale.* Jam ergo quamlibet Hepaticam ſuppurationem malâ prognoſi excipiendam eſſe, cum ipſo Hippocrate in iiſdem

Coacis concludamus: *Quibus Hypochondriorum mala ſuppurant, peſtiferum.* De cætero pus in hepatis ſuppuratione confectum nunc per urinam excerni, ut legitur apud Salmuthum; nunc per vomitum ejici, ut apud eundem, & Fernelium; nunc per ſputum, & tuſſim, ut apud Schneiderum, Frider. Hoffmannum, & Eraſtum; aut tandem per metaſthaſin fuiſſe translatum in ſuras, aut decubuiſſe in articulos, ut placuit Schenckio, Bauhino, Jacotio, aliiſque, in cenſum rariorum naturæ operum reponimus. Denique totum hepatis parenchyma ſuppuratum interdum iri, quod à laudato Schenckio narratur, id mihi hucuſque & præceſſoribus, inviſum eſt. Id ſanè apud antiquos omnes indubitatum videbatur, abſceſſum gibbæ hepatis per renes, atque urinarias ſemitas, cavæ vero per inteſtina, & ſedes expurgari frequenter poſſe.

VI. Quotieſcunque igitur ſyſtrophica Hepatis phlegmone, aut etiam calidior hepatitis, ſuppurati mutationem acceperit, cum aliqua ſalutis ſpe res ire poterunt, ſi naturæ potentiâ purulenta phymata ad vacuationem puris intrò, aut foras regantur, maloque erunt loco quando virulenti puris dominatu ſurſum, deorſum, foras, introrſum vacuationis inclinatio fiat; ut revera frequentiùs in hepatis abſceſſu contingit. Si igitur præcaveri ſuppuratio non poſſit, danda ſaltem opera, ut, dum vires valent, quàm citiſſimè perficiatur, atque ſuppurata materies promptiùs è corpore extrudatur. Externis auxiliis ſolummodo opus eſt, cùm pus ad gibbam hepatis ſuperficiem, veluti ad ejuſdem tunicam, collectum, præſtitâ à Chirurgo aperturâ, foras è corpore educi poteſt. Antiquorum mos aperiendi latus per uſtionem, qualem deſcribit Hippocrates *de intern. affect.* ut immanior, ita nobis obſoletus eſt. Cum ægro optimè agitur, ſi per communia *pyrotica*, atque *eſcharotica*, ſeu per cauſticos, ut dicitur, lapides, aut etiam breviori manu per ſcalpelli aciem, apertionem molimur. Si benè ceſſerit, puro, alboque effluxo pure, hepate hoc pacto expurgato, atque per injectiones detergentium, & bal-

Curatio abſceſſus hepatis, tum interna, tum quæ internæ variis effluxuri puris itineribus accomodatur.

ſamicarum tincturarum omni procuratâ noxii ſucci expreſſione, & ſubſtantiæ viſceris conſolidatione, reliquum vitæ tempus æger ſine labore exiget: Sed ſi fœtidum, ſanioſum, amurcoſum pus, aut aliter, ut ſuprà, defficiens, pervicaciam ſui, & plurimam viſceris læſionem, atque corruptionem oſtendat, *niſi* (ut memorato loco ait Hippocrates) *per alia remedia convaleſcat*, *conſumptus perit.* Ita etiam declarat Aphor. XLVI. Sect. VII: *Quicunque ſuppurati uruntur*, *aut ſecantur*, *ſi purum fluxerit*, *& album*, *evadunt: ſi verò ſubcruentum*, *feculentum*, *aut fœtidum*, *pereunt.* Sed *alia illa remedia* ab Hippocrate deſignata (quę quidem interna eſſe intelligenda ſunt) moventis naturæ inclinationibus erunt quàmmaximè concinnanda, atque quò illa vergat ducenda; ſine cujus nempe potenti molimine nihil erit proficuum expectandum. Ita ſi raptio purulenti ad inteſtina habeatur, plenaque ejuſdem per ſedes ejectio, nil erit certè innovandum, ſed attemperantia dumtaxat, ad declinandam dyſenteriam, adhibenda. Quòd ſi imperfectiùs evacuatio ſuccedat, lotoriis iſta clyſteribus, blandéque abſterſivis, cum furfurum, & hordei decoctionibus, melle roſaceo, & ſimilibus, immixtis terebinthinatis, allicienda erit, & perficienda. Si renum meatibus puris demandetur expulſio, hi leniendi ſunt, & blandè aperiendi cum ſeri lactis caprilli copioſis hauſtibus, emulſionibus ſemin. frigid. in aqua ononidis, malvæ, pariet. &c. aut ſi lentiùs habeatur excretio, lenibus, & balſamicis diureticis ſuaviter proritandi; ut decoctionibus cicerum rubrorum, & ſtibii crudi, radic. aperit. terebinth. cyprio aut balſam. ſulphur. terebinthinato, aut copaivæ balſamo (quod quidem tenuioris terebinthinæ genus eſt) aut tincturis ſuccini, pareyrę-bravæ, hiperici, juniper. aut camedr. &c. Juvat oximel vel ſimplex, vel diureticum: In primis blandè alvum laxantia, quæ propriis ſtimulis puris per urinas trajectus promovere etiam poſſe videntur.

Vomitus ſi fortè accederet purulentæ ſubſtantiæ, pinguibus, oleoſis, aqueiſque tepidulis promovendus, aut attem-

attemperandus. Pure à fiſſo, aut exeſo hepatis corpore in abdominis Cavum exundante; obviaque viſcera indè inficiente, & corrumpente, atque ad ſphacelum promovente, uſui fuerat antiquis quędam uſtionis, aut paracenteſis ſpecies, quam tamen, veluti ſemper inutilem prætereo. In quocunque horum caſuum hydromel plus, minùs medicatum conducit; atque vulneraria præcipuè, largis hauſtibus exhibenda. Hæc etiam, aut ſimilia vomicæ, ſeu penitioris abſceſſus curationem, ſi quæ erit, committere poterunt.

HISTORIÆ ABSCESSUUM,

Et Vomicæ Hepatis.

Abſceſſus Hepatis ex vulnere ad hanc partem inflicto, tum ex Capitis plaga cum pure ad hoc viſcus translato, aut ex diuturnis Chronicisque morbis, progenitos ſuperiùs deſcripſimus in altera parte fol. 146, & ſequentibus. Suppurata ceterùm ex aliqua hepaticę inflammationis ſpecie lethalia tubercula in hepate, & ab hepate producta memorat Hippocrates in Epidemiorum libro ultimo: *Cleotimo ſutori cùm alvus diu liquida fuiſſet, & calor accidiſſet circa hepatis regionem, tumor tuberculo ſimilis ad hypogaſtrium deſcendit, & alvus humectabatur, & alterum ipſi tuberculum circa ſuperiorem hepatis regionem ad hypochondrium exortum eſt. Mortuus eſt.*

Hiſtoria ſanati per lateris apertionem abſceſſus hepatis, nobis non ita pridem à doctiſſimo Doctore Laurentio Maſſà Medico Caluſienſi communicata, Hæc eſt: " Accerſitus „ anno 1720. Poſtr. Id. Januarii ad Dominicum Ferrerium, „ ann. 36. ætatem agentem, & ruſticis laboribus deditum, „ eum febre continuâ cum dolore gravativo in hypochondrio „ dextro,

„ dextro,in parte tamen poſteriori ad coſtas mendoſas deprehen-
„ di correptum. Febris nocturno tempore ſuas habebat exacer-
„ bationes. Diagnoſis hujus affectus, etiamſi aliqua ſigna ab-
„ eſſent, hepar inflammatione laborare, mihi fuit. Ter ſe-
„ ctâ venâ, ſcilicet bis in brachio dextro, ſemel in pede,
„ exhibitis refrigerantibus, & humectantibus hepar reſpicien-
„ tibus, morbus de ſua feritate circa decimam octavam om-
„ nino remittere videbatur. Elapſis circiter tribus menſibus,
„ etiamſi patiens aliquâ frui valetudine videretur, de dolore
„ tamen in dicta parte fixo conquerebatur. Febris veluti ha-
„ bitualis eum exercebat. Tandem in maraſmum deductus
„ patiens meo conſilio, pro ſuæ ſaluti conſulendo, D. Johan-
„ nem Baptiſtam Bertam, virum in Chirurgia, ac medendi
„ dexteritate celeberrimi nominis vocavit. Quinam exitus
„ hujus morbi, alioquin dubiæ aleę fuerit, per deſcriptionem
„ dicti D. Chirurgi, quam tibi lubenter mitto, dignoſcere
„ poteris &c.

Chirurgi ſuper eadem Hiſtoria Epiſtola.

„ Anno 1720. 9. Maii accitus fui ad Dominicum Fer-
„ rerium Cuccllienſem, juvenem agreſtem, ætatis ſuę ann.
„ 36. circiter. Nudato hypochondrio dextro ſitum doloris,
„ quo affligebatur digitis mihi demonſtrabat, mecum obſer-
„ vante D. Laurentio Maſſâ Doctore Medico, atque in Apol-
„ linea facultate nemini ſecundo, famigeratiſſimoque. Abſceſ-
„ ſus in dicto dextro hypochondrio profundiùs ſitus detectus
„ fuit à prægreſſa hepatitide, quâ is in particulari loco affli-
„ ctus fuerat, & adhuc affligebatur. Ad foras educendam
„ materiem requirebatur in dicta parte apertio, quam Cau-
„ ſticis lapidibus faciendam delegi. Profundæ eſcharæ locum
„ ſcalpello uſque ad cavitatem aperui; atque à ventris ſpecu,
„ ut immiſſus ſtylus indicabat, effluxit purulenta materia.

„ Eſcharæ lapſum unguentis ſuppurantibus acceleravi : Poſt „ cujus lapſum in foramen ſatis amplum digitum adegi ; & „ ſolutionem ſuper hepatis gibbum tetigi, quæ rotunda erat „ ad Librę Sabaudicæ magnitudinem in latitudine : In pro- „ funditate autem craſſitiem digiti unius æquabat. In dies pure „ meliorem notam acquirente, ſpem concepi, ægrotantem „ noſtrum fore ſalutem conſequuturum, Hippocratis effato „ innixus : *Quibus hepar ſuppuratum aduritur, ſi pus purum* „ *effluxerit & album, evadunt; in tunica iis pus continetur : ſi* „ *verò qualis amurca fluat, pereunt.* Conſequutus eſt igitur „ ægrotans iſte integram ſanitatem circa finem Junii ejuſdem „ anni &c. Illuſtriſſimæ Dominationis tuæ addictiſſimus fa- „ mulus, Joannes Baptiſta Berta Montalengarum Chirurgus. Liceat hîc ergo animadvertere, hujuſmodi abſceſſum eſſe il- lis accenſendum, qui, ut ſuperiùs dictabat Hippocrates, *in exteriorem partem erumpunt, parvi admodùm atque eminentes ex- tant;* ideóque eodem annotante Coo *optimi* ſunt, & ſanabiles: Tradit enim Chirurgus noſter *ſolutionem ad hepatis gibbum ro- tundam fuiſſe, ad libræ Sabaudicæ magnitudinem in latitudine*; ſeu vix ab binos tranſverſos digitos latam.

Hiſtoriam aliam abſceſſûs hepatis, ſed in lethum converſi, cum epigeneſi ad pulmones vide ſuperiùs in II. Parte Cap. V. fol. 147. ex famigeratiſſimo Lentilio ; & aliam inſuper ab eo- dem Authore indicatam in eadem parte fol. 190.

Vomica Hepatis lethalis.

Advena quidam, longis peregrinationibus attritus, habi- tuali febre jam dudum prehenſus, cum macie, & dolore hy- pochondrii dextri, vehementiori demùm correptus febre in primarium Taurinenſe Noſocomium concedebat. Poſt ali- quot à decubitu dies faſtigiatus ſubitò tumor ad idem hypo- chondrium apparuit, cum non obſcuris confectæ ſuppurationis in-

diciis. Aperto per pyroticum tumore ingens deterioris puris copia erumpebat. Poſtridie mortuus eſt. In cadavere putidum, & ferè putridum totum hepar deprehendebatur; cujus gibbam ſignatim partem foras tandem erupti tumoris baſis latè ſatis occupaverat, & recèns quidem, ſed inſigniùs corruperat. Vomica hepatis à diuturnis latibulis ad exteriora viſceris tandem porrecta, atque per novam corruptivam ſuppurationem abrupta. Ex communicatione Cl. expertiſſimique D. Reina, ejuſdem Noſocomii Primarii Medici, atque in Taurinenſi Univerſitate Theorices Profeſſoris.

ULCUS HEPATIS,

Canones Practici.

Natura hepatici ulceris. I. GRaphicum eſt, quod à Fernelio Pathol. lib. VI. Cap. IV. prolatum legimus hepatici Ulceris judicium "Ulcus "ex abſceſſu contractum perpetuò colluvie multâ ſordeſcit, "neque unquam poteſt ſaneſcere. Jecoris enim ſolida ſub- "ſtantia ſpermatica quum ſit, non magis quàm pulmonis "reparari poteſt. Tum igitur vitioſa eſt ſanguinis confectio; "corpus non alitur, ſed verè tabeſcit. Putrida, ſanioſa, "& interdum cruenta eſt alvi dejectio, ac ſæpè quaſi ex "cadavere facta colliquatio. Urina quoque ſanie perfuſa, aut "ſi ea in abdominis ſpatium penetret, hydrops omnium gra- "viſſimus exoritur, qui & inguinum, pubiſque gravitate, & "manifeſto tumore ſe prodit, ſiquidem vires tandiu perſi- "ſtant, quod certè vix unquam ulla obſervatio.

Ulcus hepatis duplex: alterum veluti acutum, ab abſceſſu contractum. II. Sed duplex hepatis Ulcus eſt: Alterum, quod ſuppuratæ inflammationi ſuccedit, pure Phlegmonis locum occupante, eumque, ac circumpoſitam viſceris ſubſtantiam exedente: Alterum quod citra inflammationem, ortamque ab

ab hac ipſa ſuppurationem, à virulento, cauſticoque per hepatis penetralia gliſcente ſucco, in meracioris vini, aut aliâ quâlibet victus rationis intemperantiâ, in venerea, aut ſcorbutica lue, in hectica, aut phthiſica febre, in calidiori, acriorique rheumatiſmo, in inſenſili tranſpiratione contumaciter conſtipata, in acerrimæ bilis dyſcraſia, aliiſque tandem in caſibus contrahitur. Primum velociùs, & cum ingentibus turbis producitur, jam ab ipſo initio magnum, multamque viſceris partem occupans; hinc acutius, periculoſius, & brevius, ut plurimùm lethale: atque ſi diutiùs perſiſtat, in gangrænam, atque ſphacelum degenerans.

Alterum Chronicum, à diutina eroſione. Vtriuſque eventus panduntur.

Fragmina carnea, per alvum ſæpè prodiiſſe viſa, haudquaquam ab hepatici ulceris eroſione repetenda ſunt.

Alterum clanculò, lentéque depaſcitur, principio exile, neque niſi poſt longum tempus increſcens, majorem, quàm primum, ſalutis ſpem facit: Quod tamen ſi incurioſè habeatur, tandem in immedicabile carcinoma, aut etiam in funeſtum cancrum non minùs convertitur. Utrumque eò ſæpè malignitatis procedit, ut profundiùs inductis per viſceris ſubſtantiam longâ exeſione cuniculis, diſruptâque ſuccingente tunicâ, cumulatæ ſaniei majorem, aut minorem undam in caveam abdominis pro graviori, aut leviori læſione contentorum viſcerum effundat. In utroque inſuper, diuturniori, immaniorique reddito, exeſæ viſceris ſubſtantiæ particulas, & fruſtula cum quodam tabifico fluxu excerni per ſedes poſſe, excretaque fuiſſe viſa, atque poſt hujuſmodi excretiones adhuc evaſiſſe ægrotantes, aliquæ Alexandrini, Herculis Saxoniæ, Nicolai Florent. Matthei de Gradibus, & aliorum obſervationes teſtantur. Sed hujuſmodi excretas ſubſtantias ſolida, propriaque hepatis, aut alterius cujuslibet ulcerati viſceris fragmenta non fuiſſe, eò certiùs videtur, quò eroſa ab interno principio viſcera ſemper in pus, ichorem, aut ſaniem, aut anomalum quoddam virus, tabumque liqueſcunt, nunquam verò fruſtulatim dilaniantur. Quippe erodentis interni liquidi morſus inſenſili gradu ſerpendo, inſenſiles pariter particulas gradatim diſrumpit, invicemque diſſolvit: Hinc

ſolidarum animalis partium in fruſta diſruptiones non niſi ab externis, ſolidiſque inſtrumentis repetendas eſſe cenſemus. Interea livida, nigricantia, aut aliter corrupta, majora, aut minora, ſolidiuſcula fragmina carnoſam naturam æmulantia, viſcerumque ſubſtantiam mentientia, à carcinomatoſis concretionibus, inteſtinorum cavum occupantibus prodiiſſe, continuò in praxi atque extiſpiciis comperimus. Ita hujuſmodi excretiones non niſi cum graviſſimis inteſtinorum doloribus, difficultatibus, aliiſque proprii eorum affectus argumentis, contingunt. Neque dubium eſt, plurimas tum ſolidas, tum etiam liquidas, quatientes validè, ac divellentes cauſſas in inteſtinis occurrere, quæ quidem internis viſcerum ſubſtantiis minimè aſſident.

Signa utriuſque ulceris, ejuſque ſedis ad gibbam, aut cavam hepatis.

III. Quod ſigna, utrumque hepaticum ulcus diſcriminantia, reſpicit. Ulcus inflammationi ſuccedens per prævia hujus morbi indicia dignoſcitur. Ulcus ſine præcedente inflammatione in jecore excavatum dignoſci poterit per ulceroſum aſſiduum dolorem in dextro hypochondrio, cum arida, & inani tuſſi, fixâ, aut erraticâ febriculâ, præcipuè poſt cibum ingraveſcente, icterico habitu, continuâ ciborum omnium, inapetentiâ, ingentique præcipuè carnium faſtidio, & tabe ſenſim invaleſcente conjunctum. Adeſt & oris amaror, & linguæ fœditas; ſed ſitis non acriùs urget. Parvæ interdum flaveſcentes, aut liveſcentes puſtulæ ad faciem effloreſcunt. Teter ex ore halitus expirat. Frequens animi deliquium accedit. Interea ſi febris continua non ſit, lentiorque extet rodentis ichoris malitia, vires ita interdum conſtantes videntur, ut æger conſuetis muniis vacare poſſit. Sed Febris poſt longum morbi progreſſum conſtantior evadit, neque aliquem typum ſervans, & demùm in hecticam, & maraſmodem deſinens. Si ulcus gibbum hepatis teneat, difficilis ſanè reſpiratio eſt, & dolor transverſi ſepti: Tum affecti hepatis ſigna in urinis apparent; imò urinam purulento perfundi abſque ſignis ulcerationis in veſica, aut in renibus, celebris anti-

antiquorum obſervatio fuit. Sed ulcere Cavum hepatis obſidente, dejectiones alvi purulentæ deprehenduntur, ſaltem continuò liquidæ, crudæque. Interdum & cruenti quidpiam ſimul excernitur, cum dolore inteſtinorum ob translabentis materiæ acrimoniam, ut dyſenteria eſſe perſæpè putetur; cùm tamen gravitatis, & continuæ veluti terebrationis ſenſus in hepate permaneat. Inapetentia magis excruciat; nauſea major; vomitus frequens, & oris acerbior amaritudo.

Prognoſis in utroque ulcere, aut ſimplici, aut inflammato.

IV. Prognoſis ex his, quæ tradita ſunt, elici abundè poteſt. Ulcus hepatis ni exiguum ſit, & veluti ſolam hepatis ſuperficiem occupet, atque inter initia curetur, exitiale eſt. Multò majus diſcrimen afferunt exulcerationes jecoris, inflammationi, præſtitoque abſceſſui ſuccedentes, quàm quæ ſine iis incipiunt. Ita quæ relinquuntur ulcera ab apoſtemate, ſi profundiora ſint, magiſque à biliaribus ductibus diſſita, non certè conſolidantur, ſed altiùs depaſcentia citò in necroſim vertuntur. Foreſtus lib. XIX. obſervat. X. caſum affert hepatici apoſtematis in ſuppuratum mutati, undè malignum, atque depaſcens ulcus natum eſt, & demùm lethalis gangræna: Quod bis nobis etiam videre contigit. Periculo tamen plena ſunt illa hepatis ſecundi generis ulcera, aliiſque primi generis reverà æquiparanda quę proprias ſanies per aliquod corporis emunctorium non ſubducunt, ſed cæcè, & ſordidè in viſcere retinent, & accumulant, omnique exitu prohibent. Hæc quidem præter conſumptionem, & phthiſim lethalem etiam, atque præcipitem hydropem non infrequenter inducunt, ut etiam annotaſſe Fernelium ſuperiùs vidimus. Quandoque ulcera hepatis, vel à nimiùm accumulatis, virulentis, atque opprimentibus ſuccis exaſperata, vel ab erratis in ſex rebus non naturalibus, aut aliis quibuslibet cauſſis laceſſita, acriter inflammantur (ut ſępè etiam in ulcere pulmonum evenit) febrilis indè incandeſcit ignis; atque ægri ſitientes, æſtuantes, delirantes, ſimulque convulſi pręcipiti curſu, atque per acutam febrem moriuntur.

Remediorum in hepatis ulcere adminiſtratio.

V. Ulcus hepatis, ut aliud quodlibet, abſterſionem, repletionem, & conſolidationem, roborantia inſuper viſcus remedia depoſtulat. Si in recenti ſecundi generis ulcere abundantis ſanguinis indicia obtrudantur, vena ſecari poterit, ut ulcus immune ab inflammatione ſervetur, multóque ideò magis ſi inflammatum ulcus ſit, & vires conſiſtant. Ita in non adhuc confirmato ulcere, ad excutiendas, verrendaſque jecoris ſanies, atque per alvinam excretionem movendas, non infimæ virtutis Catharticis utendum eſt. Mundificantium, & abſtergentium commodiorem claſſem adimplent vulneraria præſidia dicta, quę inſuper adglutinantes, ſeu balſamicos ſuccos in ſanguine renovare, atque inſuper urinę vias aperire ſolent. Hæc, præcipuè ex vegetabili regno elicita, per varias formas, per ſuccos in primis, & decoctiones parantur, atque exhibentur. Inter horum plurima ſeligenda ſunt conſolida major, ejuſque radix, biſtorta, plantago, quinquefolium, urtica, æquiſetum, millefolium, hipericum, ſcabioſa, verbena, Carduus ſanctus, alchimilla, bugloſſa, ulmaria, hedera terreſtris, & arborea, Veronica montana, ſanicula, vincapervinca, hyſſopus &c. acriora interdum adjiciuntur vegetabilia; ut angelica, Valeriana, Carlina, Imperatoria &c. Præterea plantæ hepati propriæ intermiſcendæ ſunt; ut Hepatica, chamepiteos, lingua cervina, agrimonia &c. Lignoſa quædam non inconſultò in his pariter decoctionibus adhibentur, ut lignum juniperinum, rhodium, aut lentiſcum, radices chinæ, & ſarſę-parillæ, ſaſſafras, ſantali citrini, aut albi; adjecto etiam C. C. raſo. Serum lactis caprini non improprium eſt, præcipuè ſi cum mulſa, aut aliter, juxta ſtatum morbi, atque ægrotantis conſtitutionem alteretur. Poſt abſtergentia conveniunt ſiccantia, quæ aliàs internis vulneribus, atque ulceribus perutilia ſunt, ut ariſtolochia rotunda, ſalvia, radix ireos, Caryophilata, ſpica, ſchenantum, abſinthium; quibus addi poſſunt ſarcocolla, lapis hematites, ſpodium, coral. rub. & ſimilia. Terebinthina cruda, cum vitello ovi ſoluta,

ſoluta, largo juris hauſtui immixta, & propinata, plurimùm in viſcerum ulceribus confert, mundificans, conſolidans, acriores ſuccos irretiens, atque ad renes compellens, hinc mali reliquias abſumens. Similem adimplent paginam balſama peruviana, copayve, aliaque ſimilia, & ſimplicia; ſimilem pariter compoſita, ut balſamum ſulphuris terebinthinatum, aniſatum, ſuccinatum, cum ſaccharo ſaturni, aliiſque edulcorantibus. Cremor hordei alimentis ſemper erit ſociandus, & ptiſana hordeacea martialis pro quotidiano potu exhibenda. Sed implere ulcus, atque conſolidare totum naturæ opus eſt; quod ipſa quidem, ablatis impedimentis omnibus, ſiccatoque ulcere, atque nutritiis ſcatentibus ſuccis, non difficilè molitur.

HISTORIA

Hepaticæ exulcerationis ſecundi generis, morbis aliis copulatæ; ex nuperrima communicatione Cl. & amiciſſimi Viri D. Pignoni, apud Cuneenſes Celebratiſſimi Medici.

„ MUlier quadragenaria ſtrigoſi habitûs jam quatuor ab „ hinc annis ex laborioſo partu conquerebatur de ali„ quo pondere in abdomine; ex quo tempore diminui men„ ſes inceperunt. Poſt annum tamen fœliciter alium edidit „ partum; nihilo tamen minùs idem pondus durabat, atque „ tumorem in dies augeri perſentiebat. Superiori Auguſto „ menſe vehementiora omnia à Thermis adhibuit remedia: „ ſed omnia incaſſùm. Sub finem autumni poſt intentata plu„ rima ab aliis Medicis remedia meum expoſtulavit auxilium. „ Univerſum corpus macie laborabat; venter tamen adeò „ plenus erat, ut videretur binos geſtare infantes. Tumor „ in tres circumſcriptas dividebatur prominentias: Levis aderat febri-

„ febricula: Vrinæ diminutio notabilis; & talis alvi ſtipticitas, „ ut per menſem (quod ſanè mirabile), irrito quocunque re- „ mediorum auxilio, nunquam dejecerit: Vndè pauco tem- „ poris intervallo mollis, ſed enormis Meteoriſmus elevatus „ eſt. Suffocabatur itaque; atque exiliſſimus pulſus proximam „ necem minitabatur. Celebratâ Paracenteſi fecibus, & „ urinæ libertas conceſſa eſt; ita ut ab orci faucibus erepta „ videretur. Quater punctio inſtituta fuit, & pluſquàm cen- „ tum quinquaginta libræ aquarum extractæ ſunt; quum po- „ ſtremâ peractâ punctione, diſceſſoque Chirurgo, ipſamet „ ægra ferreo quodam inſtrumento ipſum punctionis locum „ recludens, totum effuſis aquis inundavit ſolum; & poſt „ aliquot horas naufragam in iiſdem animam emiſit. Aperto „ cadavere tumorem in ventre plus 25. libras pendentem in- „ veni, in quo aderant plus 20. alii tumores diverſæ magni- „ tudinis, atque figuræ. Centrum tumoris Cartilagineum „ erat, ovalis figurę, nigro humore repletum. Diverſi erant „ liquores in dictis tumoribus contenti: Quidam nigri inſtar „ atramenti, alii limpidi inſtar aquæ: Nonnulli pellucidum „ albumen, mel tandem plurimi imitabantur. Incipiebat „ tumor à medietate ventriculi per varia prominentia vaſa, „ quę in illam indè molem diſſeminabantur: ejus conus per „ membranulas plurimas utero, & veſicæ accreverat; atque „ inſuper multis in locis peritoneo alligabatur. Apertis hiſce „ omnibus tumoribus plus duodecim adhuc libræ ex omni „ materiarum genere egrediebantur, Dictum tumorem ex „ ventre extraxi illæſis contentis aliis partibus. Meſenterium „ atque inteſtina naturaliter ſe habebant: hepar erat dimi- „ nutæ molis; atque membrana ejuſdem extima corroſa oc- „ currebat, pure imbuta, diaphragmati, & coſtis annexa: & „ ulceroſa læſio in viſceris ſubſtantiam ſe pariter inſinuabat. „ Lien naturalis erat: ſolùm defficiebat omentum; cujus nempe „ nullum prorſùs apparebat veſtigium. Ex quo liquidò ap- „ paret non aliud fuiſſe totam hanc morborum iliadem, quàm

ipſam-

„ ipſammet , ſuccis variis præternaturalibus perfuſi omenti „ excreſcentiam „ Hucuſque D. Pignonus.

Mirari fortaſſe aliquibus continget in hoc caſu, hepar ſolum, ſolidius viſcus, non autem lienem, flaccidius, & mollius, aut alia laxiora etiam viſcera, in omentalis carcinomatis affectu fuiſſe involutum. Attamen ſæpiùs à nobis per hujus Hiſtoriæ partes annotatum eſt; hepar, in morbis, præcipuè diuturnis, præ aliis omnibus viſceribus lædi; atque ſi vitiorum origo non eſt, in vitiorum ſaltem continuò induci conſortia: omnemque rei cauſſam amplè retulimus. Similem ipſe deſcripto carcinomatoſum omenti affectum in Nobili Forolivienſi cum cl. piæ memoriæ Valſalva Bononiæ videbam. Sed ſiccus erat morbus, citra immixta, aut expreſſa liquamina; licèt enormis hujuſmodi viſceris accretio utriformem quamlibet ventralis hydropis ingentiorem ſpeciem mentiri facilè poſſet. Solidus, lividuſque, & jam propè corruptus tumor (quantùm viſu conjici potuit) 25. libras pendere fortaſſe potuiſſet. De cętero ad deſcriptum hunc à Pignono ab Hepate, & omento hydropem quadrare adhuc poſſet, quem nos ſuperiùs ruptis jecoris lymphaticis conciliavimus, Aphoriſmus ille LVII. Sect. VII.: *Quibus hepar aquâ plenum in omentum eruperit, his venter aquâ repletur, & moriuntur.*

DE HEPATITIDE

Canones Practici.

I. HEpatitis, morbus cùm apud antiquos cum jecoris phlegmone, imò & eryſipelate non rarò confuſus, tum apud recentiores incertior, & obſcurior, hîc modò à nobis, caſtigatam Hepatis morborum, eorumque differentiarum, & Curationum hiſtoriam intendentibus, quoad fieri poſſit, explicanda *Hepatitis, morbus Hepatis vel ingruens, vel conſiſtens, ſeu ſi lubeat, antiquorum intemperies*

cum materia, aut ſine materia, obſtructionis, Scirrhi, Phlegmonis, Eryſipelatis, aliorumque hujus viſceris morborum fundamentum eſſe, eiſque interdum conjungi poteſt; ſed neutrum horum omnium propriè eſt, quæ nempe ſuam peculiaris morbi ſpeciem adimplet; tum vel per ipſa Modernorum principia explicari poteſt.

plicanda, elucidandaque ſuſcipitur. Duretus, qui in explicando Hippocrate palmam omnibus arripuiſſe videtur, Hepatitidis definitionem in genere proferens: *Hepatitis* (inquit ad Commentarium de Hepaticis Hippocratis fol. mihi, 321.) *ex qua hepatici nominantur, eſt exolutio hepatis è norma, & præſcriptione ſui proprii temperamenti, & complexionis procul egreſſi, atque id ſine phlegmone ſyſtrophica, & ſine ſcirrho.* Cúmque ex cujuslibet partis temperie propriæ ejuſdem actionis facultas eliciatur; à Jecoris ejuſcemodi intemperie propriæ facultatis, atque functionis imbecillitatem deducere pergit laudatus vir, atque Hepatitidis cauſſam in genere perſcrutari; quam quidem vel in meatuum, vel in humorum vitio conſiderat; utramque verò vel intra natam, congenerem, & coæqualem; vel extrinſecùs incidentem dietæ vitio in victu, & inſtituto; Tum ab unaquaque ex his cauſſis diſparia incommodà, ſive preternaturalia phænomena attendenda eſſe animadvertit. Dirimit ergo cauſſam Hepatitidis in *ingruentem*, quam ab humoribus, & in *conſiſtentem*, quam à vitio meatuum, ſeu propriæ viſceris ſubſtantiæ repetit: Ab utraque dyſcraſiam hepatis deducit, quam rurſùs diſtinguit in *frigidam cum crudore, cachochimia, & flatu*; & in calidam cum *ardore, putredine, bile primùm flava*, mox *atra, & ad extremum maraſmo hydropico.* Ut indè ex his nobis in genere elucefcat: Hepatitidem eſſe peculiarem dyſcraſiam hepatis, ſeu intemperiem cum materia, aut ſine materia, à ſolido, aut à liquido, aut ab utriſque productam; ex qua non ſolùm ſenſibilis læſio propriæ actionis ſuccedat, ſed alii præterea per alia viſcera, aut ſanguinem, diffuſiores morbi, acuti, aut chronici, ſeu calidi, aut minùs calidi, graves, aut minùs graves ſuccreſcant. Tres deinceps Hippocraticas Hepatitidis ſpecies laudatus author enunciat: Primam, in qua color ſublividus, alteram, in qua auriginoſus, tertiam in qua niger corporis habitum invadit. Interea cùm ſuper illam, quæ hepati concredita ab antiquis fuerat, conficiendi ſanguinis operationem, ejuſque idcirco alterationes tota in hoc morbo expoſitio antiquorum

rum ſita ſit; ſi nos ſanioris Theoriæ principiis ſuffulti, propoſitam à Dureto diviſionem complectendo, Hepatitidem in calidam, frigidam, ſimulque & in mixtam diſcriminemus, cuilibet ſuas cauſſas brevi dicendi genere conferamus; graviſſimis præcipuè Hippocratis, ejuſque præclariorum Interpretum obſervationibus cum iiſdem ſedulò, & appoſitè conciliandis, ſive hujuſmodi morbi diagnoſi, prognoſi, & curationis modo, quantùm hanc partem deceat, aperiendis inſiſtamus, ut cùm omnes ejuſdem ſpecies inter ſe, tum ſingulæ ab apparenter ſimilibus, re tamen vera diſparibus morbis per propria ſigna dirimi impoſterum à medentibus valeant; penſum jam noſtrum abſolviſſe non dubitabimus.

II. Quotieſcunque igitur in illo vaſorum contextu, qui Hepatis parenchyma dicitur, ſeu propriè in horumce vaſorum lateribus, & nominatim in villis eadem componentibus, illa mutabitur naturalis vis diſtractionis, & contractionis, quâ quidem hæc ſolida ab appellentium liquorum preſſionibus ſuperantur, & mutuùm eaſdem ſuperant, ipſoſque premunt, alterius nempe ex his ſubſtantiis reſiſtentiâ adversùs alterius reſiſtentiam alternatim minori redditâ, undè tota liquidorum fluxus, & refluxus per viſcera, totaque ſecretionum, aliarumque omnium naturalium functionum ratio petenda eſt; orietur jam hepatis morbus à ſolido, ſive ut aiebant antiqui, intemperies ſuapte naturâ ſine materia; ſive à denſitate, rigiditate, aut raritate, mollitie &c. ut jam ſuperiùs in II. partis Cap. II. tetigimus.

Explicatur per modernorum principia conſiſtens hepatis intemperies, ab antiquis ſine materia dicta; quæ duplex eſt, ſub communi tamen imbecillitatis hepatis nomine ab antiquis deſcripta; atq; à ſimili in pulmonibus affectione ulteriùs elucidata.

Et ſanè duplex hujuſmodi affectionis genus, idque oppoſitum, ſe præbet: vel ſcilicet cùm adaucta in hepaticis ſolidis contractionis vis, ab affluentibus ſuccis ſuperari ſatis non poteſt, ut nimiùm hoc pacto conſtrictis hujus viſceris meatibus, minùs diſtribui appellentes latices, minùſque ſecerni queant: vel cùm imminuta eſt; ut minùs etiam influentes iidem humores ad proprios curſus, & ſecretiones urgeantur. Vtramque reverà habitudinem ſub communi imbecil-

 litatis

litatis nomine cognoverunt antiqui, & *conſiſtentem* morbum appellarunt; in quo quidem nunc calidam, nunc frigidam intemperiem animadvertere valuere, quum nempe à liberâ hoc pacto trajectione, & ſecretionis ratione, ultra naturalem ſtatum, impeditos liquores, vel in turbatos inteſtinos motus concitari, acriùs incaleſcere, variaſque motuum ametrias per totum ſanguinem proferre, & expandere; vel per viſceris meatus tacitè, frigidéque lenteſcere, obſervarent. Vtramque cæterùm hepatis hujuſmodi intemperiem cum ſimilibus pulmonum, à ſolidi vitio frequenter productis, intemperiebus comparabant. Primam videlicet cuidam ſenſim inductæ pulmonis ariditati ac denſitati retulerant, undè quædam phthiſis ſpecies ortum ducit: alteram verò illi pulmonis dyſcraſiæ, quæ laxitas abſque ulcere dicitur, ex qua altera phthiſis ſpecies emergit, à modernis Phthiſis Fracaſtorii nuncupata.

Alia Hepatis intemperies, ſeu à materia, & cum materia, ingruens ab antiquis vocata: Ex quâ alterâque ſuperiùs deſcriptâ, Tota calida, frigida, mixtaque hepatitidis ratio elicitur.

III. Quòd ſi, inſontibus hepaticis ſolidis, illa obveniat liquidorum hominis, ab erratis in ſex rebus non naturalibus, & pręcipuè ab immoderatis exercitationibus, aut vigiliis, à calefacientibus, atque exſiccantibus animi affectibus, à calidioribus alimentis, meraco vino, atque intemperantiùs epoto; aut à tempeſtatum injuriis, aut ab alteratis perſpirationibus corporis, aut tandem à calidis præceſſis morbis producta, vel etiam ab oppoſitis cauſſis excitata, craſſitiei, & denſitatis habitudo; ut hæc in hepar delata momento ejuſdem ſolidorum contractili reluctentur, ipſaque in infirmas diſtractiones conſtanter adigant; jam nova Hepatis imbecillitas accedet, à liquido poſita, atque ſervata, ſeu à materia, & cum materia intemperies, *ingruens* idcirco vocata; quæ pariter, juxta ſignatas ſuperiùs conditiones vel calida, vel frigida accenſebitur. Hoc igitur utrumque imbecillitatis genus eſt, à pleriſque antiquorum *Hepatitis* in genere nuncupatum; Hæcque in utroque calidæ, aut frigidæ affectionis origo. Mixta interea Hepatitis illa audit, quæ pro-

propriorum ſymptomatum indole calidæ, frigidæque videtur intermedia. Nunc ad ipſa Hepatitidis tradenda in genere ſigna, ſingulas ejus ſpecies per propria etiam indicia interſtinguendas, & tandem ab aliis hepatis morbis per ſingularem omnium diagnoſim dirimendas deſcendamus.

IV. Et ſanè cùm nulla ſine bilis, ejuſque ſecretionis vitio hepatitis ſit; ita ſemper hunc morbum manifeſta ejus criminis argumenta ſectantur: Quorum præcipuum eſt flavus, aut luridus bilioſus ſqualor, totam cutem, & inprimis faciem, plus, minùs obſidens, cuilibet certè hepatitidi ſe comitem præbens; ut annotat Galenus de diff. ſymptom. Cap. V. Pleraſque verò, præcipuè chronicas, & diuturniores hepatitides cruda alvi excretio excipit, veluti cæliaca diarrhœa, aut hepaticus fluxus, ſeu carnium loturæ ſimilis; interdum non valdè abſimilis naturę vomitus. Ita Gal. de ſympt.cauſſ. lib. 3. cap. 2. De compoſit. Pharm. ſ. loc. lib. 8. cap. 6. & lib. 5. de loc. aff. cap. 7. & alibi ſæpiſſimè. Sed calida Hepatitis ſatis à frigida, aut ſaltem minùs calida, per propria ſigna diſcriminatur. Hippocrates lib. de intern. affect. hæc tradit de calida hepatitide: *Morbus hepaticus: dolor gravis ad hepar irruit, & ſub ultimas coſtas, & in humerum, & in claviculam, & ſub mammam, & ſuffocatio fortis tenet, & aliquando lividam bilem revomit, & rigor, & febris primis diebus debilior habet, & dum tractatur hepar dolet. Ægri color eſt ſublividus, eumque cibi, quos antea comedit, ſtrangulant, & in ventrem irruentes incedunt, & tormina excitant.* Pergit inde eodem loco in ſigna alterius Hepatitidis, quæ certè minùs calida eſt, explicanda: *Alius Hepaticus morbus: Dolores quidem eodem modo premunt in hepar, & color differt à priore: Interdum vomitus bilis pallidæ cum fructu: Si verò non vomuerit bilis ad oculos pervenit, & fiunt valdè pallidi, & pedes intumeſcunt.* Illam autem hepatitidem ab anni mutationibus, hanc verò ab improbo victus regimine prognatam ſtatuit. Primam nos hepatitidem alio etiam nomine bilioſo-

Signa Hepatitidis in genere; & differentiæ ſpecierum Hepatitidis ex Hippocrate.

ſanguineam vocare ſolemus, alteram bilioſo-ſeroſam. Bilioſo-ſanguineam; quoniam licèt bilioſi primitivi erroris ſobolem hanc eſſe fateamur, acutiei tamen, atque cujuſdam inflammationis, ſaltem ſuccreſcentis, participem plerumque recognoſcimus. Ita ait de hac Hepatitide citato loco Magiſter: *Cibis abſtineat, quoad morbus judicatus fuerit, quod ferè intra dies ſeptem contingit.* Aliam verò bilioſo-ſeroſam nuncupamus, quia in hoc affectu crudæ ut plurimùm, atque cretaceæ bilis turbulentus lentor ſeri etiam univerſalis lentorem videtur ſecum tandem conducere. In prima inſuper efferatæ, atque æſtuantis bilis indicia varia plerumque ſe porrigunt: anxietates, & ardores ventriculi, vertigines, univerſales æſtuationes, cibi faſtidia cum oris intenſo amarore, ſitis, linguæ ariditates, jactationes, & ſomni vacuitates: In altera languores, & laſſitudines, cardialgia, mentis hebetudo, artuum tremor, cachecticus interdum habitus. Primæ Hepatitidi, ſæviente, aut remittente dolore, proſpicere videtur Hippocrates diluentium illis, atque laxantium tepidulis ſorbitionibus, quæ in lateris dolore non minùs adhibentur: Largam Caprini lactis copiam ad promovendam Catharſim propinat (quod quidem Catharſeos genus in his aliiſque morbis Hippocrati aliiſque antiquis uſitatiſſimum extitit.) Si bilis ſtrangulatus urgeat, vomitum vel inter ſudores provocat; & ſi vomuerit, idem rurſùs poſt quatuor horas faciendum monet. In altera verò hepatitide ſcammonio utitur. Cùm verò hanc etiam hepatitidem efferari interdum, in eaque *incendi ventrem* obſervaverit; ita in hoc caſu per cocti lactis longos etiam, & repetitos hauſtus purgationem inſtituit; fomentum admoveri jubet; atque in morbi ferocia, ſi expediat, internam dextri cubiti venam ſecari præcipit. Quod ſupereſt: Cous noſter plurimis aliis locis ſecuriores Hepatitidum judicationes per ſedem, aut urinas, naturâ aut arte conductas, obtineri teſtatur; ut inferiùs videbimus.

V. Diffe-

V. Differentias inſuper hujuſmodi Hepatitidum Galenus ſæpè declarat: Lib. V. de loc. affect. cap. 7. hæc habet de utraque Hepatitide: *Incipit interdum affectus ob frigidam intemperiem citra febrim, quando tenuis ſanies ſanguinis excernitur, deinde tractu temporis, dum ſanguis in viſcere corrumpitur, febris ſupervenire ſolet, quæ tum ab imperitis uſque adhuc negligitur, ut laborantem interdum nequaquam febricitare putent; quippe hunc affectum ob inediam accidiſſe exiſtimant: Siquidem quod nulla ſit ipſis cibi cupiditas, potiùs quàm ob medicorum inſtitutum, laborantes à cibo abſtinere invenerunt. Itaque quum interim nihil excernatur, videaturque laborans omnino liber à febre, balneis eum exponunt, ac debitam victus rationem præſcribere negligunt: Quò circa rurſus corruptos cibos alvus dejicit, quos deinde hepaticorum excrementum nonnihil ſequitur. At nonnulli, qui ob frigidam intemperiem laborare inceperunt, non ſolùm non perdunt cibi cupiditatem, verùm etiam interdum multò magis, quàm antea ſe eſurire aiunt. Calidas verò intemperies nunquam comitatur ciborum appetentia, ſed ingens cibi faſtidium, ſitis vehemens, febris inſignis, vitioſorum humorum vomitus. Hæc ſunt propria hepaticorum accidentia: Sic enim nominari jam dixi eos, quibus viſceris ipſius vires fuerint imbecilles: Quâ in re vulgus medicorum errans hunc affectum putat eſſe dyſenteriam. Inflammationem autem* (intellige phlegmonem) *alia, ut dictum eſt, ſequuntur accidentia.* Jamque paulò ſuperiùs dixerat: *Calidæ jecoris intemperantiæ tum contentos in ipſo humores, tum eos, qui per meſenterii venas deferuntur, & aſſant, & adurunt: Frigidæ autem contentos jam in ipſo humores craſſos, atque ad fluxum, & motum contumaces reddunt; id verò, quod ad ipſum fertur & pituitoſum, & crudum, & ſemicoctum efficiunt.* Et libro de Compoſit. Pharmac. ſ. l. lib. 8. cap. 6. hæc addit: *Calidâ igitur intemperie circa viſcus exiſtente colliquationes fiunt primùm humorum, deinde etiam carnis ipſius hepatis, & evacuatur per ventrem bilis craſſa, graveolens, & abundè colorata, quemadmodum in peſtilentibus febribus contingit. Frigidâ verò intem-*

Differentiæ ex Galeno.

intemperie exiſtente neque aſſiduæ excretiones, neque multæ fiant: Durat tamen affectus diutiùs, & per aliquot dies profluet ipſi venter majori copia; cujus neque fetor ſimilis eſt iis, quæ ex calore ſunt liquefacta; neque color ſimilis, aut compages; verùm minùs graveolentia ab iis excernuntur, ſpeciem putrefacti ſanguinis, non colliquatæ carnis habentia &c.

Differentia Hepatitidis, & Hepaticæ Phlegmonis.

VI. Reverà cùm in calida hepatitide non tantùm bilis, quæ quidem morbo incunabula porrigit, accenſionem contrahat, ſed ſanguis ipſe in eandem frequenter trahatur diatheſim, ut veluti inflammari, ac phlegmonoſam inducere affectionem videatur; ita hujuſmodi hepatitidis genus ſub Phlegmonis ſpecie poteſt medentibus imponere. Et fortè in hoc cenſu aberravit Eraſiſtratus, citatus à Galeno lib. de atra bile Cap. V. *Bilioſa porrò humiditas*, ait ille, *quòd neceſſariò excernenda ſit, teſtes ſunt affectus complures adorientes, nempè regii morbi, & phlegmone circa jecur genita.* Verùm pluribus ſignis jecoris phlegmone, calidaque hepatitis invicem diſtinguuntur, ut jam ſuperiùs attulimus Cap. de *phlegmone* Can. III. Enim verò, cum Phlegmone hepatis à ſanguine primùm inflammato, hinc bilem interdum in conſenſum rapiente, frequentiùs non rapiente, calida verò hepatitis à bile primùm accenſa, ſanguinem modò in diatheſis conſortium ducente, modò etiam non ducente ortum ducat, diſpar in utraque febris conditio obverſatur; quæ nempe in principio phlegmonis acuta jam eſt, atque vehemens; in calidæ verò hepatitidis ingreſſu mitior, hinc paulatim invaleſcens, donec ardentior evadat; adeò ut in progreſſu ſuo acutior phlegmonoſo affectu, & vehementior, hujuſmodi hepatitis videatur; tum in hac hepatitide omnia, aut plurima efferatæ bilis indicia ſe produnt quò ad calorem, ſitim, frequentes rigores; duritiem, & velocitatem pulſus; colorem urinarum, faciei, linguæ, & totius corporis (qui quidem vitioſus ſemper deprehenditur; cum ſolis hepatis, primitùs à bilis vitio productis affectibus conveniat illud Galeni 2. de loc. affect. cap. 9.:

Linguæ,

Linguæ, *& univerſi corporis color alteratur*, *ubi hepar vitiatum eſt*) cibi faſtidium, vomitiones, alvinos fluxus, aliaque ſimilia ſymptomata; quę reverà in legitima hepatis phlegmone nunquam, aut ſaltem rariſſimè occurrunt; ut citato loco videre eſt. Addi poteſt hepatici tumoris habitudo, qui certè vel inter ipſa phlegmonis initia ſtatim adeſt; ſed in memoratæ hepatitidis principio nullus eſſe adhuc plerumque videtur. Ita Galenus lib. VIII. de compoſ. Pharmac. S. L. Cap. VI. hæc effatur: *Affectio igitur hepatica peculiariter appellata, veluti etiam cœliaca, & ſtomachica, citra tumores præter naturam circa ipſas partes contingit. Inflammatum enim eſſe hepar, aut abſceſſu laborare, aut induratum eſſe medici dicunt, aut aliud quidpiam tale; non tamen hepaticum vocant hominem ipſum, cui tale quippiam accidit: Verùm quando citra manifeſtum aliquod in viſcere malum, in propriis actionibus debilitatur, tunc ægrum hepaticum appellant.* Non tamen inficior, hepatis non frigidam ſolùm, ſed & calidam hepatitidem interdum ſuccedere, cùm non tantùm incenſa, ſed & adaucta liquidorum moles hoc viſcus ultra naturales menſuras extenderit. Sed hujuſmodi tumores nunquam inchoante morbo, at ſenſim invaleſcente, nec non diutiùs vigente procreantur; ut in difficilium obſtructionum familiam accenſendi ut plurimùm veniant, ſemper verò ſymptomatici decernendi; Phlegmonis autem tumor ſymptoma profectò non eſt, ſed ipſemet eſſentialis morbus; cùm nullę ſine tumore produci phlegmones poſſint; qui ſtatim idcircò intra ipſa inflammationis exordia vel gibbam viſceris, vel cavam, vel laterales etiam partes invadit. Hepatitidi cum indè ſuccedente manifeſto tumore ſuum pariter intemperiei cum materia nomen accomodabant antiqui; ut calidam ſine ſenſibili tumore hepatitidem, intemperiem ſine materia, ſive ſiccam inflammationem, vocare non minùs conſueti ſunt.

VII. Sed multò operoſius videtur, Hepatitidem calidam ſatis, aptéque à pleuritide diſcernere: cùm non ſolùm calida, *Hepatitis calida ſæpè cum acutiſ-*

aut Chronicis pulmonum morbis adeò copulatur, ut idem cum iisdem, & individuus morbus videri poſſit. Interea tamen rationes affectuum in diverſis hiſce viſceribus à perito medente diſcerni queunt, & debent.

calida, & acuta hepatitis per ſigna æquivoca adeò ſæpè cum pleuritide confuſa maneat, ut medentibus imponens, pro ſyſtrophica pleuritide judicetur; ſed etiam non raro cum eadem genuina pleuritide adeò reverà copulata ſit, ut ambæ affectiones, manus ſibi mutuùm porrigere, atque in unam veluti, & individuam affectionem concurrere videantur. Hinc, quemadmodùm per facilè excitatam ab hepate ad pulmones noxii humoris epigeneſim pleuritis ab Hepatitide, non mutato morbi curſu, procreari poteſt, ut in hoc caſu pleuritis Hepatitidi ſuccreſcens morbus, ſeu veluti ſymptomaticus evadat; ita ex pleuritide, veluti primario morbo, ſecundaria in hepate affectio, ſive ſymptomatica hepatitis produci interdum aſſolet, juxta illud Galeni, à Dureto in Comment. ad Coacas fol. mihi, 41. memoratum: *Sic igitur partibus reſpirationi dicatis multùm, graviterque affectis, malè officium ſuum facientibus, hepar contagione afficitur.* Periculoſam pleuritidem Hepatitidi conjunctam indicat illud Hippocratis in Coac. prę-not. *Hepaticis ſputum multum cruentum, ſive intus ſubputridum, ſive merè bilioſum fuerit, ſtatim perniciem denotat:* Et aliud inſuper in iiſdem Coacis: *Qui ſpumantem ſanguinem ſputione rejiciunt cum præcordiorum dextrorum dolore, iis ex jecinore prodit, & plerumque pereunt.* Nec acutus ſolùm pulmonis morbus, ſeu pleuritis aut peripneumonia, cum calida hepatitide interdum conſpirat, ſed & chronica labes, ſeu phthiſis. Ita Hippocrates in iiſdem Coac. prænot. addit: *In hepatico mala eſt colliquatio cum raucitate; idque cùm aliàs, tum ſi tuſſicula ſit.* Atque ad hujus textus Commentarium hæc adjicit accuratiſſimus Duretus noſter: *Hepatitis, & Phthiſis mutua conſpiratio eſt in ægroti perniciem, atque ſympatica earum generatio, hinc, indè cauſſas ducentium. Nam Hepatitis à phthiſi, & hujus ab hepatitide generatio eſt . . . Quemadmodum igitur in phthiſi hepaticum eſt, alvum ferri liquidis, & ſanioſis excrementis: Sic in Hepatitide phthiſicum, continenter tuſſire cum raucitate, aut raucum eſſe cum proritatione tuſſiculæ.* Et ſanè nihil expli-

explicatu facilius eſt, quàm quod bilis in jecoris morbo excandefacta, & turgeſcens, propriique domicilii impatiens exundet in ſanguinem, atque hujus vehiculo vel in caput ad phrenitidem, alioſque acutos, aut minùs acutos excitandos morbos, vel in pulmonem ad longos, aut minùs longos ciendos affectus irrumpat; in primum nempe facilè aſcendat, ſi volatilior, atque tenuior ſit reddita; in alterum duntaxat vagetur, ſin minùs volatilis, & tenuis: Ut eodem pacto cuique non arduum eſt intelligere, vitia ſanguinis in pulmone contracta faciliùs ad afficiendum hepar, quàm alias partes, deferri: Cùm hepar ſuper alia viſcera majoribus, & numeroſioribus vaſis donetur, hæcque liquores interfluant, greſſu, ſuper alium quemlibet in aliis viſceribus inſtitutum, lentiſſimo præditi: Ut in ſecunda hujus Hiſtoriæ parte oſtendimus, cùm de facili, frequentique Chronicorum capitis morborum in hepar tranſmiſſu loquuti fuimus. Sed diligentiori clinico perpendendum incumbit, an deſcripta ſuperiùs Hepaticorum indicia ante, vel poſt affectum pulmonis emerſerint; Ut nempe quis horumce, hepatis & pulmonis jam ſibi invicem intermixtorum, affectuum primigenius ſit, quis alteri adjunctus, dijudicare cautè poſſit, atque diſcernere.

VIII. Interdum verò ſpirandi difficultas, aliaque ſimilia accidentia à ſyſtrophico pulmonis morbo, hepatitidem comitante non quidem proficiſcuntur, ſed ſolùm à quadam in pulmonibus per affecti hepatis viciniam inducta irritatione, atque ſympatico conſenſu; præcipuè ſi hepar prætumidum extet: *Prætumidum hepar*, (ait Duretus in Coac.fol. mihi, 334.) *ſuo appulſu multum opprimit diaphragma, undè pulmones ſimiliter in anguſto eſſe videntur, ut ſi Catharrhi copiâ obruerentur: proindeque non minùs contendunt expedire ſe, & explicare tuſſiendo ab illa moleſtia, quàm ſi materia eſſet quædam expectorabilis, cujus expectorato liberantur, & liberè aurâ fruuntur.* Alteram præterea tuſſis hujuſmodi ſymptomaticæ

Non rarò calida hepatitis non quidem ſyſtrophico pulmonis, ſed ſolùm ſympatico, atq; per irritationis conſenſū excitato manus exporrigit: Quos ſanè interſtinguere affectus multò facilioris eſt operæ.

cauſam jam priùs adduxerat : *Accidit autem tuſsis concuſsione thoracis , atque pulmonum , quam ciet non quidem prolapſus catarrhi , ſed inane ſtudium anacatharſeos , cujus opinionem facit proritatio diaphragmatis ab exundante ſero , & quodam ichore maligno ex hepate ; cui ſuperpoſitum adjacet diaphragma.* In hunc igitur cenſum reducendæ ſunt calidæ illæ hepatitides ; in quibus cùm dolor aliquis , ut ſupra , ad coſtas aſcendens , & ſæpè uſque ad jugulum protenſus vigeat , medicos ſub falſa ſiccarum pleuritidum perſona ſolent non rarò decipere. Ejuſmodi fuit calida illa Hepatitis, à Galeno in ęgrotante medico , per ſemetipſum decepto , recognita , atque per propria indicia à pleuritidis ſuſpicione vindicata : quæ quidem ab eodem Galeno deſcribitur lib. 5. de loc. affect. cap. 7. Signa enim hepatitidem , non verò pleuritidem , indicantia hæc erant : Gravativus dolor nothas dextras coſtas infeſtans : Febris quidem vehemens , ſed cum pulſu non adeò duro: Crebra , & parva reſpiratio , quæ ſi elatior trahebatur , dolor ad hypochondrium dextrum vehementiùs correſpondebat, iſque ſemper gravativus : Tuſſis ex longis intervallis exigua, & arida , quâ nempe nihil expuebatur : Moleſta inſuper, uſque ad jugulum protracta ſenſatio , ſed tenſiva duntaxat, non verò punctoria , veluti in pleuritide contingit ; (ſed incertum eſſe hoc ſignum eodem loco teſtatur Galenus , *quod magnas inflammationes , quemadmodum & ſcirrhum* comitari id ſoleat) Præcipuè autem tenuis cruoris ſanies per alvum egeſta , carnium nuper mactatarum ablutioni haud abſimilis, *evidentiſsimum* , ut ipſe addit , *affecti jecinoris indicium.*

Alia ulterius argumenta, calidam hepatitidem à ſyſtrophica Pleuritide, ut ut iſta vel biliosa ſit, diſtin-

IX. Igitur præterquàm quòd in pleuritide , atque in acuta hepatitide diverſa doloris inducitur habitudo , in affecto quidem hepate gravativi , & ſi ad ſuperiora porrigatur, tenſivi , in pleuritide verò ſemper , & ubicunque punctorii; tum diſpar in utriſque prima doloris ſedes , & tuſſis ratio diſſimilis ; accedit ulteriùs ; quòd in Hepatitide acrioris caloris ſenſus in dextro hypochondrio perſentitur, tum mutatus

in

in icterícum, aut aliter bilioſum colorem habitus corporis exhibetur: cùm quamlibet Hepatitidem, annotante Hippocrate, & Interpretibus, coloris fœditas comitetur; tum inſuper, ut aliis locis annuimus, alia plurima ferventis, efferatæque bilis in excretionibus, & comitantium febrium periodis offerantur Phænomena, quæ quidem in ſyſtrophica pleuritide non contingunt. Quòd ſi bilioſa alio loco deſcripta pleuritis quò ad alvinas egeſtiones, cutis tincturam, aliaque accidentia, quidpiam cum hac Hepatitide commune ducere videatur; copioſa tamen expuitio in illa eſt, durior pulſus, diſſimilis extenſio, atque habitudo doloris &c. Quod ſupereſt: In calida hepatitide cum aſſiduo, & contumaci dolore, febreque æſtuoſa, & acuta diutiùs protracta, ſui etiam generis ſuppurationes, & abſceſſus contingere, non inſolitum vidimus. Ita in altera hujus Operis parte Cap.V. §. VII. fol. 149. de calidioribus hepatitibus, quæ ſcilicet in abſceſſum frequenter migrant, aliqua prælibet attulimus, & quandam inprimis, de calidarum genere, Hepatitidem annuere placuit, in quâ ſanè inſolitus dolor, ſive pungitivus, apparuit.

guentia: Licet interdùm punctorius dolor, & ſuppuratio nonnullas ejuſcemodi hepatitides excipiant.

X. Nunc ad frigidam Hepatitidem gradientes, hanc utique ab amurcoſa, limoſaque bile, in hepatis vaſcularibus concurſibus gliſcente, ac veluti incruſtatâ, ſine ullo à ſanguine concepto æſtu, produci deprehendimus, ſit jam vel à vitio laxati ſolidi, atque in atoniam faceſſentis; vel ab actuoſioribus per præcedentes morbos, aut tempeſtatum injurias in humorum maſſa deperditis, aut valdè depreſſis particulis; undè bilis præternaturalem conſiſtentiam, ſuorumque componentium inertiam acquirat. Reverà *bilis* (ut ait Hippocrates de nat. hom.) *eorum omnium, quæ in corpore inſunt, cum ſit glutinoſiſſima maximè diuturnas ſtationes facit*; prçcipuè ſi ultra naturalem ſtatum ex memoratis cauſſis lentorem adhuc aſſequatur. Bilis autem morboſę *ſtationes* ſecundùm varia earum loca variis excipiuntur eventibus. Duo præcipua

Frigida hepatitis neq; ſuppurationem, neque aliam quãcunque criſim intendit; in qua quidem bilis ſtatio inertiſſima eſt: & quanam in partibus hominis ſolemniores bilis ſtationes ſint.

ex internis hominis partibus loca ſunt, in quibus ſolemniores bilis *ſtationes* fiunt; hepar, & pulmo: In primo pro hepatitidum, aliorumque morborum origine: In altero pro bilioſæ pleuritidis cauſſa. Sed collecta bilis in hepate, in quo quidem naturaliter neque ex appellente ſanguine, neque ex natura ſolidi prementes valdè potentiæ, aut quaſſativæ excitantur, ſi lentoris ingenio imbuta jam fuerit, diutinam facilè, & ferè tranquillam ſtaſim, propriis deperditis motibus, propriiſque invicem agglomeratis, coactiſque ramentis induit; ut jam qualiſcunque hepatitis, niſi concitatus pariter in fervorem cruor, proprios peculiares Pepaſmos ordiatur, in ſuppurationem non deſinat: præcipuè verò hepatitis frigida in nullam criſium rationem moveat; ſed potiùs in varias indurationum, ſive obſtructionum, ſenſilium, aut inſenſilium ſpecies hepar bilioſo limo immerſum faceſſat. Ex adverſo, quæ in pulmone congeritur bilioſa ſubſtantia, cùm perpetuam à reſpirato aëre quaſſationem, & inſuper vehementes à ſanguine, per pulmonicam arteriam è corde evibrato, ſuccuſſiones excipiat, jam magis, magiſque ſoluta vel in citos urgetur trajectus, atque hoc pacto liberiùs expeditur à viſcere; vel viſceri adhuc hærens in irrequietos adeò motus adigitur, ut niſi expuatur, aut per alias ſtatis diebus excretiones eliminetur, in celeri quidem ſuppuratione, ab immixtis, ſimulque ferventibus lymphaticis copiis excitata implicetur. Præterea bilis in hepate, veluti in proprio domicilio degens, niſi in orgaſmum concitata ſit, ſenſim, lentéque colligitur: Non itidem in pulmone, in quem adaucto ſemper impetu ruit, atque in ipſo, veluti peregrina, & extranea, ſtare neſcia, & turbulenta ſervatur. Neque hìc ulteriùs de frigidæ Hepatitidis diagnoſi dicemus, cùm hæc ſuperiùs prolata jam fuerit: Hoc ſolùm addendo, urinas in hac hepatitide, ſimiliter ut eſt aqua, tenues, atque albas profluere: Quales Galenus prorrh. 17. f. 2. in Hepatico adoleſcente obſervavit.

XI. Mixta

XI. Mixta tandem hepatitis, quæ neque vehementiora, neque inertiora ſibi ſociat ſymptomata, & febre quidem interdum ſtipatur, non verò acutâ, ſed mediocri, atque diſtinctiùs periodicâ; à non tam effœtâ, ſeu actuoſis partibus deſtitutâ, ſeu cretaceâ prorsùs, bile producitur, ut hæc in varios motus, variaſque ſtimuli rationes excitari non queat, præcipuè ſi in bilioſo, & picrocholo temperamento, ac juvenili ætate hic morbus ſe prodat: hinc veluti compoſitam ex acuta, & chronica, vel potiùs neutram, indolem præ ſe fert. Ita Galenus lib. V. de loc. affect. cap. 7. poſt expoſita ſigna calidæ, & frigidæ hepatitidis hæc indè ſubdit: *Quum itaque ambo interdùm affectus conveniant, utriusque accidentia ſimul apparere ſolent: Quæ in promptu medicum habere oportet: Sic enim non ſolùm laudabunt nos, ſed admirabuntur & ii, qui operâ noſtrâ indiguerint; præſertim ſi accidentia quoque, quæ aliis morbis communia ſunt, inſuper proſpexerimus, veluti quòd dolor ad nothas coſtas pervenit, quòd jugulus detrahi videtur, quòd ſpiratio parva redditur, & frequens.* Et licèt mixta hujuſmodi hepatitis ſine febre interdum occurrat, non tamen ſine plurium bilis acrioris, ſimulque craſſioris ob lymphatici vehiculi penuriam, ideòque ferventis, ſignorum comitatu ſe perhibet: Inter quæ non ultimum locum habent interpolatæ illæ, ſed irregulares Phlogoſes, per viſcera, & totum quandoque corpus, præcipuè chylificationis tempore, diſplodentes, quo quidem manuum palmę, & pedum plantę, quæ cæterùm ſemper aridæ plerumque ſunt, & calidę, mordaciori, ſicciorique calore excandeſcunt: Comitatur luridus habitus, terreus, ſubflavus, citrinus, aut etiam ictericus: Univerſalis macies, quæ interdum, adauctâ reſinoſæ bilis calidiori indole, lentas, hecticaſque febres manu ducit. Interdum hic morbus ad menſes diutiùs protractus, præter illos memoratos æſtus, quâque die poſt cibum manus, pedes, aut etiam faciem, aut corporis habitum ulteriùs invadentes, aliaque biliaris dominatus ſymptomata,

Mixtæ Hepatitidis, ſeu quæ calidæ, frigidæque intermedia eſt, adjuncta Phænomena, tum quæ illam continuò, aut interdum conſequuntur.

erra-

erraticis primùm febribus ſtipatur ; poſteà moleſtum quendam in hepate , diuturnumque cum ſicca tuſſicula dolorem, atque renixum paulatim apparat , ex quo lenta , & amurcoſa , diuque latens , folliculata ſuppuratio , poſtmodùm cum gravi & diffuſo hepatis tumore , doloreque ulceroſo ſe valdè prodens , progignitur ; undè lenta febris , tabes , & obitus. His ſi remedia efficaciùs moventia , aut etiam duntaxat emollientia , & ſuppurantia adhibeantur , mors citiùs accedit; ſuppuratâ ſcilicet , quæ ſuis in cuniculis ſurdè , tacitéque jacebat , ſubſtantiâ infauſtè concitatâ , atque ad totum hepar, aut etiam ad reliqua abdominis præfocanda viſcera mortiferè effusâ. Notabilem mixtæ ejuſcemodi hepatitidis , per longum tempus in ſuppuratum converſæ , & in abdominis cavum lethaliter tandem abruptæ hiſtoriam exhibet Coiterus in *Obſervat. anat. chirurg. miſcell.* Aliamque hujuſmodi ſuppurati morbi , ſed per paracenteſim feliciter curati , hiſtoriam , ab amico Doctore communicatam , inferiùs ad calcem *abſceſſus* , *&* *ulceris hepatis* exponimus.

Tres Hepatitidis Claſſes tum facilè inter ſe, tum ab aliis morbis interſtinguuntur: & cur eò ſit deventa res medica , ut hæ non tantùm invicem ſed inſuper cum aliis longè diverſis hepatis morbis plerumque confundantur.

XII. Porrò, quemadmodùm his tribus Hepatitidis claſſibus cæteræ omnes ejuſdem ſpecies , fortaſſe per ſolos gradus diſtinctæ , reduci à perito Clinico facilè queunt , & illę, quæ cum febre aggrediuntur, & quæ ſine febre ; & quæ cum oborto deinceps tumore , & quæ ſine tumore ; aut cum ciborum faſtidio , aut etiam cum ſervata appetentia ; aut cum delinquentium ſuccorum ab hepate ad alias partes excurſione , earumque idcircò majori , aut minori conſenſu , aut cum inducta veluti ad ſolum hoc viſcus obſidione : Ita per diligentem diagnoſis operam non ſolùm diſſimiles hujuſmodi hepatitides facilè , diſtinctéque dignoſci poſſunt , ſed ab aliis morborum hepatis generibus cum maxima ægrotantium utilitate , noſtrę artis admiratione , & Profeſſorum laude interſtingui. Nempe *ſi bene intelligatur* (ut ait Galenus loco ſuperiùs citato) *quæ accidentia cuilibet morbo propria ſint*, *&* *quæ aliis quoque morbis communia : ac propterea quæ ab utrolibet genere*

ſint

ſint inſeparabilia : item quæ magna ex parte, & quæ rarò videri ſoleant; atque ea, quæ ancipitem habeant eventum. Idemque lib. 8. de compoſ. Pharm. ſ. l. cap. 6. loquens de hepatis affectionibus hæc medentium memoriæ prodit : *Primum igitur omnium diſcernendum eſt, num debilitas quædam viſceris adſit, aut alia quædam affectio ipſum prehenderit, aut citra debilitatem affectum ſit; inflammatione, aut induratione, aut abſceſſu laborans, aut obturatione, quemadmodum etiam an Eryſipelatoſam habeat affectionem, aut ulcus, aut aliquam putrefactionem, nam & in hoc hepaticam affectionem dicunt.* Eò interea res Medica deducta eſt, ut noſtrarum ætatum medentes theoretica Galeni, aliorumque expertiſſimorum Antiquorum placita, Hæmatoſin Hepatis, propriaſque, & inſitas partium omnium facultates docentia, ab inſtituto circulationis invento dedignantes (quod minus adhuc mali eſſet) ſimul etiam morbos ab intemperie proſcribere à praxi contendant (quod jam humanæ reipublicæ pernicioſum eſt); ſimulque (quod etiam, atque etiam pernicioſiſſimum) ſolidiora, gravioraque praxeos præcepta, ab illis tam longo, ſeduloque obſervationum cumulo, ſtudioque collecta, traductaque dedidiciſſe videantur; ut his certè diebus neque Hepatis phlegmonem ab ejus eryſipelate, neque utrumque affectum ab Hepatitide, neque Hepatitidum diverſas ſpecies dirimere (quæ quidem omnes, ſingulæque affectiones diſparem curandi normam plerumque depoſtulant) neque tandem alios plurimos hujus eximii viſceris morbos, ab antiquis tam bene deſcriptos, propriâque diagnoſi obſignatos, diſſimili pariter, quandoque oppoſitâ remediorum adminiſtratione excipiendos, internoſcere ſoleant.

Prognoſis Hepatitidis in genere: & primùm illa ex Hippocrate attingitur, quæ reſpicit ju-

XIII. Prognoſis hujus morbi ex variis ipſis, qui obverſantur in praxi, & ab Hippocrate indicantur, diſſimilium Hepatitidum eventibus, elicienda venit. Jamque, dictante Sene, breviorum Hepatitidum judicationes per alvum, aut urinam celebrantur; diuturniorum verò per ſuppurationem, icterum, hydropem, aut phthiſim. Ita igitur quò ad primas

dicationem hepatitidis per alvum, aut urinam.

effatur Cous in Aphor. 73. Sect. 4. : *Quibus Hypochondria ſuſpenſa, murmurantia, lumborum dolore ſuperveniente, iis alvi humectantur, niſi flatus erumpant, aut urinæ multitudo proveniat : Hæc verò in febribus.* Intelligit quidem in hoc Aphoriſmo Hippocrates hepatitidem non frigidam, ac cum dolore, & tumore conjunctam; & inſuper cum febre, *Hæc verò in febribus*, ſed non phlegmonosâ; ſeu ſine legitima inflammatione : Quod quidem magis perſpicuum reddit alio textu in 2. prognoſt. & *Coac.* ubi eoſdem eventus recolligit : *Tumores hypochondriorum ſine phlegmone recèns obortos tum inde natos dolores exolvit borborygmus in Hypochondrio excitatus, maximéque ſi exciderit cum urinis, & dejectionibus : Sin minùs, ipſe per ſe trajectus. Juvat etiam is, qui ad inferiora devolvitur.* Supervenit hîc annotandùm, fuiſſe Hippocratem in hoc textu loquutum de affectu ipſorum majorum viſcerum, in hypochondriis degentium, non verò partium hypochondrio confinium, ut glandularum meſenterii, pancreatis, & omenti; veluti eidem aphoriſmo commentari ſtudet Lucas Tozzius. Quippe tumorum Hypochondrii nomine nunquam utitur Hippocrates, quin ſyſtrophicam principalis comprehenſi viſceris affectionem intelligat : Ita hoc pacto non minùs ab hoc loco exulat ſuſpicio aliûs Hippocraticæ ſententiæ : Quòd nempe Senex potuiſſet ſermonem inſtituere de flatibus, doloribus, aut aliis paſſionibus inteſtini coli, ſub dextro Hypochondrio, imò in eodem, ad hepatis crepidinem trajicientis. Siquidem Borborygmos inteſtinorum, ipſorumque alios morbos potiùs per meteoriſmi, quàm per tumoris nomen pluries ab eodem indicari animadverto. Cùm autem hujuſmodi in Hepate congeſtiones à viſcida, lentaque bile, pituitæ, (ſeu lymphę cum modernis dicamus) commixta æſtimandæ ſint, ita murmur in hypochondrio obortum oſtendit, moliri ipſam febrem earundem attenuationem, & diſſolutionem, cui quidem operi ſenſilis per urinas, aut ſeceſſum, vel inſenſilis etiam per flatus ſolutæ ſubſtantiæ diſſipatio non difficilè

ſuccedit;

ſuccedit; Cùm *victæ cruditatis*, *& reſtitutæ virtutis periſtalticæ inteſtini ſignum eſſe borborygmum* addat Duretus in Coacis. *Accidit igitur* (ait Galenus in Commentario hujus Aphoriſmi) *tali murmure deſcendente ad lumborum loca, unà cum ipſo tumorem ex hypochondriis deportari: Unde partibus, quæ hîc ſunt, ex ipſo diſtentis, provenit dolor: Deinde hoc pacto, humore aliquando ad diſtributionem concitato, ſolus ſpiritus flatuoſus emittitur, nonnunquam verò unà cum humore.*

XIV. De non rara diuturniorum, ſive inveteratarum Hepatitidum ſuppuratione, quam indè alvus deponit, loquitur Hippocrates in Coac. prænot. hoc modo: *Circa hepar dolentes, cardialgici, veternoſi, perhorreſcentes, alvo turbatâ, macri, ciborum faſtidioſi, ſudatiunculis crebri, purulenta per alvum profundunt. Cardialgici*, ſeu ab acore bilioſo per cholidochum uſque ad ventriculum exundante in nervoſis hujus utris partibus laceſſiti, atque exſtimulati: *Veternoſi*, ſeu capite graves, menteque infirmiores redditi: *Perhorreſcentes*, ab horrifera ſcilicet ſuppurata materie, cujus tranſmiſſio non ſine rigore, aut horrore ſuccedit: *Alvo turbatâ*, ſeu hepaticis liquaminibus, inteſtinalem jam tubum alluentibus: *Macri*, ob adjunctam febriculam, tum naturalium viſcerum cacochymiam, atque hinc chyloſeos depravationem: *Ciborum faſtidioſi*, ob deteriorem bilem per caveam ventriculi exundantem, ſeu ut ait Duretus, *ob ruptam hepatis bilem, & ſurſum proruptam*, fortaſſe & puri commixtam: *Sudatiunculis crebri.* Quod quidem ſymptoma ab oppreſſione circa initia morbi, aut ab exolutione in diuturni progreſſu ortum ducens, peſſimum eſt, ſi cum ſuperiùs memorato horrore contingat; juxta illud Senis pariter in Coacis: *Crebra ſudatiuncula, & horroris viciſſitudo, peſſima: Nam dum vitam finiunt, empyema oſtendunt, cum alvo turbatâ.* Hujuſmodi autem empyema illam ſuperiùs in abſceſſus hepatis diſquiſitione Can. I. memoratam ſecundi generis ſuppurationem ſignificat, quæ in peculiari ſede & folliculo interdum verſùs inteſtina abrupto, colligitur, rariſſimè

Prognoſis ex Coo Hepatitidum in ſuppurationē vergentium, & qualis iſthæc Hepatitidum ſuppuratio plerumque ſit.

riſſimè per viſceris vaſa diffuſa manet. Atque inſuper hîc annotandum, ſeu potiùs repetendum eſt, quòd ſi in his, aliiſque hujus Hiſtoriæ locis per noſtras, Hippocratis, aliorumque obſervationes, ſuppuratas Hepatitides proferimus, de hac ſecundi generis, ſeu deteriori ſuppuratione intelligi volumus; tum non de bile, ut bilis eſt, quam quidem ſuppurationem haudquaquàm attingere in bilioſarum pleuritidum tractatu ſuo loco demonſtravimus; ſed de pituita, ſeu lympha, in bilioſi erroris conſenſus rapta, eique immixta, atque morboſas ſtaſes fervoreſque inſimul patiente, noſtram aperimus ſententiam. Quod ſi in calidiori hepatitide cum bile ſanguis vehementer in hepate, veluti per contagium inflammetur, produci abſceſſus poſſe, fervore, malitiâ, & contentis ſubſtantiis, non abſimiles iis, qui producuntur à phlegmone, profectò non inficiamur.

Prognoſis ex eodem Hippocrate Hepatitidum, in icterum difficilem, aut in hydropem abeuntium, earumque, quæ in phthiſim faceſſunt.

XV. Hepatitides quæ in difficilem icterum, aut univerſalem Hydropem vergunt, per propria ſigna à colore cutis petenda dignoſcere docet Hippocrates in Sect. I. lib. 2. morbor. vulgar. ſub his verbis: *Quibus quod eſt inter abdomen & cutem inflatum eſt, & non ſubſidet, iis color eſt velut multum pallidus, aut ex albo palleſcens, quoniam ab hepate totum quod tale eſt procedit, hepaticis etiam morbis laborant, quin etiam qui ictero ab Hepate tenentur, colore ſubcandido ſuffunduntur, velut aquâ inter cutem laborantes, & Leucophlegmatici. Verum & Hydropes, & icteri, qui à liene procedunt nigriores ſunt.* Valleſius in iiſdem Epidemicis fol. mihi, 107. hunc textum ſat appoſitè commentatur. Sed omnium peſſima hepatitis eſt, quæ in phthiſim degenerat. *In Hepatico*, ait in Coacis præceptor, *mala eſt colliquatio cum raucitate, idque cùm aliàs tum ſi tuſſicula ſit:* Cujus textus cum eleganti Dureti commentario ſuperiùs in Can. VII. meminimus. Frequenter nobis in Praxi obverſantur hujus notæ ægrotantes, icterici, luridi, dextro Hypochondrio dolentes, & interdum tumidi;

tumidi

tumidi inſuper pedibus, æſtuoſi, ſiticuloſi, nauſeabundi, anhelantes in ſcalarum aſcenſu, aut quolibet mediocri exercitio; lentè inſuper, ſimulque periodicè febricitantes, cum profunda, & præcipuè nocturna tuſſi, quâ flavum, viſcidumque expuunt. Interdum quâdam appetentiæ emicante prurigine meliùs habere videntur, ſed febre nunquam vacui vertente tempeſtate citò in deterius ruunt; hinc ſenſim colliquent, ac demùm prorsùs tabidi, aut tumidi, aut diarrhoeâ correpti, aut orthopnoici præcipitanter, quandoque improvisò moriuntur. In hocce mixti morbi genus ſtudioſi præcipuè, & melancholici adducuntur. Ex his interea non tantùm quiſque diuturniorum hepatitidum diagnoſes, ſed peſſimas, imò funeſtas prognoſes elicere facilè poterit. Ita in Phthiſi Hepatica cruentum mali odoris, atque bilioſum reverà ſputum copioſè ejectum proximam necem denunciat: juxta illud Senis in Coac.: *Quibus hepaticis copia eſt cruenti ſputi, ejuſque vel nonnihil mali odoris, vel bilioſi meri, citò mortiferum.* Ita ſi pallidus hepaticorum icterus virore ſuffundatur, eſt citò mortiferus, etiam juxta ſenſum Hippocratis 3. de morbis: *Morbus regius acutus eſt, & citò necat, ſi color totius malicorium maximè refert ex viridi palleſcens, & qualis lacerti viridis*, ſeu viridis albo interſperſus color.

XVI. Sed, quæ tam crebram ſe præbet, variiſque modis conficitur Hydropis ab Hepatitide productio, tanti momenti eſt, ut ejus principia, & cauſſas hîc diligentiùs excutere operæ pretium cenſeamus. Cùm enim non inſolens ſit tum calidam, tum frigidam hepatitidem, ſi utra diutiùs protrahatur, in ſcirrhum, eumque incurabilem vergere, ex quo indè variæ hydropis ſpecies proficiſcantur; ita non rarum videtur, ex alterutra, etiam non producto ſcirrho, hydropicum adhuc morbum ſecundùm circumſtantias varias originem ducere. Et primò quidem in hunc cenſum reducitur Aphor. LVII. Sect. VII. *Quibus hepar aquâ plenum in omentum eru-*

Examinantur Hydropes ab hepatico vitio proficiſcentes; & primùm aſcites à ruptura hydatidum Hepatis, qui hydrops prorsùs eſt incurabilis.

perit, his venter aquâ repletur, & moriuntur. In hoc Aphoriſmo incomparabilis Hippocratis Doctrina morborum, atque indefeſſæ obſervationis majeſtas per omnes poſterorum ætates effulgebunt. Ipſi ſiquidem ignotus non fuit, qui maximum recentiorum inventorum videtur ornamentum facere, veſicularis hydrops, ſive in hydatidibus congeſtus hydropicus latex, cujus, non ſolùm per peculiaria viſcera, ſed per totum præterea abdomen diſpoſiti plurimæ circumferuntur modernorum medentium animadverſiones. Quippe cùm in variis, præcipuè contumacioribus hepatitidum affectionibus illa ſit vaſorum hepatis mutua compreſſio, & anguſtia, ut lymphæ ab internis hepatis partibus ad chylare excipulum per propria lymphatica vaſa properantes, ſive ad circulum reduces, tum minùs in proprios curſus urgeantur, tum in propriorum canalium progreſſu nova adhuc ab externis preſſionibus impedimenta ſubeant, diſpoſito ad latera vaſorum niſu, eadem inter binas naturales anguſtias, ſeu inter valvulam, valvulamque extrinſecùs ſenſim extrudent, atque ampliabunt; ut demùm unumquodque his valvulis interpoſitum ſpatium, aut plura ſaltem, rotundam ſive veſicularem affectare figuram queant: Hinc longè, latéque veſicularum, ſeu hydatidum, ſecundùm liquidorum preſſiones majorum, aut minorum, excitabuntur ſeries, ſive catenationes; quæ quidem veſicularem hydropem procreent: Quare Hippocrates ſuo etiam tempore, ut nos noſtro, veſicas hujuſmodi aquâ plenas ad ambientem hepatis membranam recognoſcens, haſque indè à vehementibus contentorum liquidorum preſſionibus ultra reſiſtentiam omnem expanſas, hinc & abruptas, aquam in ventris cavum effundere, atque aſciticum hydropem producere interdum deprehendens, hanc etiam aſcitis ſpeciem memoriæ hominum aperire curavit: *Quibus hepar aquâ plenum in omentum eruperit iis venter aquâ repletur, & moriuntur.* Dicit ergo *in omentum*; non quidem quòd aquam in ipſam tunicarum omenti cavitatem hydatides *exonerent,*
quia

quia omentum hepati, & ventriculo ſuperincumbit; quemadmodùm non bene effatur in hujus Aphoriſmi paraphraſi Lucas Tozzi, cùm omentum minimè hepar obtegat, & à ſolo ventriculi fundo (præter quàm ab aliis partibus) propendeat; ſed quòd aquæ ab Hepate erumpunt in locum ab omento occupatum, ſeu inter inteſtina, & peritoneum, ut hoc pacto in medio aquarum, ad hanc indè ſedem collectarum, omentum ipſum immerſum natet: Quod quidem in omnibus aſciticis affectibus occurrit. Addit *iis venter aquâ repletur*: Quæ quidem ſaturitas celeriùs, aut tardiùs abſolvitur juxta abruptarum hydatidum magnitudinem, & numerum. Demùm concludit: *Moriuntur*: Non quidem *ab omenti eroſione, atque inſanabili ulcere*, ut perperàm denuò citato loco proponit Tozzius; ſed quia vel intacto omento (ut reverà in aſcite denatorum extiſpiciis nunquam ulceroſum perſpeximus, licèt reverà flaccidum, laxiſſimumque, & tabe penè totum conſumptum) Nemo ab aſcite hydrope evadit: Ita Hippocrates in lib. affect. ſect. V: *Morbus lethalis eſt, cùm venter aquâ plenus eſſe cœperit.* Ita perpetuò autopſia: neque ulla valet inſtituta paracenteſis ut ex Hipp. cit. loco [niſi aqua in peritonei duplicatura duntaxat niduletur] quæ imò lethum accelerat: Eóque inſanabilior cenſendus eſt Hydrops hujuſmodi, ab Hepatis lymphaticorum ruptione progenitus, quò, vel omiſſâ aſcitis ratione, nemo certè perennes illos in perruptis hepatis vaſis exundantium aquarum fontes ſiccare poſſet, & claudere. Conciliari igitur cum Aphoriſmo Hippocratis non poſſe videtur illud in ejuſdem Commentario Galeni aſſertum: *Servantur enim aliqui aquâ inter cutem laborantes, quamvis & hic locus* [ſcilicet ad omentum] aquâ *repleatur.* Nam licèt ſanari anaſarcâ, aut leucophlegmatiâ, ſeu univerſali hydrope detentos non ſit tam difficile; ſi tamen *hic* ad omentum *locus* ipſis etiam aquâ *repleatur* jam ergo *ſervari* non poſſunt: Quòd ſi intereà *ſerventur*, hydrops ad *hunc locum*, ſeu propriè aſcites, non fuerat, neque à rixi hydatidum hepatis ortum duxerat: Sed ſolùm in peritonei duplica-

duplicatura gliſcebant aquæ. Atque ut hæc hydropifica ad peritoneum collectio ſe curationi per punctionem, aut etiam diureſim inſtitutæ non difficilem præbet; ita propriè non eſt aſcites dicendus. Mirabiles caſus, & judicationes Hydropis duplicaturæ peritonei in alio opere conſultò exponemus.

Examinatur alia ſpecies hydropis, ſeu univerſalis, ab hepatico pariter errore ortum ducens.

XVII. Hepaticum pariter, re tamen vera non aſciticum hydropem denotat locus ille Hippocraticus in Coac: *Quibus ab hepate ſunt hydropes, unà tuſſes adſunt, & crebra inceſſit tuſſiendi cupiditas, commemorabile nihil expuunt, ac pedes tument, tum alvus non dejicit, niſi dura, ac coacta: Quin etiam circa ventrem aſſurgunt œdemata, partim dextra, partim ſiniſtra, quæ modò conſurgunt, modò ſubſidunt.* Diſpar profectò ab aſcite revelatur hoc loco ab hepatis vitio procreatus hydrops, nempe univerſalis potiùs, cum aliquo affecti pectoris conſenſu, ab oppreſſione potiùs tumidi jecoris (veluti in ejuſdem Phlegmone contingere aſſolet) quàm à pulmonis ſyſtrophe producto; tum non quidem à lymphaticorum, ſeu hydatidum laceratione, ſed à depravata in hoc viſcere biliari ſecretione. Ita Duretus in ſubnexa paraphraſi principia hepatici hujus vitii deducit, vel à *torrido maraſmo, quem febris impreſſit ardenter acuta, nec tamen tam citò peremit*; *aut à chronica, & vetuſta febre, ut quartana; vel etiam à ſuffocatione nativi caloris, aut à ſcirrho*; quæ repeti non minùs poſſunt à qualicunque alia hepatis atonia, ſeu intemperie, vel ob præceſſas hæmorrhagias, aut alias immodicas evacuationes, vel à frigido ſuccorum lentore, aliiſve ſimilibus cauſſis in hoc viſcere inducta. Quidquid verò ſit; in hac hepatis diatheſi, quæ ad hydropem viam ſternit, bilem craſſiorem præternaturaliter, crudamque, & inertem evadere, propriâque abſterſivâ, & ſolvente, ad chylificationis perficiendum opus inſtitutâ poteſtate, propriiſque naturalibus, alvum ad ſolitas excretiones irritantibus, ſtimulis deſtitui, abundè liquet ex illo Hippocratici oraculi indicio: *Tum alvus non dejicit*; quod quidem vocat Duretus *ſyllogiſticum ſignum*

ſignum hepatici hydropis. Cùm verò alvi ſuppreſſionem chyloſeos pariter depravatio neceſſariò conſequatur, ſanguis in crudam, & ſeroſam colluviem paulatim faceſſens, frigidis ineundis lentoribus, contumacibus oppilationibus, chloroſi, cachexiæ, & congerendo demùm univerſali hydropi, ſimulque particularibus *œdematibus*, ſe facilem præbet. Hanc verò Hydropis ſpeciem non, ut ſuperior, immedicabilem reputamus, cùm univerſalis hæc ſit, tum inexhauſtam in jecore morbi ſcatebram non recognoſcat; atque inprimis à tenuiori, mobiliorique humore produci hæc affectio videatur: *Oedemata partim dextra, partim ſiniſtra, quæ modò aſſurgunt, modò ſubſidunt.* Remediorum ad hunc morbum adminiſtrationem inferiùs in curatione frigidæ hepatitidis memorabimus.

Examinatur Maraſmus Hepatis, à longa, aut etiam brevi Hepatitide progenitus; qui idcircò duplex eſt; Acutus, & Chronicus.

XVIII. Maraſmus Hepatis, quem inter Hydropis cauſſas accenſere Duretum ſuperiùs annuimus, calidæ hepatitidi, diutiùs in bilioſis protractæ, aut acutiori febre ſtipatæ, quandoque ſuccedens, ab Hippocrate in Coacis, aliiſque locis, ſub nomine *exhauſti fricti*, ſeu quaſi *fricturâ retorridi* indicatus, concinnè adeò, appoſitéque à ſolertiſſimo laudato Dureto, Hippocratis Ocello, deſcribitur, ut integrum ejuſdem, tametſi profuſiorem, à ſuis in Coacas commentariis decerptum, ſubnectere textum non tædeat. „ Exhauſti hepatis, atque toſti cauſa eſt cæcus ignis, vel ardor febrilis, „ undè celeriter continenter, & vehementer febris movetur, „ proindéque acuta eſt, undè Hydropes veniunt. Atque cæcus ignis fundamentum habet in dyſcraſia congenere, velut „ parentum vitio ſata; tum in coæva, quæ cum ætate ſimul „ accreſcit, tum ea, quæ primùm inſita, diætam nacta eſt, „ quæ vires acquirit eundo. Talis eſt dyſcraſia eorum, qui „ jam intemperiei à prima compagine, ſicut Apollonius, dyſcraſiæ pergrandis acceſſionem adjungunt, æſtate potiſſimùm ab edacitate, ut ait Hippocrates, & liberaliſſima „ potione vini. Atque hic cæcus ignis depopulatur hepatis „ gratioſum humorem, ipſumque reddit exuccum, quod

„ areſcendo fit durum, & è ſuave rubenti nigrum, aut ci-
„ nericium. Sic ab exhauſto vis perit ſanguifica, & pro
„ ſanguine funditur ſerum, aut pituita atri coloris, aut cinerei.
„ Interea dum cæcus ignis depopulatur humidum primige-
„ nium, antequàm incommoda veniant maraſmi hepatici, de-
„ populatio illa cernitur in atrophia, & cachexia hominum
„ morbo regio fœdatorum, in ſiti, & ſiccitate linguæ fucatæ
„ ſubviridi, aut flavo colore, tum in febricula quadam no-
„ cturna, & parum placida membrorum quiete. Dejectiones
„ ſunt pilulatę vervecinarum modo. Urinæ multâ bile ſa-
„ turatæ. Adveniente maraſmo paulatim hydrops aſſurgit,
„ perennitate ichoris in alvum confluentis. Supereſt cauſa
„ altera maraſmi hepatici, quæ poſita eſt in ardore febrili,
„ quo ipſum hepar conflagrat. Enim verò nihil æquè na-
„ tivum calorem extinguit atque febrilis ardor. Ac ſanè
„ jactura fit major humidi primigenii ſeptem diebus à febre
„ acuta, quàm à calore inſito ſeptuaginta annis. Septem die-
„ bus vitam is finit, tabificâ vi febris conſumptus, qui ſep-
„ tuagenarius erat futurus duce nativo calore. Nihil tam citò
„ fatale eſt ad interitum, quàm febris acuta, ſi peſtilentiam
„ tantùm exceperis. Ergo maraſmum facit febris acuta, quæ
„ in hepate focum habet. Qualem in Hermocrate notavit
„ Galenus ex hiſtoria præceptoris. At talis maraſmus, aut
„ citò mortiferus eſt, ut in Hermocrate, aut hydropiſicus,
„ ortus ab hepate ex morbo acuto. Hîc ſanè miſerrima eſt
„ conditio febricitantium, ſiti ardentium, qui ejus non di-
„ cam depellendæ cauſſa, ſed ne levandæ quidem, pauxil-
„ lum frigidæ impetrare non poſſunt à quibuſdam ſuper-
„ ſtitioſis. . . . Nefas eſt non explere ſitim, quę facit ma-
„ raſmum hepaticum: Nam & ſitis cauſſa eſt cauſi: Quo-
„ niam venulæ cùm exaruerint, ad ſe attrahunt bilioſos, &
„ acres ichores. „ Hucuſque Duretus. Cujus vel ob hęc ſo-
la poſtrema verba laus non immortalis eſſe non poſſet; cùm
in ſæculo veteribus fermentis nimiùm imbuto, Arabumque
neniis

neniis adhuc non mediocriter obnubilato, quo quidem plerique humorum morbi ſpecialibus quibuſdam putredinum claſſibus referebantur, ut in ægris vel ardenti febre correptis potatio, ob metum augendę putredinis exularet, illuminatiſſimam ipſe medicinam adhibens in his calidis hepatis affectionibus frigidæ potationem acriter inſinuat. Quandoquidem quot apud ſectę deterioris antiquos bilioſæ leviores, imò vel intermittentes febres in cauſones, indéque in mortiferas hecticas degeneraſſe viſæ ſunt, à largo humectante potu, qui eas tempeſtivè cicuraret, atque (ut facilè fit) inter initia reprimeret, crudeliter inhibitæ! An ex bono medendi artifice, magiſtroque Hippocrate, atque germanâ ejuſdem ſcholâ in Eryſipelatoſis ipſis affectibus (ut inferiùs annuemus) in ardentibus febribus, biliosâ colicâ, cholerâ morbo, aliiſque morbis, à tenuiori, acriorique bile productis largiorem frigidæ, & puræ toties commendatum uſum ediſcere quilibet abundè non potuiſſet? Sed ut ad inſtitutum redeam: Eſt igitur maraſmus Hepatis veluti à longo, vehementique ejus incendio ſuperſtes cinis: Exucca, & veluti coriacea reddita hepatis caro. Et ſanè in hominibus, à chronico hujus viſceris maraſmo percitis, ſeu à primi generis depaſcente igne, qui ſenſim, ob congenitas, vel adventitias, vel etiam utraſque cauſſas, in dies invaluerit, conſumptis, atque hinc poſt longum corporis ſqualorem denatis, & apertis, deprehenditur jecur prorſùs aridum, nigrum, durum, coriaceum, in minimam molem retractum, cultri aciei enormiter reſiſtens; aut ex adverſo ſibi, ob irrigantium ſuccorum penuriam, ſibi vix cohærens, friabile idcirco, atque in granuloſas, & ferè ſabuloſas particulas facili ope diſſiliens. In maraſmo verò ſecundi generis, ſeu acuto, ab ardenti, brevique febre progenito, jecur humidius quidem adhuc perſpicitur, cùm ſanè velociſſima illa febris qualeſcunque viſceris depaſci, atque extinguere humiditates non valuerit. Interea durum, & lividum, cinereum, viride, ęruginoſum, interdum & nigrum

obverſatur. Dodoneus cap. 3. *Obſervat. medic.* refert nobilem quendam 20. annos melancholiâ conflictatum, qui tandem de virium debilitate conqueri, cibumque & potum averſari cœpit, cum nulla febre, imò cum frigoris ſenſu per univerſum corpus, pedumque œdematoſo tumore; ſed cum rubicunda urina, veluti ſi febris ardens, aut hepatis inflammatio affuiſſet. *Malo tandem*, addit hic author, *ingraveſcente, ad alium cibum ſumendum, præter exiguam ſorbitionem adduci non potuit. Ita inediâ conſumptus è vita migravit. Hujus hepar colore undiquaque nigrius, quàm ſecundùm naturam, apparuit, ſed tamen minùs nigricans, quam pulmonis ſphacelo corrupti ſubſtantia, impreſſorum digitorum veſtigia ferè retinebat.* Videtur autem hic caſus non hepatis reverà maraſmum, ſed potiùs corruptionem, atque ſphacelum repræſentare; cùm tanta adhuc in liveſcente hoc viſcere ſcateret humiditas totam ſubſtantiam relaxans, & emolliens, ut digitorum impreſſorum veſtigia ferè retineri valerent: tum cauſſę non præiverant quæ genuinam hepati tabitudinem induxiſſent. Cùm verò in his omnibus extiſpiciis illâ, quâ hepar afficitur, tabificâ labe alia pariter ſuffundi viſcera non deprehendatur, maraſmum hepatis, non ab antiquis in hęmatoſeos, (quàm in hac parte conditam exiſtimabant) fruſtratæ gratiam leviter fuiſſe excogitatum, ſed morbi diſtinctum genus, ab aliis omnibus diſpar conſtituere, lubenter fatebimur: tum de facili ejuſdem productione mirari non ſubiet. Cùm enim in omnibus liquidorum morbis bilem proprias etiam compati ametrias, neque morboſis ignibus, ſimulque lentoribus, & pravis ſtationibus excipiendis, aut producendis Hepate, & bile nullam aliam hominis partem, nullumque humorem alium ſe paratiorem præbere, ſat aliàs oſtenſum ſit; Quidni in pręternaturali hominis longo, aut acuto breviori igne Hepar contracti mali manifeſta argumenta non porriget, quod quidem vel in levioribus morbis, tantum ignem non excitantibus, plus minùs à naturæ ſtatu immutatum continuò deprehenditur?

XIX. Cùm

XIX. Cùm igitur ab utroque etiam maraſmo hepatico trahere hydropes originem ſoleant, jam certè plurimæ hepatis affectiones accedunt, quibus antecedentium hydropis cauſarum poteſtas denegari non poteſt: Phlegmone (ut vidimus ſuperiùs in Can. XIII. hujus Hepatici affectus) vel contumacior obſtructio, vel ſcirrhus, vel lymphaticorum ruptiores, vel exſiccatio, & contabeſcentia, vel ulcus, ut ſuo loco; vel tandem etiam ſpaſmus, ut inferiùs habebimus; quorum quidem omnium morborum contumax hepatitis fundamentum plerumque eſt, & origo; tametſi frequenter etiam ab aliis principiis, inculpabili hepate, accumulentur hydropes, & fiant; ut oſtendimus ſuperiùs in II. Parte Cap. V. fol. 157. Ita Hippocrates in Coacis Hydropes ab Hepate, atque hydropes ab aliarum vitio partium proficiſcentes, in genere diſtinguit: *At verò hydropes illi permoleſti ſunt, atque mortiferi, qui veniunt è morbis acutis: Plurimi autem naſcuntur à lumbis, & ilibus: Alii verò ab hepate.* Jamque in hoc textu Medicinæ Dictator hydropes à primigenio liquidorum vitio ſubortos recenſere primùm videtur; quos quidem, veluti ab ingenti, ſubitâque ſanguinis diſſolutione, atque in ſeroſis partibus colliquatione excitatos, abſolutè lethales denunciat. Ita etiam in lib. prænot. ſect. II. repetit: *Aqua inter cutem, quæ ex acutis morbis oritur, mala. Nam neque febre liberat, vehementeſque dolores excitat, & lethalis eſt.* Poſtea hydropes ab ilium, lumborum, atque hepatis errore naſcentes commemorat. Porrò non hos ſolùm à lumbis, ilibus, & jecore, ſed ab aliis etiam viſceribus, ventriculo, inteſtinis, liene, utero, pulmone, renibus, cerebro, præterquàm ab hæmorrhagia, aliiſque humorum defectibus procreatos hydropes variis recitat locis Hippocrates. Per illam verò textus ſingularem particulam: *Plurimi autem naſcuntur à lumbis, & ilibus* arguit Senex illos nominatim hydropes, qui dolorifici ſunt (ut indè declarat in ſequentibus) qui nempe à ſpaſmodica dia-

[illegible] hydropum cauſæ, quæ in jecoris vitio ſitæ ſunt, atq; ab aliis aliorum viſcerum diſtinguuntur; omneſque hydropis ſpecies accenſentur, quæ ab iis deduci poſſunt.

diatheſi inteſtinalium, & meſeraicarum partium [ita enim perſpicaciores exponunt interpretes] ut plurimùm concitantur; ſive ſiccos, & convulſivos hydropes, ſtabilem abdominis, atque uniformem tenſionem, ſeu tympaniam in medium ducentes. Hi nempe mixtam diuturnam hepatitidem ſæpiſſimè ſectantur, ſi hæc ſpaſmodicæ nerveorum meſentericorum plexuum affectioni, ſeu ut dicebat Hippocrates *hecticæ inteſtinorum, ſpiritu flatulento fetorum intemperiei* copuletur. Sicci hujuſmodi, & doloriferi hydropes ut plurimùm inſanabiles extant; quos quidem illæ excretiones non exolvunt, quæ alios hydropes ſanare valent. Vide ſuperiùs in diſputat. de *Hepatis Phlegmone* cit. Can. XIII. Tandem addit, *Alii verò ab hepate*: Quos certè hydropes licèt in hoc textu ab acuto exquiſitè morbo, ſeu ab hepatis phlegmone, accenſoque per hunc morbum ſanguine videatur elicere; in aliis interea locis à non tam acuto morbo, ſive ab una bilis maleficentia deducit; ut ſatis explicat per illum in Coacis: *In bilioſis alvus turbata, quæ pauca exhibet ſimilia genituræ atque mucoſa, & circa Hypogaſtrium dolorifica, nec urinæ faciles in meiendo, ex talibus deſinunt in Hydropem*, cujus explicatio apud Duretum, alioſque interpretes videri poterit: aliàs etiam hepaticos Hydropes à frigidis cauſſis, ut à contumaci pituitoſa obſtructione referre intendit. Ita lib. de int. affect. *Aqua intercus ab Hepate; quæ tunc quidem oritur, cùm ad hepar pituita acceſſerit, eamque hepar exceperit, & humectum redditum fuerit: confeſtim igitur ardorem huic præbet, & flatum excitat. Deinde verò procedente tempore aquâ impletur; poſteaque corporis morſus contingit; in tibiis, & pedibus tumor eſt laxus, hepar durum redditur, ac intumeſcit: & claviculæ extenuantur.* Quare, ut omnia recolligam: Docemur ab Hippocrate, non ſolùm hydropem in genere ab hepatis affectu, ſed varias hydropis ſpecies à diverſis hujus viſceris affectibus procreari: Ab eruptione, & cataclyſmo aquarum ex lymphaticis hepatis particularem hydropem, ſeu aſcitem: à Phlegmone, aut bilioſa ejus

ejus diatheſi, tum à frigidis, & lentioribus morbis, ut ab inveterata obſtructione, à ſcirrho, & ſimilibus, univerſalem hydropem, ſive anaſarcam, aut leucophlegmatiam, ſeu pituitam albam: & tandem ab hepate, in convulſivæ, flatuoſæque diatheſis vicinorum viſcerum conſenſum advocato, particularem alium, ſed ſiccum, & tympanitem hydropem. Atque hæc de hydropificis non benè judicatarum hepatis paſſionum ſymptomaticis, ſive ſuccreſcentibus morbis, pro rei inſtituto ſat dicta ſunto.

Quâ remediorum adminiſtratione ſit in Hepatitide utendum, tum in genere, tum in ſpecie. & primò de uſu Phlebotomiæ

XX. Porrò: Cùm ex Hippocratis monitis per alvum aut urinam feliciores in genere hepatitidum judicationes attingantur, quibus nempe fluxibus vitioſorum humorum craſſamina accommodari ſat aptè poſſunt; ut id promptiùs, fauſtiúſque obtineatur, medicamentis iis inſiſtendum eſſe videtur in genere, quæ incidendi, attenuandi, abſtergendique tutiori facultate pollentia, vitioſos ſuccos ad exitum apparent, attenuatos, abſterſoſque ſolvant à viſceris implexu, atque hinc per memoratas vias eliminent. Attamen cùm id ſæpiùs in calidarum hepatitidum principio contingat, ut ſanguis in bilioſorum æſtuum conſpirationem concitatus, tum febres non mediocres excitet, tum viſceris vaſa repleat, aut impediat, & ſenſiles partes diſtendat, cum majori, aut minori tumore, ac dolore; Tunc certè à phlebotomia erit incipiendum; quâ nempe ſanguinis in hepar ferociùs irruentis retractio, in eodem conſiſtentis, atque æſtuantis amotio, & viſceris oppreſſionis ſublatio inſtituitur. Quòd ſi ab imbecillitate, ut ſuprà, ſeu atonia ſolidi hepatici oriatur affectio, unde ſanguinis, & bilis retardatio, ſimulque enormis congeſtio, hinc tumor, & dolor deſſumenda ſint; maximo adhuc auxilio eſſe poteſt ſanguinis miſſio; quâ quidem tanta detrahitur ad retardatorum, congeſtorumque, ſuccorum repetendos fluxus reſiſtentia, & impedimentum, quanta eſt extracti ſanguinis copia. Hinc Cous in curatione Hepatitidis cum dolore, & tumore manifeſto, etiam abſente febre,

non ſolùm phlebotomiam commendat, ſed in æquali ejuſdem, atque catharſeos indicatione eſſe ab ipſa auſpicandum, ſub his verbis commemorat in Coacis: *Quibus continuò in febris vacuatione, hypochondrii, & cordis dolor, crurumque ac partium inferiorum, & unà venter in molem aſſurgit, phlebotomia exolvit, & alvi profluvium.* & 4. acut. confirmat. *Hìc à phlebotomia ordiri oportet.* Additque Duretus in comment. ad Coac. fol. 388. *Quamlibet hujus visceris dolorificam ſyſtrophem non niſi phlebotomiæ concedere, ſi deſit hæmorrhagia; reddi verò inſanabilem, ſi quis antè operam purgationi dederit, quàm venam ſecuerit:* Neque igitur ſolùm in ejuſcemodi, inflammationem producentis, aut minitantis, hepatitidis principio detractio ſanguinis, veluti ob revulſionis rationem, inſtituenda eſt; Sed etiam in progreſſu, ipſoque ſtatu, ſi calida adhuc oppreſſio viſceris maneat, & vires ferant, derivationis modo, imperanda; tametſi febris admodum ceſſerit: Cùm à præceptore 7. Prorrh. habeamus: *Quæ in hypochondrio relicta ſuperſunt incendia, extincto febris ardore, malum denunciant.* Nec opportunior ſanguini, & bili celebrari derivatio poterit; quàm per admotiones hirudinum ſedalibus venis, etiam pro rei ratione repetendis: Quibus ſanè multa ſanguinis, ad Hepar per portam venam progredientis, copia imminui poteſt; hinc viſcus ab obruentibus, atque exundantibus liquidis expeditiùs reddi.

Quando purgandum ſit, & quando præparantibus duntaxat inſiſtendum; & quænam præparantia ſeligenda.

XXI. Poſtquàm appoſitè fuerit emittendi ſanguinis indicationibus proſpectum; cùm à praxeos legibus doceamur, vitioſos ſuccos protinùs eſſe vacuandos, atque per debita emiſſaria eliminandos, ſi hi in ſecretoriis, atque excretoriis ſedibus expediti, paratique degant; priùs verò præparandos, ſive alterandos, cùm, vel ſtrictiùs impacti viſceribus hæreant, vel latiùs ſoluti, & palantes facti, ſus deque debacchentur; ideóque primi attenuandos, atque diſſolvendos ſe præbeant, alteri recolligendos, & condenſandos; ex his certè fontibus tota in quolibet hepatitidis genere, & gradu, nec non

non quâcunque delinquentium ſuccorum indole rectæ curationis ratio manare poſſe videtur. Quippe ſi calida hepatitis occurrat, ſimulque efferata bilis non tantùm æſtuet in hepate, ſed inſuper, ſuſcepto ſanguinis itinere, per alias partes exundet, atque in primis *turgeat*; eâdem horâ convenienti cathartico deturbabitur: Si verò non *turgeat*, ſeu genuinum orgaſmum non induerit; aliis interea modis ſine tam manifeſto in primis viis apparatu laceſſat partes, & ſtimulet, undè Phlogoſes, febres magis, minúſve ardentes, exſiccationes, nauſeæ, vomitus, cardiogmi, dolores capitis, croceæ, fervidæque urinæ, anxietates, ſpirandi anguſtiæ, ſitis, cutis ardor, prurigo, & ſimiles affectiones excitentur; præmiſſo leviori, ſeu minorativo, ut dicitur, cathartico remedio, quod primarum viarum verrendas ſordes reſpiciat, ut caſſiâ, pulpâ tamarindorum, diaprunis &c. eiſque inſuper ſubſtituto abluentium, atque lenientium clyſterum frequenti uſu; de longis, atque repetitis humectantibus, temperantibus, incraſſantibus, deprimentibus, atque, ut dicitur, refrigerantibus conſulendum erit. Medicamenta, ex vegetabili regno elicita, hepar, & bilem refrigerantia ſunt. Radices cichorii, acetoſ. taraxac. fragar. fol. acetoſ. end. ſcariol. acetoſell. cichor. ſonchi, lactucæ &c. quorum claſſes, & formulę, ſive decoctiones, ſucci, ſyrupi, apoſemata, diſtillata &c. apud Sennertum *in hepatis intemperie*, alioſque authores abundè recenſentur. Opportunum eſt ſerum lactis depuratum, ſincerum, aut cum refrigerantibus herbis alteratum; tum pro delicatioribus per M.B. diſtillatum: In primis cichorei ſuccus largis aquarum refrigerantium, aut juris, hauſtibus dilutus. Conferunt ros vitrioli, iteratis digeſtionibus à vitriolo abſtractus, & diligenter edulcoratus; aqua nuceriana; gelatina C. C. aut eboris; emulſiones ex 4. ſemin. frigid.; Nitrata fixa; ſucci limonum, citri, ribes, granatorum; ſpiritus vitrioli, aut ſulphuris, in longis hauſtibus dilutus; & ſimilia humectantia, alcalica, aut acida, vel acidula, quibus quidem pacari queat

 bilis

bilis fervor, aut concitatio, ipſaque ſubtilior dilui, craſſeſcere, aut conſtringi. Illud interea Galeni monitum VIII. de comp. Med. ſ. loc. memoriâ tenendum eſt: *Hepatica Medicamenta non debere eſſe vehementer refrigerantia; ſaltem non diuturno uſu uſurpata.* Quòd ſi fervens humor ſimul etiam viſcidior extet, vel ob ſeroſi vehiculi defectum, vel ob nimiùm aſſata oleoſa ejus principia, quæ ideò, in reſiniformem, & calidam veluti amurcoſam ſubſtantiam faceſſendo, compactiora reddantur; refrigerantibus, & diluentibus blandè incidentia, atque abſtergentia intermiſcenda ſunt, deducta ex borrag. bugloſſ. agrimon. pimpinell. cherefol. hepatic. chamædr. & ſimilibus; atque ex aperitivis radicibus. Defervente febre, neque vehementiori vigente dolore, ad blandiores vitriolatas acidulas confugiendum ſupereſt. Proſunt ſpecialia fomenta, in quibus corroborantia laxantibus, atque anodinis ſocientur. Optimum eſt in hoc morbo emplaſtrum *de flore Cœli* ex officina expertiſſimi D. *Boiron* Sabaudi elicitum, dextroque hypochondrio exteriùs admotum. Denique de quiete ægrotantis præ cæteris cogitandum; juxta illud Hippocratis in epid. *Præcalidæ naturæ refrigeratio eſt aqua pota, & quies.*

Quæ paranda ſint, uſurpandaque in frigida ſpeciatim Hepatitide remedia.

XXII. Quòd ſi frigida hepatitis ſit, atque bilis inertior, vel ob volatiliorum principiorum defectum, aut profundam nimis illaqueationem; vel ob ſalinarum, atque oleoſarum partium fixiorem, & compactiorem indolem; potentiùs abſterſiva, incidentia, extenuantia, ſolventia, atque exaltantia expetuntur, formis quidem ad operam variis parata. Ita præter illa varia, quę in hepatis frigida obſtructione ſuperiùs à nobis propoſita, huic pariter curando affectui communia eſſe poſſunt, valent decocta amara ex eryngio, marrubio, peucedano, abſinthio Pontico, aut minimo Lobelii, aut umbillifero; ex chamædrios vulgari, & inſuper alpino noſtro, ſeu celebri illâ herbâ rotæ; ex centaurio minori, ex cuſcuta, chamæpytheos, fumaria, ſcabioſa, epythimo &c. atque inſuper ſicca ex his aut ſimilibus vegetabilibus parata

remedia,

remedia, ſeu lixivioſa ſalia, ut ſal. abſinth. centaur. tamariſc. &c. tum extracta amariora, ut gentianæ, abſinth. chamædr. centaur. ſcord. &c. Quippe amaricantia, ſimulque temperamento calida, aut calidiuſcula remedia penè inſipidam, & ferè emortuam bilem propriâ acrimoniâ extimulare, atque in naturalem indolem propiùs, atque commodiùs reſuſcitare poſſe videntur. Imò volatiliora ſalia, ſpirituoſiora remedia, & quæ validiùs impellere, atque excitare apta nata ſunt, in hoc affectu proſperrimè quandoque uſurpantur; quorum quidem ope referveſcentibus liquidis, & ſolidorum adauctis momentis, ſi ſimul revocetur febris, aut præſens vividior reddatur, remedio eſſe poteſt: Juxta illud Hippocratis in his frigidis affectibus: *Intendere ignem oportet.* Accenſendi præterea ſunt inter frigidæ hepatitidis alterantium claſſes pulveres varii magiſtrales incidentes, corroborantes, atque excitantes. Utor ego ſæpiùs compoſito ex radic. aron. pul. zedoar. menth. ſicc: ſummit. abſinth. pont. pul. viperin. & croco; cujus frequentes doſes per diei horas diſpertior: Neque inſuper in hoc affectu mihi infrequentes ſunt boli, aut etiam diſſolutiones entis veneris optimi, myrrhæ, & arcani duplicati. Proficuum inſuper deprehendimus uſum eſſentiæ aureæ terræ foliatæ tartari, ſolutæ à ſpiritu ſalis ammoniaci; tum frequentem hauſtum ex vino calido cum diſſolutione pulveris radic. zedoar., duobus, aut tribus guttulis olei roriſmarini priùs irroratæ. Laudo præterea pilulas ex gummi ammoniac. digeſti, & nutriti in ſpirit. ceraſ. nigror. cum flor. ſal. ammoniac. martial. ambr. griſ. & ol. cinnamom., quę ante cœnam uſurpari frequenter poſſunt. Sed inter hujuſmodi alterantia principatum obtinent martialia præſidia, prudenti regimine adhibita. Utiliores in hoc morbo Martis præparationes, ſunt; Eſſentia martialis ammoniacalis cum ſpiritu cherefolii parata; Tinctura ex chalyb. & tartar. venet. calcin. per ſpirit. vini elicita, immixtaque vino malvatico, in quo pulvis granor. paradiſi fuerit diu infuſus; ſal noſter martialis acido quocunque exutus;

vinum per caballinorum clavorum infuſionem , & longam macerationem alteratum ; Tum ferri tinctura quælibet , habita in ſpiritu quolibet urinoſo ſollicitè dephlegmato. Ferreis his, aut ſimilibus remediis interdum ſubrogamus ſublimatum balſamicum ex ſale ammoniaco , marte , & ſuccino ſ. a. paratum ; vel ſal cachecticum chalybeatum.

Præparantiũ Præſidiorum in mixta Hepatitide adminiſtratio.

XXIII. In mixta hepatitide , in qua bilis fervor , ſimulque lenta craſſities plerumque copulantur , abſente febre, potentiores vitriolatæ , & martiales , thermales aquæ non levi cum fructu propinantur : quales apud Inſubres ſunt Valtelinenſes, dictæ *del Maſino*, & Sancti Mauritii. Balnea inſuper aquæ dulcis fauſtè , & opportunè adhibentur : Quod quidem remedii genus in hac hepatitidis ſpecie frequenti uſui antiquis fuit. Neque erit hocce præſidium in calidis Hepatitibus , febre vacuis , præmiſſis , aut conſectantibus internis remediis, omittendum. Cæterùm interna remedia in mixta Hepatitide , juxta bilioſæ viſciditatis , aut phlogoſis dominatum, ad abſtergendi , & ſolvendi , aut potiùs recolligendi, & pacandi rationem prudenter conciliare clinicus poterit:

Purgantium & diureticorum, quæ præparantibus auxiliis in Hepatitidis curatione ſuccedere debent, ſpecies, & formulæ variæ.

XXIV. Præparatis igitur , pro ineunda diureſi aut catharſi , peccantibus in Hepatitide humoribus , jam ad præſidiorum alterutrum, ſecundùm morbi tempus , ægri , ac tempeſtatis conſtitutionem , & inclinationem , evacuandorum præcipuè humorum , atque naturæ proclivitatem , deveniendum erit ; aut etiam , ſi expediat , utroque ſimul utendum. Leviora inſuper ejuſcemodi Pharmaca ſecundùm circumſtantias varias , aut valentiora adhibenda. Mirè aliquando contulit pro leniori hepatitidis non calidæ purgatione vinum album, catharticum redditum ab infuſione , aut ebullitione radicum mechoacannæ; quod quidem pro epicratica purgatione ſæpiùs tutóque uſurpari poteſt. Aliter etiam epicraſim per apoſemata aperitiva , ſimulque purgantia, aut per ſyrupos meſentericos compoſitos , aut cachecticos dictos , per ſyrupum de

pomis

pomis regis Saporis, de cichorea Nicolai, & ſimiles, aut per extracta ſennæ, rhabarbari, agarici, mechoacannæ, diacarthami, per extractum panchymagogum Hartmanni; aut etiam per pilulas, ut tartareas Bontii, de ammoniaco, aut melanagogas Quercetani, & ſimiles, interdum inſtituo. Sequentes pilulæ pro ſuavi, tutâque in frigidis *hepaticis* purgatione apprimè conducunt. R. ſpirit. ardent. naſturt. aquatic. q. v. in hoc ſolve flor. ſal. ammoniac. martial. & reſin. jalap. ana q.v. ſpiritum ad quamdam mellaginis conſiſtentiam evaporari cura: Cum reſiduo corpore excipe q. ſ. maſſæ pilular. tartar. Bontii, ut fiat denuò pilularis maſſa, ad debitam indè doſim cœnam ituro exhibenda. Blandè purgat hoc pharmacum manè, noctu inſtar tutioris opiati ſuaviſſimum conciliat ſomnum. Rob ex baccis ſambuci catharticum ſelectioribus hujus farinæ remediis ſuccenturiandum non minùs arbitror. Si blandum quodpiam expetatur emeticum: Fac infuſionem in unc. VI. vini alb. duodecim, aut quindecim foliorum aſari, atque expreſſionem ad unc. IV. redditam propina. Quòd ſi in diureſis operam contendere oporteat [quæ reverà pulſis craſſioribus, turbidiſque urinis, morbum integrè ſolvit; ut hinc Galenus S. de loc. affect. 7. *In hepaticis affectibus urinæ quoque deteriores redduntur, quibus imperiti Medici nonnunquam decepti gravis morbi periculum ſubeſſe arbitrantur*] plurima ſanè efficacia in his morbis hujuſmodi remedia obverſantur. Leniora diuretica ſunt in frigidâ, mixtâve hepatitide ſyrupus raparum, & raphani ſuccus: Valentior eſt celeber Mindereri ſyrupus, qui apud noſtrates, ſub nomine Pecchii, recentioris ejuſdem inſtauratoris, in frequenti uſu venit. Communiora præſidia officinalia ſunt, ſalia abſinthii, tamariſci, corticum fabarum, aliaque lixivioſa plurima; aut cineres juniperi, tiliæ, filicis, fraxini, fagi, geniſtæ, aut ſimilium, aquâ, aut vino lixiviati. Selectiora ſal polychreſtum, nitrum hermaphroditicum juxta Pharmac. Batean. Elect.

diatartarum: Infuſio millepedum in tinctura baccarum juniperi, cum ſpiritu vini parata: Tinctura antimonii Glauberi: Decoctiones fortiores radicis aſari, quæ quidem valdè aperitivæ evadunt. In primis ſpiritus aperitivus Penoti. Prodeſt eximiè ſyrupus therebinthino-viperatus ſecundùm deſcriptionem Gaſpari Realis; cùm jam ſuapte naturâ multa ſit therebintinatorum omnium facultas ad urinas in his hepaticis, aliiſque inſuper diverſi generis affectibus pellendas. Demùm valdè etiam confert ebullitio in vino albo radicum filicis, & cuſcutæ.

Vrgentia in hoc morbo interdum ſymptomata quibus remediis proſpicienda.

XXV. Quæ in hoc morbo interdum urgent ſymptomata per ſua pariter, eaque ſpecialia remedia, pacari poſſunt. Ita ſtrenuum eſt paregoricum in vehementiori dolore, aut vigiliis, à ſæva hepatitide inductis, tinctura noſtra anodina è genuino vitrioli ſulphure parata. Paregoricum etiam in bilioſis hecticis paratur à recenti theriaca, nitro optimo depurato, & ſpermate ceti. Juvant inſuper Pilulæ Matthæi, vulgò in Anglia Starkii dictæ, ex deſcriptione celeberrimæ Pharmacopœæ Bateanæ. In virium proſtrationibus, cardialgia, aut ingenti languore egregius eſt elixir vitæ Taddei Florentini, aut ſpiritus ſtomachichus Patris Fardellæ, apud aliquos in ſecreto habitus; aut elixir proprietatis Paracelſi, per diuturnam myrrhæ, croci, & aloës in convenienti menſtruo digeſtionem, debitamque per pelicanum, aut bina vaſa invicem occurrentia, & ut artis eſt, obſignata, circulationem, juxta præſcriptiones Helmontii confectus.

Quomodo curandæ biliares hecticæ febres, à contumaci hepatitide profectæ.

XXVI. Inter contumacioris hepatitidis ſymptomata precipuè accenſendæ ſunt febriculæ quædam, ut ſuprà, periodicæ, aut, ut plurimùm, irregulares, anomalæ, in lentam, & habitualem, hinc hecticam fortaſſe, & maraſmodem faceſſentes; quas quidem alere potuit pervicax, atque deterius bilioſum craſſamen, non tantùm jecoris ſubſtantiam, ſed & ipſas per ſanguinis alveum nutritias, atque oleoſo-volatiles

tiles particulas obſidens , glutinis more illaqueans , & compingens , ut depravari ſecretiones , ſuccorumque recentium cum toto ſanguine miſturæ tandem aboleri videantur. In hoc quidem ſtatu remedia illa excogitanda , atque in ægrotantis viſcera , & ſanguinem intromittenda ſunt , quę non tantùm coactam , pendulamque, ut dicitur , ſanguinis & bilis compaginem dilatare , & laxare , ſed inſuper propriâ interpoſitione roridas , aqueaſque novorum ſuccorum , vel ab alimentis , vel à remediis ſuggeſtorum copias , in ſanguinem introductas cum reſiniformi ejuſdem ſubſtantia commiſcere valeant , unamque ex utriſque ſubſtantiis ſubſtantiam conſtituere: Eodem pacto , ut puto, atque alcalici ſalis interventus aqueum corpus cum oleoſo ſatis conjungit , quę quidem ſine hujus tertii concurſu conſortium non patiuntur , ſeu in eandem compoſitionem non coeunt. Fortè etiam bilis naturaliter conſtitutæ ſubtiliſſimus flos , ex inteſtino in ſanguinem remeans , vinculum illud unionis inter recentes , vetereſque ſuccos inſtituit ; qui ſi in torrida bile, atque in reſiniformem habitudinem degenerante defficiat , accommodatis remediis extricandus eſt , aut ab ipſiſmet cibariis particulis renovandus. In his igitur hecticantibus hepatis morbis efficaciſſimum pro neceſſariis his ineundis connubiis inſtrumentum eſſe , & veluti amicitiæ liquorum interpretem, balſamum noſtrum nitratum , ex ammoniaco & nitro ſale ſpeciali modo paratis , ſociatiſque confectum , nec non cum cauto regimine adhibendum , etiam , atque etiam experti fuimus. Nec profectò ſine hoc introducente remedio liquida quęlibet refrigerantia torridioribus , ut ſuprà , coactiſque ſanguinis particulis inſinuari poſſunt , & annecti, quæ nempe haudquaquàm cohærentia , vix deſuper innatant , citóque elabuntur. Interea quæ febres horum affectuum pediſſequæ intermittentium indolem non tranſcendunt , aut ſaltem maniſeſtis excipiuntur periodis , à pulvere , compoſito ex lapide

pumicis

pumicis, ſale abſinthio, corticibus aurantiorum, & ſpinachiorum ſemine non difficilè comprimuntur.

Quænam ſit in variis hepatitidis ſpeciebus victus ratio inſtituenda.

XXVII. Denique victus ratio ſecundùm hepatitidis naturam varia imperatur. In calido affectu refrigerans, ex tenuibus, humidiſque alimentis deducta: In frigido, cibi uſurpandi ſunt calidi, & aromatibus conditi: In utroque verò vitandi glutinoſi, acidi, & conſtipantes. Vinum in frigido hepatis morbo ampliſſimè commendat Galenus lib. 8. de compoſ. Pharm. ſec. loc. cap. 7. *Vinum, ait convenientiſſimum eſt citra inflammationem, aut eryſipelas, aut abſceſſum, aut calidam intemperaturam, in ægrotantibus: Nam & nutrit, & concoquit, & roborat, & putrefactioni reſiſtit: Et ſi intemperies ex humiditate facta ſit, & frigiditate, eam citra omnem moleſtiam, ac ſecurè perſanat.* Idcircò moderni in hoc caſu non ſolùm malvaticum, creticum, aut hiſpanicum, merum, ſed variis aromatibus conditum, quod Hippocraticum nominant, cum regimine propinant. In mixta Hepatitide diætæ ratio medio pariter modo habenda eſt. Atque hęc de Hepatitide, inſigni frequentique morbo, ſed valdè apud modernos neglecto, ejuſque ſolemnioribus productionibus, pro Tironum ſtudiis ſuffectura eſſe putabo.

Mixtæ Hepatitidis, poſt Pulmonis affectum contractæ Hiſtoria.

DUM hæc ſcribimus; vertente Maio menſe, D. Anna Piſona, annum agens quinquageſimum, à diuturno, leviterque ſuppurato pulmonis morbo in mixtam hepatitidem inciderat. Dolor, tumor, & renixus dextrum occupabant hypochondrium, eiſque flavo-vireſcens icterus, cum croceis, & lateritiis urinis inter ipſa initia ſe comitem addiderat. Febris continuam, ſimulque manifeſtè periodicam habitudinem aſſequuta eſt, cum ſiti, fœditate linguæ, anxietate, vigiliis,

&

& proſtratione virium. Dolor primùm ad uſque ſiniſtrum hypochondrium, ſiniſtri nempè hepatici ligamenti interventu, expatiabatur. Interea, vernâ non modicum favente tempeſtate, vix ultra ſeptimam, epicerasticorum, ſuaviter emollientium, atque abſtergentium, apoſematum uſu, fotuum inſuper, clyſterum, & inprimis epicraticæ purgationis auxilio, paratâ bile, atque hinc ad alvum permotâ, mulier integrè evadebat. Translatio morbi à pulmone ad hepar criſis quidem, ſed imperfectæ indolem redoluit. Nullum indè, ſoluto hepatis morbo, pulmonicæ affectionis veſtigium ſuperfuit: Neque fortaſſe hepaticis erroris expers fuerat primigenii affectus invaſio. Hujuſmodi curationem ducebat ornatiſſimus collegiatus Doctor Theophilus Vecherius, ampliſſimi quondam mei in praxi præceptoris Joſephi Emanuëlis à fratre nepos. ego in conſilium adhibitus. Confirmat hic caſus notabilem illum ſuperiùs deſcriptum pulmonis, atque hepatis in mutuis propriorum morborum ineundis tranſmiſſionibus conſenſum.

APPENDIX AD HEPATITIDEM.

De Hepaticis Hypochondriacis, ſeu Hypochondriacâ bilioſâ Paſſione, ab Hippocrate ſub nomine Reſiccatorii morbi deſcriptâ.

HIppocrates lib. II. *de morbis* ; morbum quendam, reſiccatorium ab ipſo dictum, deſcribens, ejuſdem originis à bilis errore æſtimandæ non obſcura videtur argumenta porrigere. En textum „ Non inediam, non cibum ſumptum ferre poteſt, ſed jejuno quidem viſcera rugitum edunt, „ & ventriculi os mordetur, & aliàs varia vomit, bilem, „ ſalivam, pituitam, & acre, poſtque vomitionem aliquantiſ-

„ per meliùs habere videtur. Ubi autem cibum ſumpſit, ru-
„ ctus ei contingunt, cum rubore incenditur, ſemper ſe
„ copioſum alvi recrementum dejecturum exiſtimat; cùm verò
„ deſederit, flatus infra demittitur, caput dolore vexatur,
„ totum corpus huc, & illuc veluti acu pungi videtur, crura
„ gravantur, debilitantur, & imminuuntur, debiliſque eva-
„ dit. Huic medicamentum quidem per inferiora purgans,
„ deinde verò per ſuperiora propinato, & caput purgato.
„ Cibis abſtineat dulcibus, oleoſis, & pinguibus, & crapu-
„ la. Succis poſt cibos vomitum cieto; & ſi anni tempus
„ ferat, poſt exhibitum lac, aut ſerum aſininum; medica-
„ mentum, utro tibi magis opus eſſe videatur, inſuper pro-
„ pinato. Frigidæ balneo æſtate, & vere utatur, autumno
„ verò, & hyeme unguento, & deambulatione, exerci-
„ tationeque modicâ. Quòd ſi debilior ſit ut exerceri ne-
„ queat, iter conficiat; cibis frigidis, & alvum dejicienti-
„ bus utatur; & ſi venter non infra ſubeat, molli infuſo ſub-
„ luito. Hic morbus diuturnus eſt, nec niſi conſeneſcentes
„ deſerit; alioqui ad mortem uſque comitatur. „ Hactenus Hippocrates. Plurimi Modernorum morbum hunc ad hypochondriacam paſſionem referre contendunt: Neque ipſe his adverſari velim, quem nempe non latet, Hypochondriacam affectionem genericum ſat nomen eſſe, ſub quo plurimæ ſpecies, diſparem interdum indolem redolentes ſitæ ſunt. Verùm ſpecialem hunc, ſi lubeat, hypochondriacum affectum ab acriori, acutâque bile, ſimulque ob initam paulatim exuſtionem, atque lenioris, humidioris, dulcioriſque liquidi defectum, craſſiori, & reſinoſâ, ortum ducere multa quidem teſtantur. Et ſanè: Qui deſcriptâ ab Hippocrate ſymptomatum ſyndrome corripiuntur, ii pariter ſimul alia pati per aſſiduam praxim animadvertuntur, quibus profectò manifeſtus peccantis bilioſi laticis dominatus retegitur. Iracundi ut plurimùm ſunt, atque amarulenti: Cujuslibet rei impatientes; mente vagi, valdéque inconſtantes; ad motum faciles,

faciles, & proni: ore facilè amari; linguâ plerumque flaveſcentes, præcipuè exurgentes manè, atque aliquot horis à paſtu; atque inſuper poſt aſſumptum cibum manuum palmis, interdum & pedibus excalefacti: æſtivo tempore malè habentes, & pejus in ſicca, calidaque temporum inclinatione: ſæpè icterici, in primis ſub cane, & ante canem, ſed brevi perfrigerato nonnihil ambiente, revaleſcentes: id verò juvenili præcipuè ætate; quo quidem tempore in plurimam virium attritionem per æſtuoſas tempeſtates, conſumptionem, phlogoſes, inappetentias, atque vigilias ruunt, cum auriginoſo colore: Autumno verò, atque hyeme deletâ aurigine, inſtaurantur: Croceas ſeu bile ſaturatas urinas, lintea intingentes, etiam citra arquatum, frequenter projiciunt, interdum & lateritias, ſimulque flammeas: Denique æſtuoſis, inquietiſſimis febribus, exquiſitioribus tertianis, aut ſynochalibus, aut anomalis, aliiſque biliaribus morbis æſtate, aut autumno ſæpenumerò obnoxii evadunt. Sed ipſa prolata ab Hippocrate diagnoſis, atque remediorum adminiſtratio propoſitum omne confirmat. Et primùm: *Non inediam pati, ventriculi os mordi, capitis dolore vexari, acria vomere, ac ſemper copioſum alvi recrementum dejiciendum fore exiſtimare*, germani effectus ſunt, non quidem hypochondriacæ illius paſſionis, quæ in acido, auſtero, pontico ſalino principio, in ſeroſis humoribus fluorem adepto, (veluti à modernis deſcribitur) originem habeat, & ſedem, ſed mordentis, acrioris, reſinoſi, & impacti bilioſi ſucci. Ita compertum omnibus ſanè eſt, Picrocholos, ſeu manifeſtè bilioſos, longam ferre inediam non poſſe; ut ſi ciborum, præſertim humidorum, diutiùs ingeſtiones protrahantur, à bilis ſuper inteſtina, & ventriculum morſu, nauſeâ corripi ſoleant, & ſtomachi ſimul ardore, ſeu *ſoda*, ut dicitur, torqueri; hinc ſæpè atrocibus cephalalgiis, aut hemicraniis confeſtim tentari, bilemque ipſam acerrimam; interdum vitellinam redditam, vomere cum ſævis ventriculi concuſſionibus; quos tamen vomitus

 prom-

prompta doloris capitis ſolutio complectitur; ut hinc Galenus qui hæc pariter phænomena obſervavit, tradat 3. de loc.affect. cap.7. *Quin etiam frequentiſsimè videmus, flavâ in ventriculo bile contentâ caput dolore affici, mox eâ per vomitum ejectâ, illico dolorem mitigari.* Ita Picrocholi ab Hippocrate, ſuiſque Interpretibus dicuntur homines, amarâ bile valdè ſcatentes, qui in ſuperioribus partibus, putà in ventriculo, coacervare bilem conſueſcunt, & quibus inedia moleſtiſſima extat; Qui tandem amarulentiâ facilè commoventur. Vid. ſenem, Galenum, Foeſium, alioſque. Quæ inſuper teneſmi ſpecies ſub illâ, copioſâ creditâ, ſed irritâ alvi excrementi dejectione, indicatur, nonniſi hærentibus ad inteſtinorum tunicas, mucoque inteſtinali intermiſtis, bilioſis humoribus referenda venit. Quę autem adduntur: *ab aſſumpto cibo rubore incendi; ac totum præterea corpus huc, & illuc velut acu pungi*, ſyllogiſtica ipſius delinquentis bilis indicia ſunt; à qua nempe calidas omnes à cibo efferveſcentias repetendas eſſe, aliàs oſtendimus. Tum in hujuſmodi bilioſis non ſolùm diffuſæ per totum corpus crebræ phlogoſes, calidæque punctiones contingunt, ſed uberrimas veſiculas, ſive papulas, ad cutem ſubitò erumpentes, citóque evaneſcentes perſæpè animadvertimus; ex quibus abruptis ſerum flavum, & acre cum maximo diſciſſi folliculi ardore exſtillari perſpicitur. Fortia verò cathartica, & emetica ab Hippocrate huic morbo propoſita, acidam, auſteramve pituitam non quidem reſpiciunt, cùm acidiores hi ſucci ab hujuſmodi purgantium remediorum ſtimulis exaſperari, & deteriores fieri plerumque videamus; ſed pro bile ipſa limoſa, viſcidaque expellenda conſultò memorantur. Sic hujuſce humoris inclinationi inferiùs, aut ſuperiùs purgans remedium accomodandum eſſe meminit Senex: *Utro tibi magis opus eſſe videatur inſuper propinato.* Accedit frigidæ imperatum balneum; quod quidem non acidis laticibus, ſed potiùs acriori, atque æſtuanti bili proficuum eſſe liquet; ut pluribus aliis locis idem aperit Hippocrates, qui in bilioſis morbis frigidâ non

tantùm

tantùm externè, ſed etiam internè liberaliter utitur. Ita lib. 2. de morbis adversùs febres à bile ſermonem inſtituens: *Alterâ autem die*, ait, *quâ febris detinet*, *aquam frigidam quantum bibere volet dabis.* Confirmat lactis uſus, huic morbo à Præceptore laudatus, quem quidem Hypochondriacis, acidam, indéque flatuoſam diatheſim patientibus deteriorem eſſe evincit idem Aphor. LXIV. Sect. V. *Lac dare capite dolentibus malum: malum verò & febricitantibus, & quibus hypochondria ſuſpenſa murmurant.* Quæ quidem *ſuſpenſorum*, & *murmurantium* phænomena Hypochondriaco flatuoſo morbo recenſet Galenus 3. de loc. affect. cap. 7. Tandem *cibi*, quos in *reſiccatorio* hocce morbo Cous admonet, *frigidi*, *& alvum dejicientes*, non niſi calidæ bilioſæ cachochiliæ conciliari poſſent. Atque illa prognoſis: *Hic morbus nonniſi conſeneſcentes deſerit*, bilioſis hypochondriacis tantummodò convenit; qui nempe ſat frequenter ad uſque quandam ætatem, fervidioris bilis dominatui obnoxiam, graciles ſervantur, atque ſtrigoſi: Poſteà ad maturiores annos refrixâ bile pinguiores fiunt, & craſſi, firmiorique valetudine utuntur: Dum ex adverſo qui pituitoſâ, ſeu acidâ Hypochondriacâ paſſione torquentur, quò ſeneſcunt, eò latiùs morbo viſcera, & artus devaſtante, ſuccretiſque vagis, aut fixis defluxionibus, ac catarrhorum depluviis, in deteriùs ruunt, graviúſque afflictantur.

Hiſtoria Calidæ, & Peracutæ Hepatitidis. Ex Hippocrate, Eſtque Ægrotus VIII. Lib. III. morbor. vulgar.

ADoleſcentem illum, qui decumbebat in foro Mendacium, vehemens febris corripuit, ex laſſitudinibus, & laboribus, & curſibus inſolitis: Primâ, alvus turbata eſt bilioſis, tenuibus, multis: Urinæ tenues, ſubnigræ; non dormivit, ſiticuloſus fuit. Secundâ, omnia exacerbata ſunt, dejectiones plures, intempeſtiviores; non dormivit, mente turbatus

fuit; & leni ſudore perfuſus. Tertiam difficulter tulit, ſiticuloſus, anxius: Multum ſe jactavit, & perplexus erat, deliravit. extrema livida, & frigida. *hypochondrii contentio ſubmollis utrinque.* Quartâ non dormivit, pejus ſe habuit. Septimâ mortuus eſt: Circiter vigeſimum ætatis annum agebat. Acutum. Hucuſque Hippocrates. Valleſius *in Commentario* licèt hunc morbum à *bile vehementer agitata, & malignè putreſcente* conſultò deducat; tamen non adfuiſſe ſolùm calidam hepatitidem, ſeu bilioſam hepatis inflammationem, ſed inſuper lienis inflammatorium quoque conſenſum, ab illo, *Hypochondrii contentio ſubmollis utrinque*, non inconſultò dijudicat.

DE ERYSIPELATE HEPATIS

Canones Practici.

Eryſipelas hepatis ab ejuſdem phlegmone per plurima, à cauſſa, ſymptomatū, & eventus diſſimilitudine repetenda argumenta diſtinguitur.

I. DIfferre Eryſipelas Hepatis ab ejuſdem viſceris phlegmone, cùm per ſymptomata, tùm per foventem, & conjunctam cauſſam, ſuperiùs in Phlegmonis diſquiſitione, Can. V. ſatis attulimus. Reverà ſymptomata, Hepaticum eryſipelas comitari ſolita, flammeam illam morbi habitudinem manifeſtè declarant, quæ à Galeno ſ. de loc. affect. cap. 7. accenſetur, atque inſuper de vict. rat. in morb. acut. comm. 4. confirmatur. *Flammantes morbi ſunt eryſipelas, Herpetes, & Carbunculi*, atque in iſagog. 48. *eryſipelas, ideſt ignis ſacer, eſt rubedo cum ignita inflammatione*; aliiſque locis idem ab eodem adducitur. Cauſſam itaque eryſipelatis in genere non quidem ſanguinem, ſed bilem eſſe eò magis ſuademur, quò cruor in tantum induci incendium non poſſe videtur: Cùm in ſanguine deliteſcant partes, in exquiſitam effervescentiam, ac diſploſionem minùs ductiles; quæ nempè implicari facilè poſſunt, & ab indita retardatione otioſè concreſcere. At bilis aliquando ſoluta,

ſoluta, ſimulque excandeſacta, quolibet efferatiori modo rareſcere, atque diſplodi apta ſit, initoque orgaſmo, ſimul aliquam determinatam partem invadere, accendere, atque in eryſipelatoſam affectionem projicere, ſimulque in irrequietiſſimo ipſa motu, ſive orgaſmo ſervari. Quippe, annotante Dureto, *cauſam habet eryſipelas bilioſi humoris orgaſmum, vel expreſſionem;* atque eryſipelas Galenus *à tenui bilis fluxione*, quæ quidem ab orgaſmo non diſpar eſt, perpetuò deducit. Hinc quemadmodum eryſipelas laxior morbus, & diffuſior extat, Phlegmon verò conſtrictior morbus, quoniam accenſa bilis moræ, & limitatæ congeſtionis impatiens, totam, quod adorta eſt, viſceris ſubſtantiam occupat, & quamlibet inſuper corporis partem facillimè, citiſſiméque occupare poteſt; ita nec tantum, ac Phlegmone tumorem, nec reſiſtentiam tantam, nec pulſationem efficit, ſed majorem quidem calorem, ut annotat Duretus in Coacis: *Eſt eryſipelas tumor citrinus, & fugax dum premitur digitis, cujus moleſtia major eſt in calore, quàm in renixu, & pulſu.* Atque Galenus de art. Curat. ad Glauc. lib. 2. cap. 1. *Eryſipelas eſt multo inflammatione calidior magiſque colorem flavum repræſentans* [loquitur hîc de externo eryſipelate, quod interno conciliandum eſt] & ſi *tetigeris, facilè ſanguis ſubterfugit, rurſuſque illabitur, exquiſitè tenuis* (tenuior ſiquidem, quàm in Phlegmone, ab immixta ſubtiliſſima, rareſcenti, & irrequieta bile redditus) *& aſpectu rubidus; Non tamen dolet hoc veluti inflammatio: neque, ut aliqua inflammationis ſpecies, pulſum, aut compreſſionem, aut tenſionem invehit ſimilem.* Tum in lib. Hipp. de offic. med. comment. 3. *Eryſipelas perpetuò quidem inflammatum eſt, non tamen perpetuò tumet.* Hinc ob mobilem efficientis ſucci habitudinem longè ſuprà Phlegmonem celeriùs, plerumque eryſipelas judicatur.

Cauſſa in genere Eryſipelatis, ejuſq; inlegitimum, ex.

II. Cauſam igitur eryſipelatis ab ipſa recrementitia bile, in orgaſmum, & accenſionem evecta, tutò Galenus pluribus in locis deducit, ita 14. meth. med. cap. 1. ait: *Eryſipelas*

& ſpurium, ſeu ſincerum, & mixtum, atque hinc in ulceratũ, & non ulceratum differentiæ: tum utriuſque indoles, ſymptomata, & eventus.

ex blioſo ſucco naſcitur. de ſympt. cauſſ. lib. 3. Cap. 2. *Amara quidem bilis cum in toto corpore redundat regius vocatur morbus; cum unam quampiam particulam obſidet eryſipelata, & ulcerum ſerpentia.* 3. de differ. febr. 32. *Cum fluxio fuerit exquiſitè birioſa, calor eryſipelatoſus partem occupat.* Reverà ubique locorum *bilioſam eſſe eryſipelas fluxionem, ſeu bilioſæ fluxionis germen*, toto jure deprædicat. Foreſtus pag. 145. in ſcholiis hæc habet: *Eryſipelas, & Herpes à fluxione bilioſa quidem originem habent, ſed diverſo modo. Fluxio enim bilioſa in aliquam partem ſi decumbat; idque ab exquiſita bile profecta exulcerat: ſi verò ſanies aquoſas; vel etiam ſanguinem habeat, minùs eſt acris, ſed particulam magis in tumorem attollet, quàm exulceret. Hoc igitur eryſipelas nominatur, alterum verò herpes.* Reverà hic author, à Galeni præceptis edoctus, duplex tradidit eryſipelatis genus conſiderandum, quod quidem in ipſo fonte videamus. Galenus itaque in 14. method. med. cap. 2. *Cùm ergo nec plenè bilioſa, nec ſanguinea fluxio eſt, ſed ex ambabus mixta, utique ab eo, quod in miſtura exuperat, nomen ipſi indatur, ac dicatur de eo id, quod exuperatur; ſic ut vel phlegmonem eryſipelatoſum id vocemus, vel eryſipelas phlegmonoſum. Vbi autem neutrum vincit, ibi vitium phlegmones, eryſipelatoſque medium nominetur.* Ex his quidem prodiit diſtinctio eryſipelatis in ulceratum, & non ulceratum. Primum nempe, ſeu legitimum, & purum, à ſincera bilis enormiter excandefactæ, liberéque adurentis, fluxione ortum ducens: alterum, ſeu ſpurium à bile, aliorum lentiorum humorum connubiis caſtigatâ, moderatâque: Hinc primum cum cita eroſione plerumque, exardentiſſimam febrem cum immani fervore, aliiſque ſeris ſymptomatibus, atque peracutum, deterioremque morbum producit, intereà breviorem, qui ſæpè ad quartam, ſaltem ante ſeptimam, judicatur: neque ingentem tumorem, ſed planum duntaxat, atque in omnibus viſceris partibus æqualem, non verò inæqualem, aut faſtigiatum, neque idcircò abſceſſum procreat; bilis enim in perniciſſimum motum & orgaſmum concitata,

concitata, affectam partem indurare non poteſt, ſed ſolùm, annotante Galeno, in marcorem interdum inducere: Alterius verò ingenii Eryſipelas tumorem majorem elevans, minùs acutam febrem devehens, longioremque morbum, mitioribus quidem phænomenis ſtipatum, ſed non ita facilè judicandum producens, non valdè ſupra Phlegmonis naturam attollitur: Cui idcircò, non benè judicato, non ſolùm abſceſſus interdum ſupervenit, ſed quandoque putredo, juxta Aphor. XX. Sect. VII. *Ab eryſipelate putredo, aut ſuppuratio* (quas quidem maligno eryſipelati contingere commentatur Galenus); tum ab eodem interdum, ſi fuerit præcipuè incautis remediis immodicè refrigeratum, linquitur ſcirrhus: ut ex Gal. 7. de compoſ. med. per gen. cap. 9.

Occurrunt in hepate Eryſipelata, tum ſincera, tum mixta, atque per propria phænomena ab aliis omnibus morbis, cùm ad authorum paginas, tum præcipuè ad ægrorum lectulos, ſatis discriminantur. Hinc caſtigatiſſima Hepatici velut epidemici, ſincerioris eryſipelatis hiſtoria exhibetur.

III. Ut modo hæc omnia, veluti ad inſtituti proluſionem diſcuſſa, intereà graviſſima, cum Hepatis eryſipelate conciliemus; id jam primùm annotandum eſt; productioni eryſipelatis, ut in aliis quibuslibet viſceribus, ita & in Hepate, nil certè officere; Cùm ipſa efferatæ bilis natura ad quaslibet excurſiones, ut ſuprà, aptiſſima ſit, atque ad illos omnes motus, ubique verſabilis, quibus eryſipelatoſa affectio efformatur; tum Scriptorum cujuslibet ſæculi innumeræ conſtanter obſervationes frequentem in Hepate hujus morbi geneſim abundè teſtentur. In primis verò in jecur irrumpere faciliùs poſſe eryſipelatoſam bilem, eis dubium eſſe non poſſet, qui probè callent, faciliùs in própriis, quàm peregrinis ſedibus, humorum malitias diſplodi, ſuaſque vires exerere. Undè quemadmodum Hippocrates Pulmonis eryſipelas II. libro de morbis deſcripſit, Galenus ejuſdem in hepate affectionis 5. de loc. affect. cap. 7. ſigna in genere protulit; ita nobis, aliiſque medentibus plurimis datum eſt, non ſolùm eryſipelatoſum hunc morbum, in Hepate ſignatim, non ſemel perſpicere; ſed utrumque eryſipelatis memoratum genus diſtinctè, faciléque in obviis caſibus recognoſcere. Enimverò, ut à Galeno citato loco propoſitum illud eryſipelas je-

coris, mixtum eſſe videtur, ſive phlegmonoſum eryſipelas, quod ideò à ſanguine ſimul cum bile accenſo progenitum, per ſolam aliquorum ſymptomatum acerbiorem indolem videtur à ſincero phlegmone differre: *Eryſipelatis autem accidentia* (ait enim Galenus poſtquàm hepatis Phlegmonis ſymptomata explicaverit) *his ferè ſimilia ſunt, & inſuper febris quoque cum vehementiſſima ſiti laborantes cruciat: eas enim febres quas cauſones, ideſt ardentes antiqui vocabant, magna ex parte advenire videmus jecoris, aut ventriculi flammeis diſpoſitionibus, atque in pulmonis inflammatione eryſipelatis participe ardentes febres excitantur: quemadmodum ubi in univerſo quoque corpore bilioſi humores ad immoderatum fervorem perveniunt. Verùm hæ, quæ aut jecoris, aut ventriculi occaſione eveniunt, omnium ſunt vehementiſſimæ*; ſic nobis non ejuſcemodi Hepatis tantummodò eryſipelata, ſed ſincera inſuper, atque exquiſita ad ægrorum lectulos luculenter animadvertere, & curare interdum contigit. Quippe in fervidis, aridiſque æſtatibus annor. 1711., & 1712. per Noſocomia militum, caſtrorum laboribus fatigatiſſimorum, exquiſitum hocce jecinoris eryſipelas ferè epidemicum extitit. Acutiſſimâ ſtatim obortâ febre, eâque totam cauſonum naturam æquante, videbatur ægris hypochondrium dextrum in ardente fornace geſtare, ac veluti flammâ ab eodem loco erumpente, indéque per totum corpus diffusâ, perennè, moleſtiſſiméque comburi. Clamosè ſitiebant cum aridiſſimis gingivis, & faucibus, quæ denuò, vix trajecto potu, deſiccabantur. Neque arida ſolùm lingua, ſed ſimul rigida, & nigra, quæ vix emollita, mundata, & abſterſa atrâ rurſùs fuligine obducebatur. Rubidus univerſi corporis color, ſed in accenſa facie quidpiam ſubflavum, rubori veluti circulum protendens obverſabatur: urinæ ardentes, & flammeæ: nulla quies, ſed aſſidua membrorum jactatio: enorme ad cibos omnes faſtidium: Interea vix tumor ad hepar deprehendebatur, vix tenſio: in aliquibus tamen macula quædam ſaturatè rubidior, flammeum calorem præ ſe ferens, totumque

tumque occupans dextrum Hypochondrium diſcernebatur. in omnibus vix tuſſis, tum non ingens ſpirandi anguſtia: vomitus quidem croceæ acerrimæ, & calidiſſimæ bilis, cum maxima ventriculi concuſſione ægros ferè perpetuò infeſtabat; qui certè fidus adeò exquiſitorum, majora viſcera occupantium, eryſipelatum comes eſſe videtur, ut ipſius pulmonis eryſipelatis non ſolùm inſigne, ſed & utile ſymptoma eſſe vomitum Hippocrates cit. lib. II. de morbis memoraverit: *Si oriatur in pulmone eryſipelas, tuſſis detinet, & ſputum multum ac liquidum expuit, velut ex gutture, quod cruentum non eſt: dolor dorſum, & inanes, ac molles laterum partes occupat, viſcera ſtrepitum edunt, pituitam acidam vomit, dentes obſtupeſcunt, febris, rigor, ac ſitis corripit, cùm quid comederit, in viſceribus ſtrepitus editur, acidum eructat, venter ſtridet, & corpus torpeſcit. Cùm vomuerit meliùs habere videtur; ubi verò minimè vomuerit, decedente die tormina, & dolor in ventre ſuboriuntur, & liquidum ſtercus demittitur.* Atque ut ad ægrotantes noſtros redeamus; iis, qui ad ſalutem vergebant, tertiâ jam die morbus, & accidentia minuebantur, hinc quartâ evaneſcebant ſine ulla manifeſta criſi. Cæteri ante tertiam nec febre, nec affectione viſceris, nec alio quolibet miteſcente, ſubitâ corripiebantur phrenitide, rigidique, & exſiccati quartâ vel quintâ die moriebantur. In aliquibus, judicatâ, cum febre, & accidentibus, eryſipelatoſâ affectione, ſupererant lancinantes dolores, hepatis regionem per aliquot adhuc dies infeſtantes, qui poſtea turbatâ à bilioſis, mucoſis, aliiſque anomalis liquidis alvo, & ſuccreſcente teneſmo, feliciter diſſipabantur. Hi certè de inductis levioribus, atque ſuperficialibus, ut dicitur, ab exquiſito eryſipelate ſuper hepatis viſcus exulcerationibus, aut puſtulis, deturbato per ſedes erodente, aut collecto liquore, tandem incruſtatis, exſiccatis, atque coalitis, ſuſpicionem non modicam incutiebant. Ita in denatis ab hoc morbo hepar aut ſummè exuccum, aut ulceroſum deprehendebamus. De cætero in eryſipelate Hepatis dolor non gravativus,

tivus, neque tenſivus percipitur, ut in phlegmone; ſed acutiſſimus, & veluti ardenter perterebrans; tum febris, quæ jecoris eryſipelati ſe comitem præbet, illa reverà eſt, quæ ab antiquis typhodes dicitur. Vid. Reies, Bonetum, alioſque.

Vlteriora ex Galeno argumenta, Eryſipelas Hepatis ab ejuſdem Phlegmone dirimentia.

IV. Ex his tum utriuſque hepatici eryſipelatis inter ſe, tum ejuſdem in genere à legitima Phlegmone differentiæ elici abundè poterunt: Quas quidem poſtremas Galenus, poſtquàm memorato Loco ſect. 5. de loc. aff. cap. 7. attulerit, denuò inculcare videtur in 14. meth. med. cap. 1. per diſſimilem in utroque morbo coloris, & in primis pulſationis rationem. Quandoquidem, eodem dictante, moleſta in affecta parte pulſatio phlegmones proprium eſt ſymptoma, quippe quæ altè magis in obſeſſam partem demittitur, hinc magnum tumorem attollit: Eryſipelas verò potiùs ſuperficie tenus conſiſtere, quàm profundiùs deſcendere videtur, ut ſolidam valdè congeſtionem apparare non queat: neque tenuis, & fugax bilioſa ſubſtantia tantum expandit tumorem, neque arteriis in locum affectus appellentibus hæc adeò renititur, ut eaſdem in morboſos nixus ad latera, ſive in ſenſibiles pulſationes ciere valeat.

A bile etiam enaſcuntur variæ ad cutem eruptiones, quæ quidem veluti minutula, & disgregata ſunt eryſipelata.

V. Intereà non ſolùm Eryſipelas in cute, aut in hepate, aut in alio quolibet viſcere excitum, è proximo excandefactæ bilis errore ortum ducit, ſed alii plurimi cutanei morbi, ſolitarii, aut cum aliis viſcerum morbis complicati, qui certè veluti totidem minutula, ſeu ſub minimâ mole collecta, atque invicem disgregata eryſipelata ſunt. Et primò Galenus ab eryſipelate nullibi herpetem diſtinguit, cùm omnes ejus ſpecies variè delinquentis bilis germina eſſe demonſtret. Ita 2. de art. curat. ad Glauc. cap. 1. *Flava bilis quandò ſui ſervans naturam unà cum ſanguine per totum corpus defertur, morbum facit, qui icteros ideſt regius, appellatur; ſola verò quando ſecreta eſt, & in aliquo membro conſiſtit, Herpes vocatur. Siquidem*

craſſa ſit ſecundùm ſubſtantiam, totam exulcerat cutem uſque ad carnem ſuppoſitam: atque hunc affectum Hippocrates nominat Herpetem exedentem. Si verò tenuior fuerit, id, quod in ſuperficie eſt, tantum veluti deurit: atque hæc ſpecies generis ſortitur appellationem, cùm ſimpliciter, & ſine additione Herpes vocetur. Nam ex duabus aliis ſpeciebus, quæ quidem nuper dicta eſt, Herpes exedens nominatur: reliqua verò altera, miliaris, quum in hoc affectu puſtulæ parvæ, ac multæ per ſummam cutem ſimiles miliis excitantur: fit autem Herpes hujuſmodi ex bile quidem & ipſe, ſed minùs calidâ, & acri, quàm ſint priores. Ita idem de different. febr. cap. 5. affert: *Correſpondent herpetibus, & eryſipelatibus, quæ ex flava bile conſiſtunt, cancri & phagedænæ.* lib. de tumoribus & alibi, torrefactæ, piceæque bili, ſeu atræ redditæ anthracis ortum conciliat. Antiquis ignis vocabulum calidioribus morbis, ab accenſa bile ortis, committere pathologicè placuit. Ita quemadmodùm Hippocrates ardentem à bile febrem, ſeu cauſum, in *Epidemiis*, in lib. *de Glandulis*, de *Morbis*, aliiſque locis ignem vocitavit; ita ignis ab aliis eryſipelas in genere nominatum eſt, atque ſi latum & ſerpens, ignis ſacer, & vulgò etiam ignis Sancti Antonii ſpeciatim dictum. Herpes ferus, ab aliis Zona, à plurimis verò ignis Perſicus nuncupatur: impetigo volaticus ignis, volagrius, aut ſylvaticus plurimis audit. In ſimilem cenſum revocari poſſunt aliæ plurimæ ad cutem calidæ, aut minùs calidæ, mordaces, aut minùs mordaces, latiores, aut anguſtiores, planæ, aut papulares eruptiones; nempè epinyctides, phlyctænes, eſſeræ, Pſydraces, Acrochordones, furunculi, maculæ hepaticæ, tum fixæ, tum volaticæ, & recurrentes; ichoreſcentiam, ut dicitur, ſanguinis, & bilis omnes indicantes, aliæque ſimiles ſummam cutem interdum fœdantes, quæ aut à bilis errore, aut non ſine bilis errore procreantur, ut à facili earum, poſt bilis emendationem, atque inſtitutam à toto corpore excretionem, ſolutione, compertum medenti cuilibet eſſe poteſt;

præcipuè autem ab ichoribus, qui ab iiſdem exprimuntur. Quippe ut illud omne quod ex productis ab eryſipelate ulceribus, aut puſtulis efflorefcit, atque exſtillat, flavum, & accerrimè bilioſum deprehenditur, totam ſiquidem efficientis, conjunctæque cauſæ naturam redolens; ita & eandem indolem participat liquidum quodlibet à memoratis cutaneis eruptionibus exudans. Huc quoque referendæ forent biliares illæ veluti eryſipelatoſæ, miliares efflorefcentię, in infantibus ſæpè contingere ſolitæ, à quarum redundantia interna, priùs affligtantia tormina ſublevantur, vigiliæ leniuntur, & flavo-virideſcentes acriores alvi dejectiones miteſcunt; quæ tamen ſymptomata, evaneſcente cutaneâ eruptione, recrudeſcere ſolent. Hujuſmodi morbi meminit pariter Iunkenius Chym. med. Phyſ. part. II. ſect. 2. cap. 2.

Videtur Hippocrates cutaneas quaſdam eruptiones à primitivo bilis errore deducere.

VI. Neque cutaneos ſolùm hujuſmodi affectus, ſed alios inſuper, & prętipuè ulceroſos contumaces, cum viſcerum complicato affectu à primitivo bilis errore Hippocrates deduxiſſe videtur. *Quibus magnus eſt lien, ſiquidem bilioſi ſunt, fœdati multum apparent, ulceribusque obſiti, quæ difficulter ſanantur. Tum illis ab ore fœdus eſt odor, atque macreſcunt. Lien verò durus percipitur, manetque ſui ſimilis in magnitudine. Sin autem pituitoſi ſunt lienoſi, nec cibos dejiciunt, multò minora ſunt iis prædicta incommoda, tum lien aliàs, atque aliàs major, aut minor eſt.*

Numquid in primo hujus Textus membro Hippocrates modernorum ſcorbutum calidum, ſeu ut dicit VVilliſius, à ſulphureo-ſalino principio exortum, ut in altero ſcorbutum frigidum, ſeu ſalino-ſulphureum, indigitat, atq; potiſſimas ejuſdem, & conſectantium cutis vitiorum cauſſas à bilis malitia proponit? Sed præclariùs adhuc Senex morbum hunc, recentiorem creditum deſcribit lib. de inter. affect. ſect. V. ex collectione Foeſii, folioque mihi 549. tum ſub nomine ſanguinei convolvuli eodem tractatu fol. 557., ut pariter in prędict. lib. 2. ſect. 2. fol. 111.

VII. Redeo

Prognoſis hepatici Eryſipelatis , ſecundùm circumſtantias varias magis, aut minùs gravis.

VII. Redeo ad Hepaticum eryſipelas , cujus prognoſis, præterquàm quòd ex vehementiſſima ipſa natura morbi, arduâ plurimùm, graviſſimique diſcriminis plenâ, deducenda eſt; ab Hippocrate in quibuſdam circumſtantiis peſſima , aut lethalis prædicitur : *Eryſipelas foris quidem extare utile , intrò autem vergere lethale ; cujus quidem rei indicium eſt cùm rubore evaneſcente pectus gravatur , & ægriùs ſpiritum trahit æger*, in Coac. prænot. Hæc repetit in 1. de Morbis ſect. 5. & Aphor. 25. Sect. VI. in hoc enim monito docere Hippocrates tria videtur : Primum , interna eryſipelata , quæ ſcilicèt viſcera obſident , externis , ſive in cute ſerpentibus, deteriora eſſe. In quo ſenſu Aphoriſmus citatus intelligendus eſt; *Eryſipelas intrò converti malum*: Secundum , tranſitus , ſeu propriè palindromes eryſipelatis ab externa ſive cutanea parte ad internam v. g. à facie ad cerebrum , à brachio , aut thoracis exterioribus ad pulmonem ; à lumbis , femoribus , cruribus, pedibus ad hepar , aut alia abdominis viſcera , tum præcipuè à faucibus ad laryngem , ut contingere in praxi frequenter videmus, lethales prorſùs eſſe : quod quidem ſignificat Coacarum textus *intrò vergere* , non malum, ſed *lethale.* Tertium tandem tutum proximæ mortis indicium eſſe difficilem indè ſuccedentem reſpirationem , ſive dyſpnœam , cui quidem citò orthopnœa , & crudeliſſimus ſtrangulatus ſuccedit. Cæterùm ſyllogiſticum lethalis hepatici eryſipelatis argumentum eſt; externa perfrigerari interno ardore ſuperſtite ; veluti in lipyriis febribus accidit , aut aliis , quæ ab internis lethiferis inflammationibus originem deducunt.

Curatio Eryſipelatis, præcipuè in linea purgantium.

VIII. Curatio Hepatici Eryſipelatis , præcipuè mixti, ſeu phlegmonoſi , licèt quò ad phlebotomiæ , aliorumque præſidiorum rationem curationi phlegmonis , ut ſuo loco attulimus , ſimilis eſſe poſſe videatur. Quędam intereà circa catharſeos , & frigidę potationem, ab Hippocrate , & Galeno hìc annotare operæ pretium arbitramur. & primò quod purgationem ſpectat ; hâc nos in eryſipelate in genere, quàm in phleg-

phlegmone minùs ſcrupulosè uti poſſe, ipſe Hippocrates author eſt, qui in pulmonis eryſipelate ſuper alia quælibet remedia, nullâque expectatâ coctione morbi, purgandum jubet: *Huic medicamentum deorſum purgans propinato, poſteaque lac aſininum bibat, niſi naturâ lienoſus fuerit: quod ſi ſit; nec ſuccis, neque lacte, neque ſero purgato, ſed eo, quod paucâ quantitate ſumptum plurimum foras educat . . . . ſed ſi juvenem aliquem citiùs à morbo liberare voles, poſt purgationem ei pectus, & dorſum inurito:* Ita Galenus in Claſſ. 7. lib. de ocul. cap. 2. in eryſipelate à cauſa intrinſeca primò propinat Pharmacum rubram choleram purgans, deindè, ſi opportunum eſt, utitur phlebotomiâ, poſteà medicinâ infrigidante, & humectante: calore tranſacto ad diſſolutiva confugit: Ita ſe gerit in oculorum eryſipelacea inflammatione, primò catharticum exhibens, indè ſanguinem mittens. Ita in dynamid. ſp. 20. aliiſque omnibus locis pro eryſipelatis curatione liberè ad chologoga veluti ad ſacram anchoram confugit. Et ſanè cùm bilis in eryſipelate, pręcipuè exquiſito, in affecta parte, totoque in ſanguine, turgeat; niſi jam imminentem propè ad nobilius aliquod viſcus minitetur irruptionem, atque decubitum, quod quidem per detractionem ſanguinis diverti opportunè queat, quidnam ipſam bilis catharticam è corpore expeditam ejectionem, prohibere poſſet? Ita nos tum externa, tum interna eryſipelata per cholagogam inter ipſa initia generosè ſuſceptam purgationem, vel vehementiſſimis vigentibus ſymptomatibus & febre, citò expugnata, ſæpenumerò in praxi comperimus.

Vſus frigidæ in eryſipelate qualis eſſe debeat.

I X. Quod attinet ad uſum frigidę in ſinceriori eryſipelate; cùm jam Hippocrates de febribus à bile ſermonem inſtituens addiderit lib. 2. de morbis: *Alterâ autem die, quâ febris detinet aquam frigidam quantum bibere volet dabis:* Et paulò inferiùs agens de febre, quę neque noctu, neque interdiu remittat, cum forti æſtuatione, alvo per leve infuſum ſublutâ, & ptiſanæ ſucco bis die frigido ad ſorbendum dato,

reliquo

reliquo tempore aquam frigidiſſimam bibendam præceperit: Galenus IX. method. med. cap. V. in hoc morbo, qui bilis germen exquiſitum eſt, frigidæ hujuſmodi liberalem epotationem proponit, atque commendat: *Porrò eryſipelas, quod verum eryſipelas ſit, non aliter ſanaveris* (nempe per copioſam frigidæ potionem) *at ſi miſtum cum phlegmone ſit, in hoc concoctionis expectandæ ſunt notæ.* Sed cùm X. de ſimpl. med. facult. fol. 75. hæc habeat: *Sanè ea eryſipelata, quæ ignea etiamnum ſunt, & reverà eryſipelata, calidorum, & acrium medicamentorum omninò nullum juvare poteſt: Quæ verò per refrigerantia refrixere, tum hoc, tum alia multa medicamina digerentia adjuvare valent,* Intelligere videtur, frigidioris aquæ potum in eryſipelatis principio, & augmento, cùm nempè maximè viget ejuſdem fervor, uſurpandum eſſe; non verò cùm mitigari jam cœpit. Et ſanè ſi quis alius morbus, certè eryſipelas eodem morbi ſtadio ſe ſe ſibi diſſimilem præbet; cum imminuto plerumque fervore, tenuique efferveſcente bile difflatâ, hærentes varii in affecta parte ſuperſint ſucci, qui diſpares, imò & interdum primo morbi genio oppoſitos, curationis ſcopos aperiunt. Sed primâ eryſipelatis æſtuatione diſſipatâ, aut valdè ſaltem imminutâ, eryſipelas non ampliùs eſſe, idem Galenus VII. de ſimpl. medic. facult. fol. 52. denunciat: *& ſanè ſcribunt, incipientibus quidem etiamnum, atque gliſcentibus, creſcentibuſque eryſipelatis alia medicamenta, declinantibus verò, ac flacceſcentibus alia. Neque enim eryſipelas etiam vocari debet, poſteaquàm inflammatio ejus, & fervor, ac bilioſum illud abierint.* Omiſſâ igitur, quæ à declinatione eryſipelatis elici poſſit, agendi ratione, videndum erit, eodem dictante Galeno, in hujuſce morbi principio, num refrigerationis indicatio vincat vacuationis indicationem, aut ex adverſo, aut æquales invicem indicationes ſint. Hanc cæterùm vacuationem idem Interpretum Hippocratis Anteſignanus XIII. method. med. Cap. VIII. ſanguinis eſſe miſſionem intelligit: *Phlegmone cum duplici ratione à natura receſſit, & quia pars ipſa multo ſanguine*

ſit referta , & quia eadem ſit calidior , utique vacuationis indicatio refrigerationis indicationem vincit : Contrà ſcilicet quàm in eryſipelate , in illo namque refrigerationis indicatio magis urget , quàm vacuationis. Quamquàm utriusque affectus curandi commune caput eſt infeſtantis humoris vacuatio (intellige igitur vacuationem ſanguinis per phlebotomiam in Phlegmone, bilis verò per catharſim in exquiſito eryſipelate) *ideóque poſtquàm refrigeratum eryſipelas eſt , ad ea quæ digerunt medicamenta convertimur.* Porrò in cit. XIV. meth. med. cap. 3. per digerentia etiam vacuantia, tum pro vacuantibus, ipſa bilem purgantia non phlebotomiam intelligere teſtatur : *Pro ſanguinis miſſione , medicamento quod bilem trahat , purgantes.* Neque hîc refert , Galenum cit. loco de externo eryſipelate loqui, cùm res quo ad agendi normam tum in externo tum in interno hocce morbo eódem recidat. De topicorum ratione in Hepatis eryſipelate ſuperiùs ad curationem Phlegmonis loquuti fuimus. Atque hæc de eryſipelate ſuffectura putabo , poſteaquàm ad argumenti coronidem exemplum unum , aut alterum Hepatici eryſipelatis obiter ſubtexuero: Hiſtoria prima. Mulier ætate non provectâ aliquam ex animi pathemate uterinam ſtrangulationem paſſa, Catameniis totâ hyeme deficiebat. Vere anni 1714. ſubito hepatis eryſipelate corripitur, ut ex ſignorum ſyndrome liquidò patuit. Dum omnia ad tertiam diem cum proximæ necis diſcrimine recrudeſcunt , tota ſubitò facies guttâ roſaceâ cum incredibili tamen fervore , pruritu, nec intereà ſine ingenti tumore , ſeu veluti dolorifico rubenti tubere ſuffunditur : atque abſque alia evacuatione hepatis morbus , & ardentiſſima febris ad quartam judicantur, ſuperſtite uſque ad decimam quintam diem deleto tumore rubidâ faciei maculâ ; ſed ægrâ intereà optimè revaleſcente : Undè confirmata aphoriſmi bonitas : *Eryſipelas ab interioribus verti ad exteriora , bonum.* Hiſtoria Secunda. Non ita pridem vir 30. annos natus , gracilis , pichrocolus , & iracundus vagâ arthritide per tres hebdomadas conflictabatur , cum continenti febre.

febre. Icterus poſteà erumpebat, à cujus affectus novitate febris, & artuum dolores miteſcere viſi ſunt. Croceam tamen bilem interdum cum magno ventriculi ardore vomebat. Tandem flammeâ hepatis habitudine cum cauſone correptus, quartâ ab hac poſtrema invaſione die veluti combuſtus fato cedebat. In aperto cadavere durum, exſuccum, ſimulque ulceroſum hepar deprehendebatur. Quadrat ad hunc caſum illud Hipp. *febricitanti, & bilioſo, ſi bilis ſuo tempore extrà diſperſa fuerit bono eſt: ſub cutem verò effuſa ac diſperſa ægroto toleratu facilior, & medico curatu promptior; effuſa autem, ac diſſipata, & in unam aliquam corporis partem incumbens, malo eſt.*

HISTORIA HEPATICÆ PHLEGMONIS, non ſuppuratæ, citiúſque idcircò lethalis: ſeu Obſervatio LXIX. Caroli Piſonis Lib. *De Morbis à ſeroſa colluvie ortis. Quæ quidem ad calcem diſputationis illius morbi apponenda, omiſſa caſu cùm fuerit, hîc ſaltem memoratur.*

ILluſtris Baro Ferdinandus ab Honauſem, cùm inflammatorio Hepatis affectu, febreque continuâ, tertiùm & intra annum recrudeſcente, teneretur, toto morbi decurſu aqueabilioſa profuſè reddidit. In cadavere autem ejus, inter alia Cacopragiæ viſcerum indicia, jecur immani tumore extuberans repertum, cujus ſuperficies quidem tota duos circiter transverſos digitos vieta prorsùs, flaccidaque, & mollis prementi manui apparuit, interiùs autem corpus ligni inſtar edurum, & retorridum prorsùs. Hæc Piſo. Reverà Hepaticæ Phlegmones, quæ in abſceſſum non deſinunt, citiúſque idcircò lethales ſunt, fracto viſceris tono nexuque, aut ſiccatâ ejuſdem ſubſtantiâ, & ferè combuſtâ, vel utrâque impreſſione diverſis ejus partibus inflictâ, hæc, quæ Piſo de-

 ſcripſerat,

ſcripſerat, in hujuſmodi morbo denatis videnda, ut plurimùm, relinquunt: Ut nobis pariter animadvertere aliquando contigit.

DOLOR HEPATIS

Spaſmoticus, Arthriticus & Flatuoſus.

Canones Practici.

Dolor Hepatis quando veluti primigenius hujus viſceris morbus conſiderandus veniat; Atque ejuſdem ſpecies.

I. TAmetſi unanimi medentium conſenſu dolor morbus non ſit, ſed morborum ſymptoma, quâ etiam ratione eumdem hucuſque conſideravimus, tum in biliari pleuritide, tum præcipuè in ſpecialibus jecoris doloribus, qui hujus viſceris Phlegmonem, abſceſſum, Ulcus, Eryſipelas, atque hepatitidem ſub diverſâ indole, diverſoque gradu ſectantur; cùm verò veluti diſtinctus ab aliis, & tanquam ſolitarius, imò primigenius perſpici morbus queat, ſi eo modo invaſerit, ut neque præviam in viſcere ſenſibilem affectionem habuerit, neque poſt ſe relinquat; In hac conditione de dolore Hepatis, tanquam de peculiari, abſtractoque ab aliis affectu, nonnullam hîc habere mentionem inſtituimus. Dolor itaque hujus partis in hâc lineâ conſideratus, vel eſt ſpaſmoticus, vel arthriticus, vel tandem flatuoſus.

Dolor Hepatis Spaſmoticus: ejus progreſſus; conſenſus cum aliis partibus; ſymptomata; ſuccreſcentes

II. Hepar ſpaſmotico dolore affici, ut cæteræ omnes hominis partes, poteſt; cùm ipſi non deſint inſignes nervorum diſtributiones, plexus, atque faſciculi; veluti in anatomica ejuſdem deſcriptione oſtendimus. Hinc non ſolùm lacinantes, ut dicitur, dolores homines ſæpè varios, præcipuè hypochondriacos, aut pichrocolos, cæterùm ſtantes, aut ambulantes, nervoſis hepatis plexibus inflicti, cum nullâ præviâ

prævià, aut ſuperſtite hepatis ſyſtrophicâ affectione ſubitò prehendunt, ſubitóque remittuntur, atque evaneſcunt; ſed ulteriùs cum improvisâ pectoris anguſtiâ, & violentâ vocis, ſive acutâ expreſſione hepar intrò ſursùm iiſdem convelli videtur; Juxta illud Hippocratis in Coacis: *Quibus acuta vox, hypochondria intrò ſursùm iis revulſa ſunt.* Fortè etiam ſpaſmodem hepatis intellexit Hippocrates, cùm poſuit 6.Epidem. *Eum, cui apex hepatis complicatus erat, concuſſi; repentè dolor ceſſavit.* Fortè inſuper referri poteſt ad dolorem hepatis ſpaſmoticum Aphor. LIV. Sect. VII. *Quicunque hepar circumdolent, his febris ſuperveniens ſolvit dolorem.* Quippe convulſionibus ſupervenientem febrem remedio eſſe declarat Aphor. XXVI. ſect. II. *Febrem convulſioni ſupervenire meliùs eſt, quàm febri convulſionem.* Deſignat ex Hippocratis ſenſu Duretus in Coac. fol. mihi 329. ſpaſmoticos hepatis dolores ſub illo Hippocratico textu: *Qui velut quibusdam uncis inſtar ejuſdem retis piſcarii Hypochondria circumplectendo, ipſa quodammodò laniare videntur.* Cùm autem ſpaſmotica hepatici nervoſi plexus affectio meſentericos pariter plexus, continuitatis ratione, plerumque in conſenſus ducat, atque etiam nervoſos aliarum partium funes in ſimilia contractionum fœdera cieat, non ideò ſpaſmotica hepatis affectio ſine vehementibus lumborum, & ilium paſſionibus accedit, atque ex fœderatis ejuſcemodi convulſionibus, ac torminibus, ſi diutiùs vigeant, ſiccus hydrops non rarò producitur ex Hippocrate. Hypochondriacarum hujuſcemodi, atque lumbarium contractionum, eorumque per nervorum tractus ad alias partes propagationum meminit Duretus in Coac. fol. ſuperiùs adducto: *Hujuſmodi ſunt etiam diuturni circa lumbos, & ilia, qui ad hypochondria prorepunt dolores. Eſt enim feritas magna illius excurſus, qui prorepit è lumbis, ac ſuorum incommodorum vim magnam oſtendit quócumque appulerit ad cerebrum, ad cor, ad ſtomachum, ad ſeptum tranſverſum.* Qui quidem Convulſionum *excurſus*, atque concurſus à lumbis ad memorata, aliaque viſcera perbellè ex- *Interdum morbi; & curatio.*

plicantur per tot coagmentationes, & nexus octavi, & intercoſtalis paris, in creberrimos tum ganglioformes, tum reticulares plexus per ſingula viſcera diſtributos; quorum quidem omnium meſentericus plexus ſi centrum non eſt, atque veluti omnium baſis, non ſine tamen proximo omnium concurſu videtur concinnari. Sed hæc in Anatomicis videbimus: Spaſmodici hepatis doloris, undè Epilepſiæ origo fuit, caſum quendam producit Greulichius diſſertatione de Bile: *In hepatis regione Monialis 25. annor. circiter monſtrabat quantum apice digiti tangebat, ſibi prævium dolorem inferre, & hinc paroxiſmum* [Epilepticum] *quem in lecto ſedens brachiorum agitatione, & gemituoſis expirationibus diſcutere ſolebat.* Pro ſpaſmo hepatico mirificè conferunt Tinctura florum bellidis, & hipericonis; Tinctura anodina noſtra; Pilulæ ex ſpecifico ſtomachico, ſaccharo Saturni, balſamoque ſulphur. terebinthinato, anizato, aut etiam ſuccinato confectæ; eſſentia aniſorum; ſpiritus ſtomachicus Patris Fardellæ; aliaque ſimilia: Fotus præcipuè emollientes, tepidaque balnea; Atque acidularum, & martialium aquarum uſus.

Arthriticus Iecoris Dolor: Quos præcipuè corripiat: Quomodo à ſpaſmotico diſcriminetur: Ejus accurata deſcriptio: & curatio.

III. Arthriticus interdum dolor, magis, minúſve diuturnus, atque inſuper periodicus, hominum, externæ, ſeu communi Arthritidi obnoxiorum hepar interdum infeſtat, & torquet. Qui certè à ſpaſmotico diſcriminatur, cùm minùs quidem acerbus ſit, ſed non tam fugax, & vagus, neque tantam ſpirandi anguſtiam inducat, neque tactui tam ſenſilis; præcipuè verò in iis contingat, qui alia arthritici dominatus morbi per artus, & viſcera præbere ſolent indicia. Hic autem dolor ab accuratiſſimo Guilielmo Muſgrave nobiliſſimæ ſocietatis Anglicæ ſocio, diſſertatione *de anomala Arthritide, ſive interna*, præcipuè in ejuſdem præfatione, opportunè memoratur, atque ab expertiſſimorum antiquorum codicibus confirmatur; Ut ejus hîc verba referre opportunum exiſtimem: „Paulus etiam Ægi„neta nonnullorum meminit, qui aures, dentes, guttur, & „nonnunquam *Jecur* Lienemque arthriticis doloribus confli-

ctari

„ ctari pronunciant; à quibus niſi deſubitò vitium in artus ſe ſe „ recipiat, eructetque, periculum brevi tempore laborantes occupaverit; „ Et paulò inferiùs ſubjungit. „ Quid? quod Demetrius inter recentiores Græcos Pepagomenus, Michaëlis Palæologi Medicus, his aſſentiatur, Libro [iſtius Imperatoris juſſu] de Podagra ſcripto, *non tantùm*, inquiens, *in manus, pedes, omnes articulos tales ferri fluxiones: Verùm etiam in Cerebrum*, Jecur, *atque ideò ipſum Cor, eaſque teterrimas eſſe, liberatuq; difficillimas.* Reverà non tantùm arthriticas ſimpliciter, ſeu mobiliores affectiones, ſed fixiores, ſtabilioreſque, ſeu podagricas ab artubus repulſas, in viſcera ipſa abdominis, imò pulmonem, & cerebrum contendere cum lethali ut plurimùm eventu, interdum in praxi animadvertere contigit: quod quidem à Galeno pariter, aliiſque Antiquis plurimis deſcriptum legimus. Propriam interea, ſeu ſpecialem curationem non indicant arthritici hujuſmodi viſcerum affectus, qui ſanè ad communem univerſalis cauſæ curationem dumtaxat videntur referri. Atqui ſi quæ eſt peculiaris curatio, ea quidem per febrem, aut ſudorem ſupervenientem expletur; præcipuè verò ſi iterùm poſſet rheumatica affectio ad artus reſtitui, ut admonet Galenus Comment. II. ad Hippocratis librum *de Nat. Hominis*, & ad textum V., cujus verba loco cit. appoſitè refert nobiliſſimus Muſgravius.

Flatuoſus Hepatis Dolor, ab Hippocrate per ipſamet mechanica principia deſcriptus: Qui tamen non adhuc perfectè conſtare videtur. Flatuoſus, ſi qui ſit, hepatis dolor flatulenti ambulonis

IV. Venio ad dolorem flatuoſum hepatis, quem quidem deſcribere videtur Hippocrates lib. de *Priſca Medicina* versùs finem: Qui ſanè textus cùm notabilia plurima contineat, hîc totus à nobis inſinuabitur: " Quæ verò flatus, eorumque convulſiones in corpore efficiunt, ea in cavitatibus, ac laxioribus „ ſpatiis, velut ventre, & thorace, ſtrepitum, & ſonum excitare æquum eſt. Cùm enim non ſic impleant, ut conſiſtant, „ ſed mutationes, & motiones habeant ab ipſis ſtrepitum, & „ evidentes motiones fieri neceſſe eſt. Quæ verò tum carnoſa, „ tum mollia, in iis ſtupores, & repletiones, quales jugulatis „ fiunt. Quòd ſi in latum, & renitens incurrat, eique aliquid reſiſtat, quod naturâ neque ſit adeò robuſtum, ut vim ejus ſu-

„ ſtinere,

videtur ſoboles eſſe. Meteoriſmus levis Hypochondrii à Dureto deſcriptus. Inflatio hepatis ex Sennerto: Ejus ſigna: curatio: Loca Hippocratis, quæ huic facientia videntur.

„ ſtinere, neque ab eo malè affici queat; neque ita molle, & „ rarum, ut in ſe recipiat, & cedat, ſed tenerum, floridum, ſan„ guine præditum, & denſum velut *hepar*, ob denſitatem qui„ dem, & latitudinem renititur, neque cedit, flatus verò „ ſubiens increſcit, robuſtior efficitur, & impetu in id, quod „ obluctatur, fertur; verùm quia tenerum, & ſanguine prædi„ tum, doloris expers eſſe non poteſt: Eaſque ob cauſas gra„ viſſimi, creberrimique dolores eo in loco excitantur. „ Reverà per hunc textum vagantium, & impingentium flatuum colliſiones, & ſonitus, per elaſticas cavitatum, latiorumque ſpatiorum circumcingentes tunicas producti indicantur; Tum ſurda Emphyſemata in minoribus partium commiſſuris collecta, ſubitæque in primis nervorum, vaſorúmve *oppletiones*, preſſioneſque, undè incubi, ſtupores, gravedines, paralyticæ auræ, aliæque ſimiles affectiones procreantur; Tum in viſceribus tenſiones, & diſtentiones, ſimulque eorum renixus, ac contractiones, ex quibus quidem dolores prodeunt, qui ſimul acuti ſunt, & tenſivi: Ut hinc occaſione flatulenti ambulonis annuat Hippocrates ſolidorum humani corporis percuſſiones, elateria, contractilia momenta, impetus, aliaſque mechanicas res, modernorum meditationibus acceptiſſimas. Ita etiam apud modernos nonnulli per proprias obſervationes furioſum flatum, ſive flatulentum ambulonem deſcribere valuere; Ut Joh. Michaëlis *Prax. clinica ſpecial.* Caſ. XIX., Pechlinus in *Obſervat. Phiſico-medic.* aliique. Hicque ultimus vel ipſum cor à copioſiſſimo concluſo flatu duabus partibus naturali majus, omneſque inſuper corporis venas paſſim flatibus inſigniter diſtentas aliquando exhibuit, qui *bilem* præterea flatuum dominam nuncupavit. Cui quidem aliiſque aſſentior circa flatuoſos ambulones in cavis partibus non difficilè collectos. Concederem pariter de laxioribus, & veluti ſpongioſis, aut penè veſicularibus viſceribus, ut, ad exemplum, de liene, quem ſæpè à flatu ſubitaneè inflari, & valdè turgere deprehendimus. Sed de ſolido, firmoque hepatis viſcere non ita certa res eſt, quomodò flatulenta ſubſtantia intimam hujus viſceris

ſubſtan-

ſubſtantiam penetret, eandemque in dolorificam diſtentionem, & tumorem diducat, aut inter parenchima, tunicamque ſuccingentem gliſcere, aut per ejuſdem vaſa expatiari, eaque pro dolore inducendo manifeſtè diſtendere queat. Quæ certè omnia, aut ſingula, non benè hucuſque animadvertere valui. Intereà flatuoſo hepatis tumori nituntur Interpretes *ſub mollem* Hippocratis *diſtenſionem hypochondrii* accommodare, ſive *meteoriſmum hypochondrii* levem, ſubitum, fugacem, facilè digitis cedentem, faciléque redeuntem, ſed tamen dolorificum. Ita ſcribit Duretus in Coac. fol. 318. " Hypochondria, (ſeu potiùs Hypochondriaca viſcera) multis de cauſis in majorem molem aſſurgere. „ Cauſæ autem (ait) cur ſic aſſurgant, tres omninò dictæ ſunt „ à Præceptore; Inflatio, inflammatio, ſcirrhus. Inflatio fit à „ ſpiritu flatulento, eaque duplex, cum borborigmo, & cum „ torminibus. Cum borborigmo recens, atque fugax: Quoniam borborigmus ille ſic editur, flatus excluſione deorſum: „ Itaque citò exolvitur, vel cum dejectionibus, & urinis, vel „ ipſe per ſe trajectus, vel ad ſedes inferas devolutus. Inflatio „ cum torminibus contraria eſt borborigmo: Eſt enim dolorifica; Ille doloris expers: Hæc ſursùm movetur, ille deorſùm. Atque hæc recens, ille vetus. „ Tum ſimilia rursùs annuit fol. 388., ubi meteoriſmi hujuſmodi à recente inflatione cum borborigmo unicam redintegrandi ſpem, atque rationem in purgatione ſitam eſſe tradit, niſi fortè penſum illud per ſe abſolvat natura, flatu cum urinis, aut dejectionibus, excidente, aut etiam per ſe ad inferiora trajecto, & devoluto, veluti docet Hippocrates. Sennertus Pract. Lib. III. Part. VI. Sect. I. peculiare Caput *de inflatione Hepatis* litteris mandat; ſed paucis ſe quidem expedit, hæc pro tota morbi Ætiologia ſcribens: *Inflatio eſt cùm ſub tunica craſſus flatus concluditur, qui hepar inflat, & dolorem in eo excitat.* Signa præbet, quibus iſta ab aliis hepatis morbis diſcriminetur. " Cognoſcitur hoc malum, *addit,* ex „ tumore dextri hypochondrii, qui eſt ſine gravitate, ſed cum „ magno dolore, qui tamen non eſt continuus, ſed non

 inten-

„ intenditur , nunc remittit ; Et ſi locus digitis prematur, tu-
„ mor cedit: Nullum tamen murmur percipitur , nec latentis
„ vomicæ ſuſpicionem præbet. Corporis, & faciei color , ut
„ in aliis Hepatis tumoribus non mutatur. Urina, ſi febris ab-
„ ſit, quod plerumque fit, eſt alba, & ſpiſſa.„ Huicque morbo digerentia, repellentia, ac diſcutientia, tum interna, tum externa prĕſcribit, tum, ſi fovens cauſa, eaque cruda iners, craſſaque, præſens ſit, debita ejuſdem præparantia, atque indè evacuantia: Noſtrates huic morbi generi magno cum fructu accommodant elixiria quĕdam, variaque ſpirituoſa diſtillata; Ut ſpiritum oleoſum aromaticum Silvii, elixiria theriacalia; Aquam D. Montagny ſabaudi, aquam Carmelitarum Lugdunenſium &c. Alii intereà dolori hujuſmodi hepatis, ſive inflationi, ex flatulento dumtaxat ſpiritu, facilè, & in inſenſilem modum diſſipabili, conciliare ſtudent binos illos Hippocratis textus; Primùm nempè ex Aphor. XXXIV. Sect. VI. *Quicumque ex hypochondrio laborant ſine febre, iis ſuperveniens febris laborem exolvit.* Et alterum ex Coacis: *Tumores hypochondriorum ſine febre recèns obortos, tum inde natos dolores exolvit borborigmus in hypochondrio excitatus; Maximèque ſi exciderit cum urinis, & dejectionibus: Sin minùs, ipſe per ſe trajectus. Juvat etiam iis, qui ad inferiora devolvitur.* Nos autem veritatem propiùs accedere arbitrati ſumus, Præceptoris hæc loca cum certiori hepatis, aut ſaltem crebriori affectione, qualis eſt in diuturnâ Hepatitide à viſcidâ, & lentâ bile, crudiori lymphæ immixtâ congeſtio, ſuperiùs in hepatitidis tractatu Can. XIII. conciliando. Aliqui Hippocratica hæc ſenſa ad ipſam flatuoſam colicam accommodare ſtuduerunt, cùm Colon inteſtinum, ut aliàs dictum eſt, dextrum hypochondrium non minùs occupet, attollatur facilè à flatu, atque ſenſibilem inflationem tactui proferat; Tùm præcipuè in flatuoſo ejus affectu omnia hæc, à Magiſtro propoſita, contingere Phænomena videantur; Et cùm præſertim ad Coli Inteſtini morbum apprimè quadrare rati ſint id aliud in Coacis præceptum: *Quibus hypochondria tumore aſſurgunt, alvo ſuppreſſa malum:*

Malum

Malum eſt etiam quibus inveteratione morbi tabeſcentibus, alvi profuſè feruntur. Ea tamen conſulantur, quæ nos ſuper hac re in cit. Hepatitidis XIII. *Canone* aperuimus.

MIRABILIS HISTORIA

Motus, ſeu doloris Spaſmotici in Hepatis regione ex cl. *Pirrho Maria Gabrielli*: Quæ eſt Obſervatio XL. Ephem. Germ. Decad. III. ann. IV.

MUlieri 40. annorum natæ, boni habitûs, nuptæ Viro, Menſium diminutione duobus ab hinc annis laboranti, obortus eſt motus quidam pulſatorius internus in hepatis regione, ſingulis menſibus per unam, quandoque verò per duas, aut tres horas circa menſtruorum eruptionem, in octo vel decem dierum decurſu quotidie eandem invadens; qui quidem dum paulatim augebatur, & ſæpè ſæpiùs patientem affligebat, tale ſumpſit incrementum ne dum in frequentia, verùm etiam in majori pulſatione, ut ferè quotidie eamdem cruciaret; undè propter vehementem motum coacta fuit in lecto decumbere. Accerſitus ego eo temporis ſpatio, quo vix aderat motus prædictus, nam ſingulis horis, tribus, aut quatuor vicibus eandem invadebat, obſervavi hepatis regionem tractabilem, & abſque ullo obſtructionis veſtigio: Incipiente autem dicto motu, ſpatio unius horæ quadrantis in tantam elevationem ipſa hepatis regio ſe extollebat cum motu violentiſſimo pulſatorio, quem ego vocabam ſpaſmodicum, ut per palmum & ampliùs elevaretur in tumorem cum concuſſione totius corporis, & præſertim thoracis in dextera parte: Et tunc temporis ipſa hepatis regio ad contactum adeò apparebat dura, ut ferè videretur lapidea; Undè patiens taliter laborabat, ut ceſſante motu debilis ac languida jaceret in lecto. Atque iterùm poſt dimidiam horam plus minúſve motus adveniebat, & ſemper durabat per octavam horæ partem, aut ſemiquadrantem, paulatim

incipiendo, nimirùm primis pulſationibus mediocriter, reliquis autem gradatim augeſcentibus uſque ad partis elevationem per palmum, & ampliùs, cum maxima adſtantium admiratione. Mulier hęc ſpatio 25. dierum in Noſocomio S. Mariæ de Scala medicamentis purgantibus leniter purgata, ut adhibitis à me remediis ex antimonio diaphoretico, oleo ſuccini, & aſſa fetida compoſitis, celebratâ ſanguinis miſſione in brachio, & ex ſaphena meliùs ſe habuit, atque in præſenti vivit, & ambulat minori cum pulſatione; undè conſuetas ac domeſticas operationes facilè exercet. Hucuſque Gabriellius. Ubi annotandum reor, morbum hunc, etſi ab hoc Practico veluti hyſtericum non inutili ſuſpicione habitum, primigenium tamen in hepate appoſitè cenſeri poſſe; cùm idem Scriptor, pręterquàm in hepate, ſuas hunc nullibi exeruiſſe vires teſtetur.

Hepatis Vulnus ejuſque Contuſio, & Sciſſura.

Canones Practici.

Vulnera quædam, quæ ab Hippocrate, Celſo, aliiſque Veteribus è veſtigio pro lethalibus accenſeri videntur, non ſtricto ita ſenſu accipienda ſunt; Dum vel fundi urinariæ veſicæ penetrantia vulnera, corticalis pars cerebri

I. Hepatis vulnera pro lethalibus indiſcriminatim habuiſſe Hippocrates, Celſus, aliique Antiquorum probatiſſimi videntur, ob hæmorrhagiam, illis ut plurimùm conjunctam. Ita aſſerit Cous Aphor. XVIII. Sect. VI. *Veſicâ diſciſſâ, aut Cerebro, aut Corde, aut ſepto aliquo ex tenuioribus inteſtinis, aut ventriculo, aut jecore, lethale eſt.* Confirmat in Coac. prænot. *Vulnera ferè mortalia contingunt in Cerebro, aut ſpinali medulla, aut jecore, aut ſepto tranſverſo, Corde, veſica, vena majore.* Ita Celſus lib. V. cap. XVI. *Servari non poſſunt, cui baſis Cerebri, cui Cor, cui ſtomachus, cui JECINORIS PORTÆ, cui in ſpina medulla percuſſa eſt, cui aut pulmo medius, aut jejunum, aut tenue inteſtinum, aut ventriculus, aut renes vulnerati ſunt, cuique circa fauces grandes venæ, vel arteriæ præciſæ ſunt.* Intereà ſeveriùs hocce Hippocraticum judicium temperat valdè Galenus in Com-

Comment. memorati Aphoriſmi. Et ſanè moderari ut puto, opportebat. Quippe cùm, urinariam veſicam in Cervice ad uſque ejus cavam diſciſſam ſanari poſſe Lithotomiæ operationes oſtendant: In fundo verò ſauciatam, imò ad uſque cavum perforatam admiſiſſe interdum curationem plurimæ adhuc obſervationes teſtentur. Vetuſtiorum plurimis uſui fuerat, Lithotomiæ operationes ad pubis regionem, ſeu ad veſicæ fundum inſtituere; Plurimique intereà evadebant. Retulit mihi peritiſſimus majoris Taurinenſis Noſocomii Chirurgus D. Albertus Verna, aliquando in ſeptuagenario homine, ab urethrę calloſa excreſcentia in abſolutam veſicalem iſchuriam delapſo, atque hinc, ob præſtitam ſanguinei ſeri ad univerſum corporis habitum præcipitem effuſionem, hydropico extemplò reddito, jamque Orthopnoico, ſenſibus omnibus ferè deſtituto, mortiſque faucibus proximo, ſcalpello aperuiſſe veſicæ fundum, quæ nempe vel ultra umbilicalem regionem tumebat adeò, ut ipſi viſui ſe manifeſtam præberet: Urinas hoc pacto feliciter eduxiſſe, eaſdemque per eumdem hiatum dies aliquot exſtillaſſe, donec exedentium cereorum introductione abſumpto, deletoque urethræ callo, lotium priſtinam ſuam viam repeteret: deleto hinc hydrope illo fortuito: Conſolidato veſicæ fundo: Et ſene poſt aliquot hebdomadas in priſtinam ſanitatem repoſito. Similem in cerebro, corticali parte profundiùs ad oras uſque medullaris ſauciatâ, cum quadam imò ſuſpicione læſæ aliquantæ medullaris portiunculæ, per cerebroſos primores anfractus ſerpentis, ſanationis eventum nos aliquando perſpeximus: Et propriâ obſervatione Galenus ad hunc locum confirmat. Similem pariter fuiſſe traditur in plaga cordis, ejuſdem ſinus non adeunte. Ita effatur Etmullerus lib. VI. Chirurg. Med. Cap. II. "Vidi ego Romæ apud egregium Chirurgum cor canis, in cujus parenchymate tres globuli ferrei erant, & ita quidem, ut iſti globuli omninò coaluerint in parenchymate cordis. Nam Canis erat mortuus ſub anatomico cultro, " aliaque exempla à Pareo, Schneidero, Schenckio, aliiſque proferuntur.

Profundiùs ſauciata, cordis plaga ventriculos non penetrans, atque graviores continui tenuium inteſtinorum ſolutiones, curari adhuc poſſunt.

Graviora inteſtinorum tenuium vulnera, à natura ſponte, feliciterque curata, Vid. ex Maur. Eggerdes Obſervat. IX. & X. Ephemerid. Germanic. ann. IV. Decad. III.

Elucidatur ſenſus Hippocratis circa memorata vulnera prius à Galeno, hinc etiam ab ipſomet Hippocrate, & Celſo.

II. Cùm idem prætereà de aliis partibus, quarum vulnera ab Hippocrate prædicantur lethalia, à Practicis quampluriinis decantetur, ſuſpicari juvat, Senem per illud Aphoriſmi verbum *diſciſſa* intellexiſſe dumtaxat magnum, atque profundum vulnus, quod jecur uſque ad majora comprehenſa vaſa, cerebrum uſque ad medullarem partem, diaphragma ab una ad alteram faciem diſciderit, atque alia memorata viſcera uſque ad propriam cavitatem enormiter aperuerit. Ita poſuit Galenus in Commentario: *Quoſdam in ventriculo vulneratos dicunt aliquando, ſed raro, fuiſſe ſanatos. Tenuium autem inteſtinorum natura, & ventriculi magis, non parum participant carnoſæ ſubſtantiæ, & ideò in ſumma parte vulnerata ſæpiùs agglutinantur: Tota autem diſciſſa uſque ad eorum cavitatem rariſſimè.* Sed jugis cordis, atque diaphragmatis motus, quem quidem ſanationi prorsùs officere eodem loco decernit Galenus, agglutinationi levioris accepti vulneris vix poſſet, ut arbitror, impedimento eſſe; cùm hujuſcemodi plagæ, ſi pulmoni, ut ut jugi motu concitato, infligantur, adhuc curationem excipiant. Addit autem (quod rei noſtræ caput eſt) de vulnerato Hepate Galenus: *Hepatis autem non ſolùm profundum vulnus in fibris ejus factum, ſed etiam fibram abſciſſam aiunt fuiſſe ſanatam:* Atque lethalem hepatici vulneris conditionem ab unâ majoris vaſis rupturâ, ſuccedenteque hæmorrhagiâ, videtur deducere: *Hepar verò vulnera habet plurimo manantia ſanguine, atque idcircò priùs moriuntur, qui ita ſunt vulnerati, quàm vulnera agglutinari poſſint. Hoc autem dixi, volens intelligi etiam venam eſſe diſſectam.* Sed quid plura? Ipſe Hippocrates ſuam adhuc in prædict. lib. II. ſect. 2. moderatur ſententiam: *Vulnera autem ferè quidem mortem afferunt, quæ magnas venas, quæ ſunt in Collo, & inguinibus læſerunt, deindè quæ cerebrum, & hepar, deinceps quæ in inteſtina, & veſicam pertingunt. Quæ ſanè omnia magnam perniciem afferunt, non eam tamen,*

men, ut (quod quidem exiſtimant) nemo ex his ſervari poſſit. Nam & his nominibus præditi loci multùm inter ſe differunt; atque ipſi modi: Hæc parum etiam cujuſque corporis conſtitutio differt. Incidit enim interdum ut neque febre, neque inflammatione tentetur ſauciatus, interdum etiam nullâ ex causâ febricitat, nec aliquam corporis partem inflammatio prorsùs occupat. Hinc Celſus loco ſuperiùs memorato affert illos à vulnere ſervari non poſſe *cui baſis cerebri, cui jecinoris portæ, cui pulmo medius percuſſa ſunt:* ſeu pars cerebri medullaris, vaſa hepatis majora, & pulmonis intimior ſubſtantia, quorum quidem vulnera omnium conſenſu lethalia ſunt.

Vulnus Hepatis quo igitur in caſu lethale ſit; & quo in visceris loco, & quænam induat ſymptomata. Quodnam verò curabile, vel abſciſſis hepaticæ ſubſtantiæ portionibus. Cur Veteres formidandis jecoris vulneribus fuerint adeò proclives.

III. Conſtat ergo, Hippocratem, & Interpretes in profundiori dumtaxat hepatis vulnere, ſeu in diacope, cum indita majoribus venis læſione, non verò in leviori, & ſuperficie tenus inflicta plaga lethale fatum fuiſſe minitatos. Enim verò cùm nullum viſcus grandioribus ſupra hepar, atque numeroſioribus vaſis donari, imò ipſam hepatis parenchymatoſam ſubſtantiam ab elegantiſſima venarum Portæ, & Cavæ, atque biliarium ductuum invicem concurrentium ſylva totam quantam confectam eo artificio diſponi, ut quò interiores magis partes perluſtremus, eò majores venarum rami, aut ipſi trunci obverſentur, ſuperiùs in primâ Hiſtoriæ parte oſtenſum ſit; utique vulnus in hepar infligi profundiùs non poterit, quin major aliqua ſaucietur vena, atque hinc inſanabilis interna ſanguinis jactura, ſeu citò perimens hæmorrhagia concitetur. Ita ob inductam ejuſcemodi effuſionem ſanguinis, mortem cum vitâ repentinè commutaſſe illum Hippocratis lib. 5. Epidem. ſauciatum tutò cenſendum eſt. *Illi cui hepar percuſſum eſt jaculo ſtatim color mortuis ſimilis affuſus eſt, oculi concavi, anxietas, & difficilis tolerantia.* [Fortiſſima certè maximæ internæ hæmorrhagiæ indicia] *mortuus eſt antequam concio ſolveretur, cùm ipſo diluculo ſauciatus fuiſſet.* Quemadmodùm igitur vulnera hepatis profundiùs inflicta, non quidem ſuapte naturâ, ſed ob productam hæmorrhagiam, celerem indè ſuffocationem animique defectus

indu-

inducentem, lethalia ſunt, atque qua hepar diaphragmati adjacet, & ubi venæ cavæ truncus eſt, illata plaga profuſione ſanguinis implacabili eſt omnium maximè præceps ad mortem; Ita ſuperficie tenus inducta, quæ quidem non majora vaſa, externam nempe hepatis ſubſtantiam contexentia, dumtaxat offendant, ſi modica ſuccedat hæmorrhagia, atque affluens ſanguis facilè per vulnus ipſum educatur, lethalia minimè cenſenda ſunt; quæ imò facilem, citamque curationem, peritâ manu miniſtratam, recipiunt. Tum fruſtula quoque hepaticæ ſubſtantiæ non exigua, quę quidem majora ſecum vaſa non avellant, abſque lethali eventu abſcindi à ſauciato hepate poſſe, cùm plurium Scriptorum, tùm, quę nobis non ita pridem transmiſſa eſt, adnexę inferiùs hiſtoriæ teſtimoniis, ut abundè, ita & manifeſtè comperitur. Vid. ſuper hâc re Æginet. lib. 6. cap. 28. Cornel. Gemm. Coſmogr. lib. 1. cap. 6. Bertinus lib. 13. Med. cap. 7. Guil. Fabr. Hildan. cent. 2. Obſervat. 34. Sennert. Pract. lib. 3. part. 6. ſect. 1. cap. 7. Velſchius in rat. Vul. Lethal. jud. cap. 9. Glandorpius lib. ſpecul. Chirurg. Cęterùm Modernis Antiqui in timendo ab hepatis vulnere interitu religioſiores fuiſſe videntur; cùm in hepate ſanguinis, & vitę fontem, ac fundamentum principatuum, & facultatum naturalium, atque animalium ſalutarent. Interea, ſi, ut par eſt, non ultra biliaris ſecretionis officinam, hujus viſceris munera reponamus; Multa hujuſce metus ratio excuti medentium animis poterit.

Diagnoſis hepatici vulneris: à genere, ſede, complexu, & gravitate; inſuper à loco, & ſpecie doloris, à copia, & colore effuſi ſanguinis, à vomitu, urinis,

IV. Danda igitur opera eſt, ut ſolutę in hepate vel punctim, vel cęſim unitatis genuina conditio dignoſcatur: An planè abſciſſa ejuſdem pars aliqua ſit; An ſolùm contuſa, an utroque modo affecta: An vulnus exteriorem dumtaxat, an intimiorem ſubſtantiam, an gibbam, an cavam regionem occupaverit; An jecori ſolùm, & communibus corporis tegumentis, an ſimul finitimis, aut remotis etiam viſceribus inditum fuerit. Interſtingui autem hæc omnia poterunt per cædentis Inſtrumenti, rationem, & impetum; per fabricæ, & habi-

habitudinis partium, plagæ objectarum anatomicam notitiam; atque per conſequentia ſymptomata; Et præcipuè à doloris genere, & ſede: Nam puncto hepate non ſolùm in ejus regione dolor percipitur; ſed ob allatas alibi rationes uſque ad jugulum, & ſcapulam dextram plerumque protrahitur: à loco inſuper effuſionis ſanguinis, atque ab ejuſdem majori, aut minori copia; Præcipuè ab ejuſdem effuſi ſanguinis colore, qui nempe, biliferis ductibus in lacerationis partem inductis, aliquâ imbutus flavedine ut plurimùm deprehenditur; Imò ſanguinem ipſum propaginum portę, ſuper alium quemcumque ſanguinem, non obſcurè flaveſcere, aliàs annotatum jam fuerit. In hepatis plagâ bilioſus plerumque cum magno ciborum faſtidio, in contuſione verò cruentus vomitus contingit, vel ſanguinis per alvum, aut etiam urinam excretio; [Quæ tamen ultima vel in ipſomet ſimplici vulnere quandoque obveniunt.] In utroq; caſu anxietas excitatur, cardialgia, & reſpirandi difficultas, ſeu, ut ait Hippocrates, *denſus ſpiritus*; vel etiam Orthopnœa ſi læſum hepar inflammetur, & turgeat. *Jecinoris vulnerati notæ ſunt: Multus ſub dextra parte præcordiorum profuſus ſanguis: ad ſpinam reducta præcordia; in ventrem cubandi dulcedo; punctiones, doloreſque uſque ad jugulum, junctumque & latum ſcapularum os, intenti. Quibus nonnunquam etiam bilioſus vomitus accedit.* Hæc Celſus lib. V. cap. XXVI. Simplices hepatis contuſiones ab aliquibus propriè lethales non judicantur. Intereà referente V. Epidem. Hippocrate: *Puer à mulo in hepate percuſſus quarto die mortuus eſt.* Ab inducta in viſcere ruptura, ejuſque vaſorum rixi, cum interna hæmorrhagia lethum hujus pueri fuiſſe properatum cenſerem. Hepatis intereà contuſio, tametſi rupturam nullam inducat, ſi naturæ, aut remediorum ope haudquaquàm ſoluta, diutiùs protrahatur, præcipuè ſi ſui generis Ecchymoſim produxerit, facilè in ſpurium abſceſſum degenerat. Hinc Hepatis contuſionem in genere deteriorem, vulnere atque periculoſiorem eſſe, decernit Sennertus.

decubitu, aliiſque ſymptomatis; cum adjecta, aut non adjecta contuſione, cujus etiam exitus perpenditur.

Curatio vulneris, & contuſionis hepatis.

V. Curationem quod attinet: ſi in vulnere hepatis ingens ſanguinis profluvium metuatur, vena cubiti dextri citò ſecanda eſt: clyſteribus laxa alvus ſervanda: Hi autem refrigerantibus, ſimulque vulnerariis præſidiis blandè adſtringentibus, lenibuſque immixtis abſtergentibus parandi. Statim verò adſtringentia, glutinantia, & balſamica propinentur, qualia in hæmophtoſi uſurpari ſolent, quorum ſylva proſtat apud Sennertum, alioſque Scriptores practicos. In contuſione hepatis, pręmiſſis pariter his, aut ſimilibus univerſalibus remediis, ſedatoque, ſi ſubſit, interno ſanguinis fluxu, confugiendum eſt ad ſuaviter diſſolventia, qualia etiam lapſis ab alto, & percuſſis ſuaderi ſolent; Raponticum, Lacca, Sperma ceti, mumia, ſchenant. ſuccinum, bol. armen. rad. tormentill. ariſtoloch. rotund. thus, crocus, myrrha, abſinthium, terebinthinata, & omnia in genere vulneraria, non jam nimis calida; ſed quâdam abſtergendi, & diſcutiendi facultate prædita. Adſtringentia, glutinantia, digeſtiva, & ſimilia præſidia in vulnere hepatis; aut diſcutientia, reſolventia, ſimulque roborantia, in contuſione extrinſecùs adhiberi ſolita, inſpectioni, operique Chirurgorum lubenter remittimus. A vino ægri abſtineant: tenui, ac refrigerante diætâ, cibiſque glutinandi virtute pollentibus utantur. Aqua epotetur ex coriandri ſeminibus, & radice arundinis, aut radice ſymphiti, & nodulo c. c. aut eboris, cum jujubis, paſſulis, aut ſimilibus alterata, & decocta.

Prognoſis à percuſſione hepatis, in abſceſſum migrante deducta.

VI. Contingit non rarò in hepatis nec profundiori, nec leviori vulnere inflammationem excitari, quæ citò ad interitum plerumque ducit; aut liquida ex abſciſſis vaſis ſoluta, neque foràs liberè, ſed potiùs per viſceris ſubſtantiam effuſa, in conficiendum majorem, aut minorem abſceſſum accumulari, prævia, aut etiam non prævia inflammatione. (Vid. cap. XXVI. lib. II. Obſerv. Medic. Nic. Tulpii ejuſcemodi ex jecoris vulnere abſceſſus.) Quod pariter de contuſione ſuperiùs eſt dictum. Ad bonam, aut malam in hoc caſu inſtruendam prognoſim

conſi-

conſiderandæ ſunt allatæ ſuperiùs, cùm de abſceſſu hepatis, conditiones, quæ nullam, aut aliquam ſpem nobis curationis præbeant. Verum tamen eſt, abſceſſus hepatis ex vulnere, aut contuſione prognatos, utplurimùm in Empyemata faceſſere; Undè collectio, atque exitus cænoſi, atque amurcoſi puris; quod quidem Phęnomenon inſanabilem viſceris corruptionem oſtendit.

V I I. Sciſſuræ hepatis à caſu, aut percuſſione, cum, vel ſine contuſione, præcipuè cum majorum vaſorum rixi, lethales ſunt; neque ideò curationem admittunt; cùm ſubitâ ſanguinis effuſione præfocent. Vid. ſuperiùs in 2. parte cap. 2. fol. 136. graviſſimam hujus affectus hiſtoriam, nobis à cl. Lentilio ante hos quinque annos communicatam; quæ cum Hippocraticâ hiſtoriâ percuſſi hominis à jaculo, ſuperiùs commemoratâ convenire videtur. Hæc quidem mortalia ſigna declarat. Hepatis ſubſtantiam ſolâ humiditatis privatione rumpi poſſe, atque ob humoris penuriam, & ſiccitatem rimis quibuſdam dehiſcere; ut affert Fernelius lib. 6. de part. Morb. & Sympt. cap. 8., jamque ſuperiùs in altera parte memoratum fuit, mihi hactenùs incompertum eſt. Ut nec hactenùs innotuit ſimilis affectus, ab internis violentioribus motibus procreatus; qualem deſcribit Gliſſonius Anat.Hepat. cap.XI. " Vidi aliquando in gibba quorundam Jecinorum parte rimas, & hiatus majuſculos, qui fortè à partium extremarum violentiore complicatione ortum duxerant: Quemadmodùm & panis fruſtum nimiâ incurvatione diffringitur. Rimis iſtis, ſive fiſſuris [quo tempore eas mihi videre contingit] natura medelam attulerat: Non quidem factâ agglutinatione, aut cicatrice, ſed tenuis pelliculæ ſuperinductione, quâ utrumque fiſſuræ latus obduxerat, manentibus tamen labris ſejunctis, licèt illæ ſe ſe mutuò attingerent ": Tulpius (ut ex cap. XXXVI. lib. I I. Obſervat. ejuſdem medicarum) inveniens in muliere, regio morbo atque hydrope denatâ, Jecur aridum, atrum, exſuccum, & inſtar corrugati corii ita in ſe contractum, ut vix

Sciſſuræ hepatis, à caſu, aut percuſſione productæ, ſunt omnes lethales. Quæ ab internis motibus, aut ingenti ſiccitate progenitæ apud aliquos authores decantantur, ſunt valdè nobis incertæ.

æquaret geminum pugnum (ſeu verum hepatis ſuperiùs deſcriptum maraſmum) curioſè ſatis, ſed incaſſùm, rimas illas Fernelii quærebat; quas quidem ſi ullibi, certè in aridiſſimo hoc jecore ſe in conſpectum daturas ſperabat.

Vulnera felleæ cyſtidis quæ ſanabilia ſint, quæ lethalia.

VIII. Amplum vulnus veſicæ felleæ in caſu quodam, qui ſextus eſt Pandect. Medico-Legal. Part. II. Sect. IV. eruditiſſimi Valentini, à Medicâ Lipſienſi Facultate abſolutè lethale ſancitum fuit. Intereà parvum ejuſdem folliculi vulnus ad collum, aut etiam cyſticum ductum, abſque ulla mediocrium ſanguiducorum vaſorum læſione, non tam lethale credendum ducerem.

HISTORIA PRIMA.

Vulnus Hepatis, cum ejuſdem ſubſtantiæ mutilatione curatum.

ANno 1716. die 10. Junii Carolus filius quondam Joannis Antonii Paſſere Caluſienſis, ætatis annorum 30. conjugatus, & exercitiis ruſticanis deditus, jam ab aliquo tempore maniacus, cùm ad arva progreſſus fuiſſet, furioſus factus, cultrum ab adoleſcente, qui in paſcuis armenta cuſtodiebat, petiit, & is ſtatim è pera extractum cultellum tradidit. Parvum illum cultrum ter, aut quater ſibi in pectus adegit demens; ſed nullum factum fuit vulnus, ſubuculâ ex nova, & craſſiori tela conſtructâ ictibus reluctante. Ventrem ideò nudavit, & repetitis ictibus magnum vulnus parum infra ſcutiformem cartilaginem ex lineâ albâ ſectione aliquantulùm obliquâ ad cartilagineos coſtarum margines inferiùs versùs pertingens Epigaſtrii cavum penetrans inflixit: ſequuta fuit extemplò ingens ſanguinis profuſio. Cecidit vulneratus, ac ſine motu, & voce permanſit: Adoleſcens qui cultellum exhibuerat, aufugiebat, domumque ſe recipiens, nunciabat quod ſequutum erat in demente.

demente. Hæc intelligens accurrit conjux cum ſacerdote, & pluribus aliis; illumque in cruore natantem reperiunt, & morti proximum judicant: Sacerdos ſacrâ unctione vulneratum munit. Miſellus interim domum aſportatus tamquam moriens nullo ſubventus fuit pro vulnere remedio. Die ſequenti vivebat adhuc. Vocatus ad ipſum acceſſi unà cum eruditiſſimo, experientiſſimoque Domino Medico Franciſco Farcito, nobiſcum juncto Domino Joanne Baptiſtâ Ubertino chirurgo. Vidimus hepatis portionem non parvam è vulnere egreſſam, pluribuſque vulnuſculis trajectam. Hanc tetigi, & alæ hepatis portionem, quæ ventriculo inſidet, eſſe dixi, ſcilicet angulum illum acutum, in quem jecur ſenſim attenuatur; atque ut corruptioni proximam, exſcindendam eſſe pronunciavi, ne intùs remiſſa reliquæ viſceris ſubſtantiæ labem inureret, et ſi ſcinderetur, ſanguinem in abdominis cavum copiosè effunderet, ideóque quadruplici filo intorto, & incerato ligavi, hinc digeſtivo communi vulnus implevi; reliquum curationis Domino Ubertino commiſi: Elapſis ſex diebus portio exul fuit ſejuncta; & magnum illud vulnus intra bimeſtre fuit conſolidatum, remanente aliquâ hernioſâ tumeſcentiâ: & inſanus hic à dementiâ quoque liber evaſit. &c. *Illuſtriſſimæ Domis. Tuæ Addictiſſimus famulus Joannes Baptiſta Berta Montalengarum Chirurgus.*

HISTORIA SECUNDA.

Vulnus Hepatis cum ejectione per alvum ejuſdem ſubſtantiæ ſanatum.

FAber lignarius in majori Taurinenſi Noſocomio ante aliquot annos decumbebat, profundo ad dextrum hypochondrium vulnere ſauciatus. Vomebat, atque per alvum ejiciebat ſanguinea: Ipſamet hepatis fruſtula per ſedes rejecta

fuiſſe viſa ſunt. Optimè intereà revaleſcebat. Ex communicatione Cl. D. Reina.

HISTORIA TERTIA.

Vulnus Hepatis ſimulque Ventriculi, & Inteſtini tenuis, cum Biliariorum Vaſorum ſciſſione, ad curationem perductum.

MEretricula Taurini ſuperioribus annis, plurimis punctim plagis in ventriculo, hepate, atque inteſtinis ab amaſio ſauciabatur. Vulnus ventriculi manifeſtabatur per frequentem ab eodem ipſorum ingeſtorum eruptionem; Plagam inteſtini tenuis per chylum pariter hoc pacto exeuntem, & tandem hepatica non levis, ſed uſque ad hepaticos non minimos ductus protracta læſio per biliofam ſubſtantiam unà cum aliis ſuccis per vulnus guttulantem. Intereà ab his omnibus plagis poſt hebdomadas aliquot ſanabatur, atque revaleſcebat Muliercula.

BINÆ HISTORIÆ;

Inſignem Hepatis, atque Pulmonis in ſuppurationibus conſenſum exhibentes; Quæ cùm in ſuperiori Diſquiſitione Abſceſſus Hepatis *omiſſæ fuerint, Hîc ſaltem ad calcem ſolutionum continui Hepatici memorantur.*

QUantus ſit Jecoris, & Pulmonis conſenſus, quem quidem aliàs in mutua propriorum morborum, & ſymptomatum frequentique Epigeneſi abundè memoravimus, liquet ulteriùs ex crebra inſpectione Cadaverum, à ſuppuratione alterutrius harumce partium denatorum. Ita præ aliis exemplis plurimis, leguntur hæc in *Sepulchreto* Boneti *de Hypochondriorum tumore* Obſervat. XI. §. VIII. " J.Taſſinus cum febre aſſidua dolorem lateris

„ lateris querebatur , & ad regionem hepatis. Circa gibbum „ Diaphragmatis pars pulmonis tota in pus abierat, cujus pars „ transfluxerat in hepatis regionem „ De ſola Doloris communicatione extat Obſervatio Abrah. Verneri “ Quendam ex „ hepatis tumore laborare exiſtimabam : Cúmque dolor quo„ tidie augeretur , & duraret longiùs , hepar ipſum in pus „ converſum eſſe arbitrabar. Poſt cadaveris autem apertionem „ inveni hepar penè illæſum ; Totam verò thoracis cavitatem „ pure pleniſſimam ; ita ut de pulmonibus vix exigua portiun„ cula conſpiceretur : Ex quo ſymptomatum utriuſque affe„ ctionis tantam cognationem fuiſſe ſatis mirari non potui. „ Hîc adhuc , vel extra locum , addendum eſt ; nos in memorata Hepatici abſceſſus diſputatione ſpurias, & frigidiores hujus viſceris ſuppurationes , ſeu atheromata , ſteatomata , meliceride , aliaſque ſimiles , de induſtria prætermiſiſſe ; Tum quia crebra eſt apud Authores horumce affectuum expoſitio; ut apud ampliſſimum virum , almæque noſtræ Leopoldinæ ſocietatis celeberrimum Præſidem D. Lucam Schrockium in Ephemerid. Germ. decur. III. ann. I. ; apud Riolanum Anthropogr. lib. II. cap. XVI. ; apud Velſchium Epitagm. Obſervat. LIV. &c. Atque inſuper in altera hujus Hiſtoriæ Parte eoſdem ſatis excuſſimus : Tum præcipuè quòd nullam hi morbi curationem admittere videantur.

DE FLUXU HEPATICO.

Canones Practici.

I. FLuxus hepaticus eſt dejectio indolens humoris cruenti, ichoroſi , hoſtiarum recèns mactatarum ablutioni ſimilis , & fetidi , ab hepatis primùm intemperie , deindè & corruptione ortum ducens : Quâ conflictati appetitu ſunt proſtrato, *Fluxus Hepaticus quid ſit: ex denatorum anatome evin-*

carnes

-itur, morbum ita dictum, ab hepatis vitio ortum ducere.

carnes averſantur, delectantur vino, febriculam, aut febrem quandoque patiuntur, ſiti nonnunquam urgentur; atque ſi morbus protrahatur, ſanguinolenta interdum per os, nares, uterum, hæmorrhoides, aut cutaneos poros emittunt, & tandem non ſolùm pruritu, ſed cachexiâ, hydrope univerſali, aut ſolius abdominis, aut ſaltem gravi pedum œdemate infeſtantur; aut in conſumptionem, & maraſmum decidunt. Porrò etſi ſublatum cum Recentioribus ab hepate Hæmatoſeos officium velimus, fluxum intereà hepaticum ab Antiquis dictum, proximum affecti hujus viſceris ſymptoma, ſive ſuccreſcentem morbum accenſendum eſſe, imò ab hoc viſcere evidenter proficiſci, ſuperiùs in II. Parte Cap. IX. §. V. (ſed impensè, *fateor*, neglecto ad hunc locum dicendi ſtylo, ob creberrimam noſtram eorum, quæ ex calamo feſtinanter excidunt, reviſendi impatientiam) evincere, ac demonſtrare ſtudebamus; Idque præcipuè ex Anatome denatorum ab hoc morbo. Quippe cùm, *Jac. Bontii*, *Ballonii*, *Th. Jordani*, *& Car. Drelincurtii* (omiſſis aliis plurimis non minoris notæ Scriptoribus in idem collimantibus) Obſervationes attulerimus, quibus quidem in hominibus, brevi vel longo hepatico fluore defunctis, læſum hepar, eroſum, & putre, imò eodem, quod in vivente profluxerat, tabo, loturæ carnium ſimili diffluens, perpetuò compertum fuit, ipſumque legerimus Foreſtum, affirmantem lib. XXI. *Obſervat. XXII.* non tantùm cruenta, & aquoſa, ſed ipſam quaſi hepatis ſubſtantiam dejeciſſe eos, qui ex hoc affectu morerentur; viſum nobis eſt, nullum ampliùs quò ad hujus morbi ætiologiam, & ſedem, ſupereſſe dubitandi locum: ut quod Galenus ſub nubilo, citra cadaverum apertiones, ex unis affecti hepatis collatis phęnomenis de hujus morbi origine conjecturaverat; per exculta indè extiſpicia fuerit ab Anatomicorum ſolertia in optimam lucem collocatum.

Demonſtratur, hepaticum fluxum à qualibet

II. Intereà non deſunt qui fluxum hujuſmodi ab aliis partibus præterquàm ab hepate, quod in hoc caſu inſons reputant, deducere conantur. Ita Sylvius lib. I. Prax. med. cap. XIII. qui

qui hunc effectum ſe unquam vidiſſe negat, exiſtimat cauſam ejus in copioſo duntaxat ſero, ſanguini admiſto, & vaſa ſimul relaxante ſitam eſſe. Paulus Barbette Pract. lib. cap. VI. putat eſſe ſpeciem hæmorrhoidalis fluxus: Alii ab arteriis aut venis inteſtinalibus, ſive meſaraicis referre contendunt. Sed jam Sylvianum aſſertum quò ad originem ex ſeroſo principio ſat tenet; quò ad excretionis locum, ſat impar eſt: cùm locum hujuſmodi non explicet; nec potiùs relaxari in inteſtinis ſanguiduca vaſa probet, quàm in jecore neget: Reverà [ut ad adverſantes alios deſcendam] neque hujuſmodi fluxus internorum hæmorrhoidalium vaſorum apertioni imputandus eſt; cùm hæmorrhoidalem excretionem tenſio ad finem recti, ardor, anguſtia, dolor plerumque comitentur; teneſmi inſuper ſpecies quædam ſuperveniat; plurima ex tumore, & dolore inducta reſiſtentia clyſterum introductioni reluctetur; Purus, ſimulque craſſiuſculus ſanguis dejiciatur, alvinis fecibus non immixtus, qui vix poſt diuturnum, chronicumque morbi progreſſum palleſcit. Hæc autem intereà in hepatico fluxu non contingunt: neque ab arteriis inteſtinalibus, aut venis eſſe poteſt; quandoquidem ab inteſtinalium arteriarum anaſtomoſi, repetendus non eſt; quoniam in hac eruptione purus ſanguis floridus, atque eximiè coccineus, luciduſque effunditur; ſanguini idcircò per hepaticum fluxum ſubducto oppoſitus: neque verò ab apertis inteſtinalibus venis: nam præterquam quòd venæ non hiant in inteſtinorum cavitatem, ut anatomicarum rerum non ignaris compertum eſt, id accedit, quòd ex his, vel hiantibus ſuppoſitis, merus adhuc ſanguis proflueret. Atque, ut has omnes ex inteſtinalibus ſanguiducis vaſis ſanguineas excretiones recolligam; copia hepatici fluxus tanta nunquam deprehenditur, quanta in hæmorrhoidali, ob anaſtomoſim, hæmorrhagiâ; neque in illo, ut in hâc, tam crebra cietur dejectio: tum in omnibus inteſtinalium vaſorum aperturis ſi ſemel ſubſiſtant excretiones, non facilè redeunt, ut in hepatico fluxu. Tandem hepaticus fluxus memoratis cæteris

alia, præterquàm in hepate, & ab hepate, ſanguiducorum vaſorum in inteſtina apertione, deduci non poſſe: Atque plurima, quæ quidem frequentiora ſunt, hepaticum fluxum antecedentia comitantia, aut conſequentia, adducuntur.

multò diuturnior eſt : ut qui ad menſes, interdum & annos protrahitur, livido ut plurimùm, vel citrino colore ſtipatus: Imò indicia affecti jecoris vel anteceſſêre, vel comitantur, vel conſequuntur. Inteſtinalis excretio, quæ quidem diù manere non poteſt, appoſitis remediis facilè, brevíque cedit; hepatica verò diù rebellis eſt; quandoque inſanabilis; tum ſi narcoticis per aliquot horas ſuppreſſus interquieſcat, majori poſtmodùm ubertate recrudeſcit, ſecùs ac in meſaraicorum, aut hæmorrhoidalium hæmorrhagia. Intermiſcentur hepatico fluxui bilioſæ frequenter dejectiones, præſertim à ſomno, & prandio, febriculâ diſtinctè periodicâ, cum calore circa veſperas invaleſcente, ſiccâ interdum accedente tuſſiculâ, nonnullâ, magis minúſve doloriferâ, dextri hypochondrii intumeſcentiâ, nauſeâ, linguâ flavâ, & amarâ, ſiti, ſummâ virium debilitate, reſpiratione difficili, quandoque veluti interceptâ, vel ſingultuosâ; cardialgiâ, croceis urinis, ventris rugitibus, & flatibus, creberrimâ dejectionum mutatione, rerum omnium tædio, ſomnolentiâ plurimâ &c.

Cur hepaticus fluxus dici queat Catarrhus Hepatis.

III. Diximus prætereà in II. Parte: *Fluxum hepaticum eſſe catarrhum Hepatis*; neque inſulsè dicebamus. Et ſanè cùm hepatica hujuſmodi profuſio ſeroſa ſit, ſimulque ſanguinea, ſeu à ſero unà cum ſanguineis particulis in hepatis vaſis à communi maſſa præternaturaliter ſecedente, atque per biliares ductus ad inteſtina defluente, ortum ducat, tum ſeroſi omnes per partes corporis morboſi defluxus, ſeu *defluxiones*, ut dicitur, in genere ſub catarrhyſis, ſeu communi Catarrhorum nomine veniant, cur hepatico hujuſmodi defluxui, hepatis catarrhi rationem denegabimus? Ita ab omnibus Practicis affectus hujuſmodi ſeroſis, ſive catarrhalibus morbis accenſetur; Qui nempe in præcipuam ejuſdem curationis indicationem intendunt animos, ſeri in ſanguine & viſcere redundantis, aut facilè nimis ab iiſdem ſecedentis, atque in morboſum liquamen faceſcentis conſumptionem per aromatica & ſimilia (ut inferiùs exponemus) moliuntur, aut evacuationem per catharſim,

aut

aut à coctionum officinis, ad emunctoria varia, veluti cutanea, renalia &c. tranſvectionem, ſeu derivationem; ut hoc pacto *ſicceſcant alvini ductus*. Intereà hepaticus hujuſmodi catarrhus calidus eſt, acris, ſalſus, à venarum hepatis apicibus, à feroſiori ſanguine laxatis, in appenſa, pariterque laxiora reddita bilariorum ductuum principia neque lentè delabens, neque cum impetu ruens. Hinc quemadmodùm hepatica hujuſmodi feroſo-billioſo-ſanguinea colluvies diutiùs plerumque, lentéque protrahitur, neque acerba inducit ſymptomata; ita viſcus, quod alluit perennè, maceratque, poſt longum tempus exedit tandem, variiſque modis labefacit.

IV. Totus rei cardo eſt, hepaticam hujuſmodi (ut plures nominant) Dyſenteriam à communi dyſenteria, ſive fluxum hujuſmodi ab inteſtinali fluxu diſtinguere. Atque totum hocce diſcrimen à Galeni codicibus elicitur. Ita ille III. de Symptom. cauſ. Cap. II. poſtquàm loquutus fuerit de *ſanguineis dyſenteriis*, quæ iis, quibus artuum aliquis præciſus ſit, frequenter accidunt, tum de illis certo circuitu repetentibus in iis hominibus, qui ab exercitata priùs vita ad omninò deſidioſam ſe transferunt, alvi inſuper fluxus, vel decretoriè in acutis morbis, vel tabeſcentiæ ſive colliquationis more productos innuens, deſcendit ad bonæ, malæque intermediam excretionem, qualis eſt in ventre cibi ſemicocti; „ excernitur, *ait*, is maximè in hepaticis affectibus: vocant „ ita in quibus morbus ipſe jecoris eſt imbecillitas, licèt nulla „ ſit phlegmone adjuncta. Hoc enim caſu ſimilis paſſio viſceri „ incidit, iis quæ imbecillo ventri accidunt: Quando is qui„ dem appetit, ſed cibos quos ſibi admovet cùm non conco„ quat, iiſdem gravatur, & ſemicoctos ad inteſtina demittit. „ Eſt autem hujuſmodi excretionis ſpecies (veluti etiam eam „ aſſimilarunt qui ante nos fuere) maximè ſimilis carnium „ loturæ: præſtiterit autem fortaſſe non ita ſolùm dixiſſe, ſed „ quò exactius ſit exemplum, cruentarum atque recenter ene-

Quomodo fluxus, hepaticus dictus, ab aliis omnibus ſanguinolentis alvinis fluxibus diſtinguatur.

„ ctarum, ſermoni addidiſſe. Quin etiam ſi quis quod itaex-
„ cretum eſt, aquoſum ſanguinem nominet, ſic quoque mihi
„ illud clarè interpretari videtur „ & paulò inferiùs hæc adjicit à memoratis deducta. “ Cæterùm differentiæ ſanguino-
„ lentę excretionis quatuor in univerſum ſunt, quatuor ſuc-
„ cedentes affectibus: Una quidem ipſius ſanguinis in iis, qui-
„ bus artuum aliquis eſt abſciſſus, vel qui exercitationem di-
„ miſerunt, per circuitum repetens: Altera cùm ex imbecil-
„ litate jecinoris aquoſus ſanguis dejicitur, quem utique lo-
„ turæ carnis aſſimilant: Tertia, quæ mox dicta eſt melan-
„ cholici ſplendentiſque ſanguinis: At hæ quidem tres ut mul-
„ tum ſimul excernatur efficiunt. In quarta & minutim, &
„ exiguo tempore expulſio facta viſitur, aliàs quidem veri
„ ſanguinis, aliàs concreti. In hac & puris non rarò exiguum
„ aliquod excernitur: etiam ulcerum cruſtulæ, quæ græcè
„ *ephelcides* dicuntur: prætereà membranoſa quædam corpora,
„ quæ inteſtinorum ipſorum ſunt particulæ: ſed & ſtercus ſu-
„ per his collectum ſæpenumerò excernitur, ſanguinis in ſe
„ guttas habens. Quartæ autem, de qua modò egimus, in-
„ teſtinorum exulceratio eſt affectus: quam etiam ſolam non-
„ nulli dyſenteriam nominandam cenſent „ Jamque ex his doceri poſſunt medentes cùm cauſam hepatici fluxus dignoſcere, tùm hujuſmodi fluxum ab aliis ſanguinolentis fluxibus interſtinguere, præcipuè ab illo tertio Galeni *melancholici ſplendentiſque ſanguinis*, qui nempè ab apertis ut plurimùm internis hæmorrhoidibus proficiſcitur; atque inſuper à quarto, qui propriè dyſenteria atque inteſtinalis fluxus nuncupatur.

Rurſus ex Galeni aliorumque Hippocratis Interpretum ſententia diſcriminatur fluxus hepaticus

V. Sed ab his ulteriùs hepaticum fluxum idem author aliis locis, aliiſque argumentis diſcriminat. Quippe *VI. de loc. affect. Cap. II. De inteſtinorum affectibus dignoſcendis* de inteſtinali dyſenteria loquens hæc tradit “Neque repentè, & affatim
„ fit hujuſmodi affectus (id quod in eo, quem hepatis vitio
„ accidere diximus, fieri ſolet.) atque proprias etiam habet notas.

„ notas. Etenim protinùs ab ipſius initio, bilis mordax ſecernitur, quam deinde interaneorum abraſiones ſequuntur, poſtea paulùm cruoris ſimul excerni videtur, quando videlicet affectus ipſe jam dyſenteria eſt &c. Atque hujuſmodi dyſenteriæ ab iis, quæ ab hepate profluunt, ita diſcernuntur. „ Nam ab initio tenuis ſanies ſanguinis ab hepate dejicitur, deinde aucto malo craſſus humor, fecibus vini non abſimilis: „ præterea in hepatis excretionibus nihil abraſum expellitur: „ atque interdum duorum aut trium dierum intervallo ſupprimitur evacuatio, deinde rursùs redit malum, atque excernuntur excrementa prioribus multò pejora. Id verò per „ inteſtinorum ulcera haudquaquàm apparet: Quippe in iis „ neque affatim, neque ex longis temporum intervallis laborantes dejicere conſueverunt „ Superiùs, ſeu *V. de iiſdem locis affect. Cap. VII.* Poſtquàm hæc attulerit: *quum igitur alvi ſedimina aquæ, in qua nuper mactata caro abluta eſt, ſimilia eſſe videritis, efficaciſſimum hoc vobis ſignum ſit affectionis hepaticæ*, & plurima ſuperioribus ſimilia tradiderit, tum fuerit effatus, *incipere interdum affectum ob frigidam intemperiem citra febrim; quando tenuis ſanies ſanguinis excernitur; deinde tractu temporis, dum ſanguis in viſcere corrumpitur, febrem ſupervenire ſolere*, atque imperitos clinicos hanc ſæpè negligentes, malâque victus, ac remediorum ratione utentes increpaverit; tandem *medicorum errans vulgus* inſimulat, *quòd hunc affectum putet eſſe dyſenteriam*: ſub eodem capite fluxus hujuſmodi, à jecoris imbecillitate progenitos, dirimit ab his plurimis, qui à plenitudine, ipſoque viſcerum robore excitantur, integrâ quidem plerumq; in omnibus exiſtente valetudine, plerumque verò parte aliquâ non hepaticâ morbum patiente; ut quæ hujuſmodi evacuationes ſub nomine *cruentarum dyſenteriarum* evenire ſolent in iis, qui membro aliquo, ut ſuprà, mutilati ſunt, aut in exercitatione educati, ſe ad otium converterint, aut in vegetis fœminis, quibus menſtrua defecerint. *In his quidem*, annotat Galenus, *ſincerus ſanguis excernitur, ſimilis ei, qui ab hoſtia inter-*

dictus ab aliis omnibus alvinis excretionibus; præcipuè verò à genuina dyſenteria. Refutatur diſtinctio hepatici fluxus in legitimũ, & ſpurium.

 fectæ

fecta profundi conſuevit. De cætero inter prima ſingularis doctrinæ, conſummatæque experientiæ pericula, quæ Romam conveniens Galenus ad ſummam famam comparandam protulit, illud certè fuit, quo ad ſiculum Medicum, pleuritide ſe detineri putantem, accitus, hepaticum vigere fluxum à dejectionum conditione detexit, atque ex hoc fluxu certiſſimum jecoris affectum magnâ cum adſtantium admiratione revelavit. De peculiari verò hepatici fluxus ratione hæc habet Foreſtus *in ſchol. ad Obſervat. XXIV. lib. XXII. de profluviis alvi* " Fluxus hepaticus etiam ſumitur pro quoquis fluxu humorali ab hepate „ proveniente, ſive fuerit à bile, ſive à fece melancholica. Sed „ quando eſt *ſanguineus lotivus* ex debilitate hepatis, tunc pro„ priiſſimè vocatur hepaticus: minùs propriè ſi ab aliis humo„ ribus, vel vitio hepatis, vel apoſtemate hepatis fiat „ ut ideò qui vulgò hepaticus fluxus dicitur, fluxus propriè ſit ab Authoribus *lotivus ſanguineus* dictus. Raym. Joh. Fortis cum aliis pluribus diſtinguit hepaticum fluxum in legitimum, & ſpurium; Primum ſcilicet, in quo dejectio reverà cruenta eſt: alterum in quo tantùm chyloſa: ſed nos qualemcunque non cruentam dejectionem ab hepatici fluxus ratione ablegando, ſentimus cum Fernelio, chyloſam dejectionem cæliacarum paſſionum familiæ eſſe adoptandam. Neque arridet nobis alia Sennerti diſtinctio; qui nempe legitimum dicit, ſi crudus ſolùm ſanguis, ſpurium, ſi corruptus dejiciatur.

Hepaticus fluxus quando criticus eſt, & quãdo ſymptomaticus, undè prognoſis ratio eliciẽda: & primùm de Critico, cujus ſæpè nõ per alvum via eſt, ſed per vomitũ.

VI. Quemadmodùm igitur ſanguineæ in genere dejectiones, quæ quidem in praxi non infrequentes offeruntur, diſſimilis aleæ ſunt, viam nempe nunc bonis, nunc malis ægrorum rebus ſternentes; ita hepaticus in ſpecie fluxus modò ſalutarem ſe præbet & criticum; modò malus eſt; interdum etiam & lethalis. Criticus hepaticus fluxus declaratur ab Hippocrate in Coacis: *Quibus hepati dolor, hi ſanguine per alvum egeſto ſervantur, non autem egeſto moriuntur.* Intelligit Senex egeſtionem ſanguinis per alvum ab hepate, gravi quidem,& peracutâ, aut acutâ affectione obſeſſo, ſed adeò viribus pollente, ut

ut valeat morbificam cauſſam expeditè excutere, atque per proprium excretorium ductum, ſive cholidochum, ad inteſtina propellere. Hæc autem egeſtio, ut ſalutaris ſit, in morbi ſtatus principio, ſeu ante, aut circa ſeptimam (veluti ſuperiùs in *phlegmone hepatis* de critico ſanguinis per nares profluvio effati fuimus) obtinenda eſt: Tardiùs habita, aut viſceris inclinatis jam viribus ſupervenit, hinc perperam à natura regitur; aut etiam, vigente adhuc jecoris robore, organica eidem læſio inducta, aut fortis intemperies jam eſt, ut criticam quomodolibet indolem hujuſmodi excretio redolere non poſſit; imò affectiones aliæ ſub eadem evacuatione naſcuntur. Quod quidem animadvertit Galenus VIII. de Compoſit. medicam. 5. loc. Cap. VI. „ Exactâ concoctione fruſtratâ, hepaticis ſangui- „ nolentus humor per alvum excernitur talis conſiſtentiæ, ve- „ luti ſi quis ſanguinem cum aqua confudiſſet: & plerique ſanè „ Medici imaginem ejus depingentes ſcripſerunt, talem ejus „ compaginem eſſe, velut ſi quis victimæ recèns mactatæ car- „ nes aquâ lavaſſet. Et plurimæ hepaticæ affectiones ab hujuſ- „ modi excretionibus initium capiunt, nondum magnam de- „ bilitatem hepate habente. Auctâ autem affectione nihil am- „ pliùs tale excernitur, ſed multiformes aliæ qualitates, & „ compages, velut à ventre ex cruditate laborante „ Ita etiam V. de loc. affect. Cap. VII. criticas hujuſmodi ab hepate aut ſimiles, remediorum ope à robuſto jecinore elicitas dejectiones indicare videtur " Atque ut in hepaticis affectibus (quamquàm raro) medicamentorum auxilio, robuſtiore evadente „ jecinore, interdum dejiciuntur excrementa tum colore, tum „ odore peſſima, expurgante ſe ita viſcere: ſic eodem modo „ urinæ quoque deteriores redduntur, quibus imperiti Medi- „ ci nonnunquam decepti, gravis morbi periculum ſubeſſe arbitrantur „ Interdum criticum hujuſmodi ſanguinis hepaticum fluxum, per aliquam cauſam à progreſſu per inteſtina impeditum, per vomitum determinari obſervavit Baglivus; cujus quidem textum, cùm indicia genuinæ eruptionis ab hepate,

ac ſatis appoſitam, pro fluxu hujuſmodi per humiliores, ſeu inteſtinales partes promovendo, remediorum adminiſtrationem complectatur, in medium afferre oportet "Errant qui putant
„ omnem ſanguinem vomitu ejectum venire è pulmonibus.
„ Venit à jecore, liene, utero, capite, & frequentiſſimè ex
„ ſuppreſſione menſium, & tunc non eſt timendus; Nam mu-
„ lierculis familiaris eſt: Signa quando venit ex hypochon-
„ driis, potiſſimùm jecore, ſunt, palpitatio hypochondrii, do-
„ lor, ardor, tenſio; Signa obſtructionum, color ſubflavus,
„ viridis in facie, aut reliquâ cuti, palpitatio cæliacæ, aut
„ umbilici: Vomunt ſanguinem nigrum, non verò ſpuman-
„ tem. Motus ſanguinis ab hypochondrio venientis manifeſtò
„ percipitur, & ſursùm aſcendere manu percipitur, quod in
„ ſuo ægrotante obſervavit Ballonius. Juvenibus familiaris eſt
„ hic exitus loco hæmorrhagiæ. In hujuſmodi ſanguinis vomitu
„ ex jecore, adſtringentia non juvant: ſed primæ viæ à ni-
„ mia colluvie purgandæ, quæ viſciditate ſuâ obſtructionem
„ in vicinis locis pariendo, ſanguinem ad ſuperiora regurgi-
„ tare faciunt: Purgandæ autem decoctis, ſeu apozematis
„ aperientibus, & ſolventibus, cum tamarindis, myrobalanis
„ & deinde chalybeatis perficienda curatio.

De fluxu hepatico ſymptomatico, ejuſque prognoſi: Tum quomodo dyſenteria hepatis ſanguinea, ſive hepaticus propriè fluxus, ab hepatica biliari dyſenteria diſtingui debeat.

VII. Sed hepaticum ſymptomaticum fluxum innuit Hippocrates in Coac. *In alvi proluvie prærubra dejectio, pravum.* Cùm enim Præceptor non loquatur in hoc textu de ſubita, liberaque ſanguinis per alvum, firmis viribus, egeſtione, hepatis dolori, citra ullam prȩviam diarrhœam, ſuperveniente, ut loco ſuperiùs indicato loquutus eſt, neque de fluxu pallidi ſanguinis, ſeu mixti cum ſero, ſeu, ut ſuprà, *de lotivo ſanguineo*, ſed de ejectione *prærubri* ſanguinis, qui nempe non ſolùm meracior eſt, ſed inſuper fervorem nimium, aut vaſorum viſceris ex atonia, laxitatem, aut ruptionem indicat; tum inſuper ingentem alvi ex diarrhœa exundationem (*in alvi proluvie*) præceſſiſſe, ac comitari declaret; idcircò hujuſmodi alvi proluvies ita à Dureto explicatur. "Proluvies alvi prærubra, certiſſi-

„ certiſſimum eſt argumentum labefactatæ naturalis œconomiæ, „ & hepatis multùm effœti ſoboles. Et alio loco. „ Prærubra id- „ eſt ſaturata rubro colore à ſanioſo ſanguine, quem conti- „ nenter fundit hepatis atonia, facitque dyſenteriam hepaticam „ vulgò dictam „ Diſtinguenda autem eſt dyſenteria hepatica ſanguinea à dyſenteria hepatica biliari inferiùs deſcribendâ: Prima, ſeu fluxus propriè hepaticus bilem, aut alium humorem quemlibet, & ſerum præcipuè, in hepatis vaſis ab aliis communis maſſę partibus disjunctum, non ſolùm ſanguini immixtum, ſed in minimis particulis omnibus intimiùs confuſum devehit: Altera bilem excernit non integrè ſuffuſam ſanguine, ſed cum eodem variegatam, *ut dicitur*; ut hoc pacto partes ſanguinis, parteſque bilis interſtingui non difficilè queant. Sed hęc ab illa per doloris, atque mordacitatis rationem in primis diſcriminatur. Nam rubida hujuſmodi ab hepate proluvies plerumque ſine ullo dolore, aut irritatione procedit; præterquàm quòd duos, aut tres dies aliquando intermittit, mox deteriùs recrudeſcit. Quod quidem in bilioſa diarrhœa non contingit. Intereà bilioſa diarrhœa diutiùs provecta, in hepaticum fluxum perſæpè faceſſit: ut videre eſt in *Raym. Ioh. Fortis conſult. & reſponſ.* Medic. Tom. I. cent. III. *Hollerius verò de morb. intern. Lib. I. Cap. XXXXV. in ſchol.* poſtquàm attulerit ſanguineam dejectionem in fine quartanarum febrium, in morbis à melancholia, & aliquando in peſte, non eſſe malam, per ſequentia verba ſymptomaticum, imò lethalem, hepaticum fluxum indigitat " Si ſanguis aquoſus fluat, tertia eſt dyſenteriæ „ impropriè dictæ ſpecies. Nonnullis etiam *letivus fluxus* dici- „ tur. Læſo hepate, ruptâ aut apertâ venâ ſanguis niger, velut „ craſſum atramentum, deindè rubens aliquando excernitur, „ & moriuntur; Quales duos ipſe vidi: Uterque vix ſentiens „ periculum, animi deliquio paulatim extinctus „ Reverà hepatici hujuſmodi fluxus, craſſiores, diutiùs protracti, atque colore & conſiſtentia identidem variantes, præcipuè qui in nigredinem vergunt, cùm certè in vitio organico hepar eſſe

Nnn teſtentur,

teſtentur, funeſti ut plurimùm evadunt, clanculùm, ſubdoléque affectum hominem exterminantes. Ita mihi perſæpè obſervare contigit; clariſſimuſque Guidettus noſter quatuor ejuſcemodi dejectionibus correptos ægros obſervavit, quorum tres vitâ functi ſunt, quartus Taurini degens multâ certè fortunâ ab orci faucibus evaſit: In genere diuturnior hepaticus fluxus malus ſemper eſt; qui celer, breviſque, ſalutaris eſſe poteſt. Ita Duretus in *Coacis* fol. mihi, 206. " Omnis cruenta dejectio je-„ cori accepta refertur: ſed periodica & fugax virtute illius „ fit: perennis autem, torminoſa, carnium loturę ſimilis exo-„ luti viſceris, penéque dixerim, emortui ſyllogiſticum eſt ſignum:„ Sed cùm Duretus fugacem atque periodicam cruentam dejectionem pro critica conſideret, concludamus jam, ſymptomaticum omnem hepaticum fluxum malum eſſe, ad cachexiam, hydropem, tabem, & mortem, ex Hipp. Gal. omniumque Antiquorum ſententiâ, ducentem.

Indicationes in genere, ad hepatici fluxus curationem elicitæ.

VIII. De Hepatici fluxus curatione quædam primùm in genere memorari poſſunt. Et ſanè ſi criticus ejuſcemodi fluxus ſit, erit ſibi relinquendus; Si verò ſymptomaticus, læſio peculiaris hepatis, undè ille nanciſcatur originem, reſpicienda, eaque propriis præſidiis, per hanc Hiſtoriam ad debita loca deſignatis, oppugnanda: ſi Hepaticus diuturnus fluxus comitem aliquam, aut præviam, in jecore aliiſve viſceribus obſtructionem, aut impuri humoris plenitudinem teſtetur, illa ſunt auxilia præmittenda, quæ iſta à peculiaribus cacochyliis, impuriſque ſtimulis expedire valeant, aut etiam univerſale ſanguinis, aut ſolidorum vitium emendent; quòd ſi jecoris laxitas, atque imbecillitas oppugnanda ſimpliciter ſit, ab evacuantibus abſtinendum eſt; atque ad roborantia remedia, & ſuaviter adſtringentia, ut quæ ex Croco martis adſtringente, aliiſque ſimilibus chalybeatis, aut herbis vulnerariis alpinis parata tonum partium firmando, laxantes ſimul cauſſas, per diureſim, aut vias alias ſubducere, aut etiam ſimpliciter invertere videntur, citò, tutóque confugiendum eſt. Ita ex præcedenti Bagli-

vii

vii loco, atque ſequenti hepatici fluxus exemplo plura, optimaque, quæ quidem ſpecialem curationem adimpleant, haurire clinicus quiſque poterit, Præter ea, quæ ex quibuſdam ſelectis authoribus ad omnes hujuſce curationis adimplendas partes complexuri jam ſumus.

IX. Et ſanè *Martinus Carceus* ſub auſpiciis celebris *Car. Drelincurtii* haſce in ſpecie ſuper hepaticum fluxum quinque curativas indicationes proponit. Videlicèt Primam: *Copioſum ſanguinis ſerum diminuendo, juſtam ſanguini conſiſtentiam conciliare:* Alteram: *Hepar nondum* corruptum roborare: Tertiam: *idem à corruptione præſervare, atque cadaver*, ut ait, *hepaticum condire:* Quartam: *in regeneratione corrupti naturam juvare:* Quintam denique *Patientem convenienter cibare.* Cùm veròillioſa ut plurimùm cacochymia, obſtruentes ſucci, aliæve in hepate impuræ plenitudines præcedant hunc morbum, aut comitentur, idcircò ſi purgandi locus ſit; primæ indicationi ſatisfacient non quidem hydragoga ſimpliciter remedia; ſed commodiùs cholagoga; quæ quidem, præter ſeri in hoc morbo redundantis evacuationem, inquilinos hepatis depravatos humores ſubducunt; hęc inter ſeligenda ſunt, quæ corruptionem valentiùs arcent, ut aloëtica; atque inprimis quę cum catharticâ, adſtringendi ſimul, roborandique facultatem obtinent; ut rhabarbarum myrobalani &c.: in fervidiori morbo pulpa tamarindorum uſurpatur; atque cum intenſiori febre caſſia cum rhabarbaro, vel ſola, & plurima, longis aſinini, aut caprilli lactis ſeri copiis diluta. Alteram explet memoratus ſcriptor indicationem per extracta abſinthii, cardui benedicti, ariſtolochiæ rotundæ, centaurii minoris, per conſervas roſar. rubr. acetoſ. trifol. acetos., per condita enulæ campanæ, cydoniorum, nucis juglandis (quibus addunt alii mixturas varias ex ſpec. aromat. roſat. triaſantal. nuc. moſch. macis, maſtich. ſemin. ſanguinariæ, & plantaginis, Trochiſc. de Carabe, & de ſpod. balauſt. menth. ſyrup. de myrtillis, de roſis ſiccis, abſinthium, marrhubium, myrobalan. citrin. condit. ſpec. diarrhod. abb. &c.)

Indicationes in ſpecie ad hepatici fluxus curationem: Et primùm ex ſchola Drelincurtiana.

 Tertiam,

Tertiam, & quartam indicationem (quæ quidem eódem redeunt) abſolvit author Balſamicis, atque in primis balſamo quodam terebinthinato, & gummoſo ex deſcriptione Penoti, & Petri Aponenſis; tum inſuper traumaticis ex vegetabili regno, aut etiam minerali, aut animali elicitis; qualia ſunt radices ſymphyti, angelicæ, ariſtolochiæ rotundæ, filipendulæ, imperatorię, biſtortæ, tormentillæ, caryophyllatæ: Herbæ & folia equiſeti, centaurii minoris, plantaginis, millefolii, pentaphylli, hyperici, verbenæ. Cortices & lanugo florum ſalicis &c. ſanguis Draconis, ſarcocolla, terra ſigillata hæmatites, & cornu cervi. Quibus quidem non tantùm depurare ſanguinem intendit, ſed inſuper tenuem ichora, hepaticæ carnis functionibus, aut, ſi deperdita eſt, generationi nocentem removere; ſic plenum ferre naturæ ſubſidium. Poſtremam indicationem excipiunt alimenta morbo decrementum, ægro virium augumentum adferentia; quæ quidem nec ſimpliciter aperientia, nec ſolùm ſtringentia ſint, ne illis ſanguis copioſiùs proliciatur, his verò delinquenti ſero præcludatur via. Laudantur Amygdalata, & hordeata conſiſtentiæ ſpiſſioris, quàm emulſiones; Paſta analeptica ex carne teſtudinum nemoralium, cancrorum fluviatilium, caponis, perdicis, cochlearum, ex hepate gallinarum, anſerum. Præſtant pullorum teſtes, aromatibus variis conditæ teſtudines, pręcipuè alimenta ſpecialiter ad hunc morbum medicamentoſa &c. Paſſulę magnis laudibus extolluntur. Aqua pro potu chalybeata ſit; vino ſobriè utendum, ne ab hoc ſanguinis fluxus augeatur.

Curatio hepatici fluxus ex aliis Autoribus.

X. Lucas Tozzi *in altera Medicinæ parte* tradit "Curari „ hepaticum fluxum per antidyſenterica admiſta cum hepati- „ cis, quæ ſcilicet roborent, & calefaciant. Hepati lupi ple- „ rique magnam vim in hoc affectu tribuunt, illudque variè „ præparatum exhibent. Sunt qui aquam ex illo cum aliis ſim- „ plicibus commiſto per alembicum eliciant: alii electuarium: „ alii pulverem. Apud *Prævotium* deſcribitur electuarium è ra- „ dice conſolidæ majoris, & ſaccharo roſ. quod expertum dicitur.

„ citur. At aromata quocumque modo exhibeantur, optima „ erunt, cinnamomum, galanga, piper, zingiber, caryophylli, „ cubebe, horumque eſſentiæ, ſpiritus, aquæ. Vinum abſin- „ thites, aliudve, è ligno guajaco, cinnamomo, & pipere „ conditum: conditurę, & electuaria è baccis Juniperi, uvis „ paſſis, nuce odorata, cęteriſque etiam proficient. Hydro- „ tica moderatè ſumpta à nonnullis commendantur ad ſuper- „ abundantis ſeri evacuationem. Tutiora verò videntur diure- „ tica, & ſudorifera, quæque alcali plurimo conſtant. Vitan- „ da autem ſunt humectantia, cathartica valentiora, acida, „ pinguia, oleoſa. Narcotica ſi moderata fuerint, & cum ro- „ borantibus miſtâ, pro rata ſua quoque proderunt. „ Hucuſq; Tozzius. Ab Hepate lupi (quod quidem primus pro ſpecifico hujus morbi remedio decantavit Galenus) diſtillatam aquam elicit Ludovicus Mercatus, cui quidem diſtillationi addit ſanguinem teſtudinum, pul. ſantal. omnium, ſchenantum, eupatorium, raſuram eboris, & cornu cervi, terebinthinam abietis, aromata plurima, ac confectiones in ſpiritu vini ſolutas, vinum album & rubrum &c. vide hanc deſcriptionem cùm apud Authorem tùm in Sennerti Pract. lib. III. Part. II. ſect. II. Cap. VIII. Raym. Joh. Fortis *Conſult. & reſponſ. Medic.* Tom. I. Cent. III. affert, Thermales aquas, & potiſſimùm Villenſes, egregiè huic morbo mederi, ratione ferri, & aluminis, quibus iſtæ conſtant. In hoc inſuper affectu, cui comitem ſe addat ingens hepatis fervor, ſeu calida intemperies, commendat ſuccum cichorei, & ſonchi in decoc. endiv. acetoſ. plantag. portulac. & hepatic. atque inſuper tinctur. corall. ſolutam in aqua diſtillata ex tenerrimis quercus foliis. Pro potu nucerianam aquam, terrę Samię virtute prędita cùm ſit, lubenter adhibet. Galenus in contumaci hoc fluxu Philonium Romanum per intervalla imperat. Schenckius ligni cydonii ebullitione cum carnibus utitur. Nos conducere ſæpè vidimus in hoc affectu, univerſalibus pręmiſſis, opiatam Salomonis, ex Pharmacopœa Lemery, tum agrimoniæ prępa-

rata omnia, cujus uſum à Joanne Michaële Fehr didicimus. Optimam pariter hujuſce morbi curationem vide apud Petrum Foreſtum Obſervat. XXI. lib. XXII. *De Alvi Profluviis.*

HISTORIA SINGULARIS HEPATICI FLUXUS,

Cum malè morata Febre, aliisque ſuccreſcentibus Morbis, atque diris Symptomatis.

„ CAſus mihi curandus contigit, à quo quisque & diſcere
„ poterit in morbis levibus fidendum non eſſe. Correptus
„ febre tertianâ ſimplici, atque levi jacebat uxoratus quidam
„ ann. 26. temperamenti calidi, & ſicci, qui prævia purga-
„ tione, digeſtivis curabatur, à quibus febrem mitiorem fieri
„ propè ſeptimum circuitum poſſe, ſperandum videbatur. In-
„ tereà ex adverſo in ſeptima ejuſcemodi judicatione nullum
„ exitiale fuit ſymptoma, quod illum non moleſtaret: Deli-
„ rium cum convulſivis motibus, febris intenſior con-
„ tinua, vigiliæ adduxerunt patientem in vitæ diſcrimen; nec
„ æger jam ultrò ille erat, qui ſub ſexto paroxiſmo videba-
„ tur. Quâ de re exhibito Peruviano cortice, extracto à venis
„ ſedalibus ſanguine, veſicatoriis in cruribus, cucurbitulis uni-
„ verſim admotis, emulſionibus ad ſatietatem cum ſale pru-
„ nellæ propinatis, ac ultimò pipionibus deraſo vertici ap-
„ poſitis, delirium ſedabatur ſub undecima, & febris mitior
„ deprehendebatur. Sed duodecimâ, ſpecies hepatici fluxus
„ ſubitò emergebat, ſcilicet ſinceri ſanguinis per alvum de-
„ jectio ultra ſex librarum pondus, quatuor horarum ſpatio,
„ quâ quidem extremum ſpiritum effundere videbatur. Tunc
„ gelatinam C. C. tincturam roſ. rub., conditum ex rhabarb.
„ uſto, ſpec. trium ſantal. margarit. præparat., bol. armen. ma-
„ cis, theriac. tinct. corall. ſucc. cydon. cum ſaccharo roſat.
„ frequenter ſumendum, nec non ptiſanam ex hordeo, & ali-
quot

„ quot cochlearia vini rubri auſteri, præmittenda duxi; quibus hepaticus conſtitit fluxus, quievitque omninò delirium „ in decima octava: Quâ die novum iterùm ſymptoma, ſcilicet lienterica diarrhœa apparuit, quâ quidquid aſſumebatur, „ parum, aut nihil alteratum ſecedebat, comite ſanguinis ſputo cum tuſſi, febre continuâ, lentâque redditâ; jamque ſigna imminentis hecticæ plurima & manifeſta aderant. Exhibitis igitur aliquot granis maſticis continuatâ gelatinâ C.C. „ cum tinct. corall. & theriaca, atque applicato emplaſtro de „ cruſta panis *Montagn.* ſupra ſtomachum, vinoque rubro generoſo cochleatim propinato, tandem vigeſimâ ſeptimâ iterùm meliùs ſe habuit, ſolâ febre continuante. Factâ tunc „ temporis alvo durâ, expiatis in meſenterio, & liene nonnullis tenſionibus, ad uſum conſerv. paſſular. cum rhab. „ Etmulleri illum adduxi. Dehinc juſculum ex decocto teſtudinum, & ranarum cum aliquali portione pul. radic. „ chin. & cortic. chinæ-chinæ per 40. dies continuandum „ mandavi. Quibus omnibus ad unguem ſervatis perfectè convaluit „ *Ex animadverſionibus* Carol. Ant. *Alidii* Medici Laudenſis: Quæ quidem eſt nuperi ejus Operis ſexageſima quinta.

DE FELLEÆ VESICULÆ MORBIS APPENDIX.

Atque in hac Canones Practici.

I. PLurima quidem, & fortè nimia ſupereſſent dicenda, ſi illas omnes hîc loci Fellei Folliculi affectiones recenſere inſtituerem, quæ aut ab univerſalis humoris, ſeu ſanguinis, aut à liquidi ſpecialis, ſeu contentæ biliaris ſubſtantiæ, aut à ſolidi, ſeu propriæ texturæ vitio prodeuntes, triplicem jam, atque unamquamque vaſtiſſimam, morborum claſſem

Morbi folliculi fellei triplicis generis ſunt: Primi quidem à vitio communis fluidi, ſeu ſanguinis:

Alteri ab errore privati, ſeu inquilini liquidi, quod nempe bilioſum eſt: Tertii autem ab ipſo veſiculari ſolido. Et hîc primùm de primis, & alteris ejuſcemodi morbis.

claſſem adimplent. morbi veſicæ biliaris ab irriguo ſanguine emergentes tot ſunt, quot in aliis hominis partibus obverſantur: Inflammationes, abſceſſus, eroſiones &c. Inflammatio ſui generis felleæ cyſtidis, ſive hæc *atro ſanguine turgens* exhibetur in Obſervat. XXXVIII. §. III. Lib. III. Sect. XIV. *Anat. Practic.* Cl. Boneti; Abſceſſus cyſtidis fellis, pugni magnitudinem æquantis, prope jecinoris cava pus eructans. Ex Lamoniere *De dyſenterico fluxu.* Cap. I. Eroſio nobis aliquando comperta fuit in homine, cholerâ morbo denato, cum bilis in abdominis cavum effuſione. De ulceribus hujus folliculi cum purulenta in eodem collectione traditum eſt ſuperiùs II. Part. fol. 139. & 140. Sed in his, veluti rariſſimis, propriâ diagnoſi obſcuris, atque inſuper utplurimùm inſanabilibus non ultrà immorari continget. Deſcendentes itaque ad frequentiores hujus excipuli morbos qui nempe à proprio liquido ſunt, ſeu ab introducta bile; quis, queſo, tantas illas in hac parte vitiatæ bilis recognitas à medentibus ſpecies annumerare poſſet, quæ quidem quemadmodùm in plurimis morbis primigeniæ cauſæ naturam induunt (ut totâ hâc Hiſtoriâ perſpicimus) ita in aliis penè omnibus, etiam non bilioſis affectibus facillimè producuntur (cùm ut aliàs indicavimus, nullus ſit penè humani corporis morbus, quem aliqua bilis depravatio non comitetur, aut eidem non ſuccreſcat) ſingulæque in hoc folliculo Anatomicorum oculis ſe porrigunt? Ita celeberrimus, & ſtrenuus cyſtidis felleæ, aliarumque omnium humani corporis partium indagator Veſalius *in examine obſervationum Fallopii* hæc tradit. "Longum ſanè eſſet ea, quæ in quibuſdam tertianâ, & quartanâ laborantibus, & dein ſuſpendio, aut capite plexis, in furiis, & maniâ obſeſſis, in melancholiæ morbo affectis, ex variis febrium, (quæ continuæ fuerunt, & rigorum, & ardorum inordinatos circuitus faciebant) generibus extinctis, fœdo ictero, eoque vario vexatis, malo habitu diù preſſis, & dyſenteriâ cruciatis, ſubindè reperi, modò commemorare: Sive ſcilicèt hîc inſignem bilis nunc flavæ,

nunc

„ nunc atramenti, quo ſcribimus, in modum atræ, ſive albi-
„ cantis propemodùm colorem (qui ferè conterminas partes
„ infecit) ſive fluidam, aut luti modo, aut unguenti cujuſ-
„ dam ex farinis, & melle, & terebinthina apparati ritu con-
„ ſiſtentis ſubſtantiam, ſive varias calculorum effigies, ſive
„ bilis veſiculæ molem inſtar duorum pugnorum ob conten-
„ ta tumidam, ſive omnis bilis defectum recenſerem. Quæ
„ omnia me de hujus veſiculę natura adhuc magis, quàm
antè habent ſollicitum. „ Hęc igitur Veſalius. Hinc in Theophili Boneti *Sepulchreto*, ſeu *Anatomia practica ex cadaveribus morbo denatis*, aliiſque Obſervationum operibus fusè illa omnia colliguntur, quæ circa malam cyſticæ bilis in colore, conſiſtentia, mixtura, quantitate, ſapore, aliiſque qualitatibus habitudinem in extiſpiciis hominum per varios morbos defunctorum deprehenſa ſunt, quę nempè hanc bilem vel efferatiorem in variis calidis morbis, hinc colore ſaturatiorem, imò viridem, porraceam, æruginoſam, atram &c., atque inſuper amariorem, acrioremque reſpiciunt; vel in frigidis inertiorem, ſicque in icteris aliquibus ſæpè ſeroſam, & vix flavam, in cachecticis, aut hydropicis magis adhuc aquoſam, pallidiſſimam, interdùm prorsùs inſipidam, dulcique proximam &c., ut ipſe ab his in pręſens recenſendis ſuperſedere poſſe exiſtimem: Eò pręcipuè quòd ad biliares in viventibus debellandos morbos, non ad ſuperſtites lethalium morborum oſtendendas in denatis exuvias; ſeu ad vivæ, ac depręliantis, non mortuæ jacentiſque bilis exhibenda indicia, prænunciandas pravitates, atque eliciendas emendationes noſtram hîc totam operam impendimus. Cùm verò calculi, in felleo folliculo ex limoſa, ac tartarea bile progeniti, in eoque ſtabulantes, frequentium, & contumacium morborum origines ſint; neque ſuccreſcentes hujuſmodi affectus deleri unquam poſſint, niſi præcognitâ horumce extraneorum corporum præſentiâ, iiſque ab hoc latibulo, quantùm quidem ars poſſit, deturbatis; Cyſticorum ideò calculorum diagnoſis, atque curatio pro practico hoc noſtro explendo

Ooo inſti-

inſtituto ad calcem eſſentialium morborum Hepatis ſupererunt præcipuè diſcutiendæ, antequàm ad alteram morborum Hepatis claſſem, ſive ad ſymptomaticos progrediamur.

De cyſtis felleæ calculorum differentiis, coloribus figuris: Et quinam eorum aquæ immerſi ſubmergantur; quinam verò ſupernatent.

II. Priùs verò quædam de cyſticorum hujuſmodi calculorum differentiis, coloribus, figuris, compoſitione, aliiſque habitudinibus à nobis peculiariter obſervata, innuere obiter liceat, quæ fortè ad practicam rem non minùs conducent. Calculi veſicæ felleæ duplicis generis ſunt; alii nigri, flaveſcentes alii: His mediorum colorum cæteri quilibet, ut albidi, ſubvirides cærulei, plumbei, æruginoſi, aut pluribus coloribus variati &c. reduci facilè poſſunt. Nigri nunquam perfectè cuboidei viſi ſunt, ſeu ſex lateribus præditi, quidquid aliqui aſſeverent: Tetraedri ut plurimùm deprehenduntur, ſeu quatuor triangulis æquilateribus, & æqualibus circumſcripti: Pauciſſimi ad cuboideam irregularem figuram accedunt: diverſâ magnitudine pollent: Aliquos interdum vidimus milii, alios lentium molem non ſuperantes. Quandoque mediocris unguis diametrum æquantes. Flaveſcentes verò calculi non quidem tetraedram, ſed ſphæricam plerumque aut ovalem affectant figuram, qui tamen interdum in minores ſeu componentes alios, irregulari figurâ præditos, non difficili negotio abrumpuntur. Quòd ſi angulosam nanciſcantur ſuperficiem, pentagonum ut plurimùm corpus, ſeu dodecaedrum, duodecim æqualibus, æquilateribus, atque æquiangulis pentagonis contentum imitantur: Ita celebris eſt illa Th. Bartholini Hiſtoria, quæ eſt LIV. cent. II. *Hiſtoriarum Anatomicarum rariorum*, quæ talia deſcribit. „In ſolemni Anatome Patavina 1642. *Joan. Veſlingius* accuratiſſimus Proſector feminam nobis diſſecabat obeſam. Veſicula fellis nullo bilis colore tincta, liquorem ſolùm bili dilutæ ſimilem continebat, cum lapidibus quinque, magnitudine nucis avellanæ, figurâ mathematicorum corpora *pentagona* repræſentante, quorum ſuperficies exterior glabra, color ſubcineritius, interior verò ſubſtantia ligno putri flaveſcenti perſimilis. His infiniti minores addebantur, figurâ ſemi-

„ ſeminum Cnici, leves, & molles, ut aliam potiùs, quàm la-
„ pideam præ ſe ferrent ſubſtantiam. Aſperior ex his unus
„ ita os biliariæ veſiculæ clauſerat, ut omnis bilis denegatus
„ fuerit tranſitus. Interim provida natura ad bilem expurgan-
„ dam alium efformaverat ductum ab Hepate prodeuntem,
„ poro biliario à calculis quoque conſtipato vicinum, qui in
„ jejunum inteſtinum terminabatur. „ Hæc Bartholinus. Cæterùm nigros felleæ cyſtidis calculos in aquam projectos ſtatim immergi, & fundum petere, extra omne dubium eſt: ſolidiores enim ſunt cæteris, quos imo calculis veſicæ urinariæ duriores, gravioreſque frequenter deprehendi, magiſque ad lapidis naturam accedentes. Alteros verò ſeu flaveſcentes innatare plurimi deprædicant. Verùm ex his flaveſcentibus fellei folliculi calculis, plurimos, hoſque diversâ magnitudine præditos, aquæ immiſſos eidem primùm ſupernatare; hinc poſt aliquam in aqua macerationem, cùm eandem imbibiſſent, ſponte non minùs ſubmergi, *& fundum petere*, dum Bononiæ, publici in celebri illa Univerſitate Profeſſoris dignitate inſignitus, commorarer, hocque munere fungerer, unà cum præclariſſimis medicinę doctoribus *Hyacintho Vogli* eruditiſſimo Scriptore, & *Daniellio* Juniore in elegantiſſimo Muſeo Illuſtriſſimi *D. Ceſi*, in eadem Univerſitate publici Practicę medicinæ Profeſſoris, & collegæ mei Honoratiſſimi, ſummâ cum voluptate obſervabam. Si in aquam projecti hi calculi adeò per manum mergebantur, ut citiùs aquam imbiberent, citiùs etiam fundum petebant, ibidemque degebant; manuque denuò ſublati, & ſibi hinc relicti, citiſſimè ſubmergebantur. Idem periculum cum præclariſſimo P. M. Valſalva, ſemel, atque iterùm in ejuſdem ædibus tentabamus; ut jam animo excuterem, veluti non veram, bonæque obſervationis expertem, propoſitionem illam in genere: *Fellei folliculi calculos aquæ immerſos, non ut ii, qui de urinaria veſica extrahuntur, in imo ſubſidere, ſed innatare:* Quam quidem poſt Bidloum, Fernelium, Riolanum, alioſque, Moderniorum aliqui nimis fidenter, minúſque experti receperunt,

propriiſque in Operibus exſcripſerunt, ut mihi quoque, *fateor*, aliquando res fuit, qui ante ullum ſuper his calculis acceptum diligentiùs periculum, horum hominum aſſertis fidens, ſcripſi in cap. XI. §. II. ſecundæ hujus Hiſtoriæ partis, ante hos quinque annos jam impreſſæ: *Biliares calculos aquis projectos ſupernatare:* Verumtamen horumce cyſticorum flaveſcentium calculorum aliqui, atque vel diutiùs immerſi, eâque quantum velis imbibiti, nunquam in imo ſubſident: ut illi, quos non ita pridem ab amico quodam dono accepi, tum nonnulli, qui à me ex fellea hydropici cujuſdam, veſicula extracti, curiosè inter cæteros reſervantur. Sed annoto, calculos hujuſmodi valdè adhuc molles eſſe, faciléque in majora, & minora fragmina friabiles, ut immaturi reverà dicendi ſint calculi; ipſamque imitentur naturam illorum per fluminum alveos ſæpiſſimè occurrentium tophorum, qui lapidum principia vulgò dicuntur, atque leviſſimâ digitorum preſſione in arenulas omninò diſſiliunt. Ut ut ſit; illud intereà ſemper inconcuſſum eſt: *Ex flavis ejuſcemodi calculis plurimos aquæ immerſos ſubmergi; ex nigris verò prorsùs omnes.*

De varia nigrorum felleæ cyſtidis, ac flaveſcentium calculorum compoſitione: Atque de eodem fellei, & urinarii calculi principio.

III. Ex his igitur liquet, nigrorum horumce calculorum ſubſtantiam magis eſſe compactam, eorumque idcircò ſpecificam gravitatem, gravitate flaveſcentium majorem: ut flaveſcentes nigris leviores ſint, licèt his æquè ſolidi, durique perſæpè videantur. Reverà calculos hujuſmodi flaveſcentes ex ſuperpoſitis invicem, numero pluribus, aut paucioribus ſtratis, veluti ſupercretis corticibus [ut ſquillæ, aut cepæ gliſcunt, & compinguntur] creſcere, & conſtrui, diligenti inſpectione deprehenditur. Minimus nucleus, ſeu potiùs ſolidior quædam arenula, centrum occupat. Huic verò ſolidiuſculo principio, quod quidem intra bilioſum collectum in cyſtide liquidum à viſcerum motu ſus-deque volutatur, ramuloſa ejuſdem bilis facilè concreſcentis corpuſcula commodiùs implicantur, hærentque, indéque indurata, molem paulatim amplificant, veluti foliis ad folia ſuperſtructis: Quod quidem opificium eodem

situ

ritu confici mihi perſuadeo, quo grana coriandri in liquato ſaccharo diutiùs volutata, jactataque plurimis, noviſque deſuper ejuſdem ſtratis cooperiuntur: quibus indè indureſcentibus, duræ, ingenteſque ſaccharinæ glandes evadunt. Hinc calculi hujuſmodi bifariam, ſeu in equales partes ſecti, aggerimos exhibent elegantiſſimos circulos, quorum minores à parallelis majoribus uſque ad externam faciem continentur. Illa tamen in hujuſmodi calculorum ſtratis concinnitas, & regularis elegantia non cernitur, ut ſi, ad exemplum, primum ſtratum ex albo flavum ſit, alterum ſit viride, tertium rursùs ex albo flavum, quartum denuò viride &c. veluti ab aliquibus prædicatur. Nunquam ego certè in tot inſpectis cyſticis calculis hunc ordinem deprehendi. Quemadmodùm igitur arenula à ſanguine in bilis veſicam decidens, aut ex tartareis, mucoſiſque fœderatis principiis in eâdem coalita, aliiſque, quæ facilè concreſcant, ſubſtantiis magis, magiſque incruſtata, calculos hujuſmodi procreat; Ita ſi in alias corporis veſicas, ut in urinariam veſicam, aut in renis pelvim, (quæ quidem ſpecies veſicæ eſt) delabatur, & ſtabuletur ibidem, hærentibuſque pariter congeratur & accreſcat ſubſtantiis; in novos ibidem pariter calculos faceſſet, non quidem principii, ſed ſupercreſcentium dumtaxat corporum ratione à cyſticis diſſimiles. Undè illa calculorum felleæ cyſtis, & urinariorum excipulorum repetenda affinitas eſt; ut calculis felleis obnoxii homines, urinariis etiam facilè proclives deprehendantur. Imò renales calculi præcipuè in bilioſis procreantur, eorumque geneſim bilioſi morbi plerumque antecedunt. Notabilis ſuper hac re illa eſt Binningeri obſervatio 28. cent. 3. p. 370. de Marco Ponnier bilioſo melancholico, cui ab habita in ſiniſtro latere gravitate expurgabantur per artem bilioſa, & tenacia, tandemque nigerrima. Accedebat cruciatus circa umbilicum immanis, & continuus, cum ſingultu, vomituque bilioſo; Deinceps ſecundum dextri ureteris longitudinem prolabi ad pubem viſa eſt omnium cruciatuum cauſa. Poſtea propulſâ in corporis habitum morbificâ cauſâ omnium

membrorum dolor, cum artus movendi impotentia ſuperveniebat. Hinc cum podagra periodica calculi è renibus excernebantur: Ut indè per longum tempus ferè quotidiè ingentem horum copiam excuteret. Inſignem renalium calculorum conſenſum cum bilioſis affectibus ulteriùs memoravimus II. Parte fol. 190. per hunc Lentilianæ Epiſtolæ locum: *Obtigerunt mihi non ſemel nephritici, qui quamdiu ictero laborarent, tandiu calculi dolores ceſſabant: Ictero deſinente iidem recrudeſcebant; reciprocis, ac alternantibus ſemper his affectibus.* Adeò in diverſis partibus, ac ſub perſonis variis agi bilis aſſolet, & ludere. Vid. etiam inferiùs Can. VIII. ex *Greulichio.* Cæterùm arenoſa hæc calculorum principia, vel per ſudorem foras, è ſanguine largiſſimè effundi viſa ſunt ab Olao Wormio: ut ex Hiſt. XXXIV. Cent. I. *Hiſtor. Anat. rarior.* Th. Bartholini. Sed nigri bilioſæ cyſtidis calculi non adeò manifeſtas nuclei, atque circumductarum faſciarum, ſeu circulorum poſitiones exhibent; qui nempe ab homogeneâ, unitâque magis ſubſtantiâ compingi videntur: ut hinc veriſimile arbitrer, per unicam, ſimplicioremque abſque nucleo, ſeu citra præviam arenulam, hinc etiam denſiorem, ſolidioremque bilioſarum particularum concretionem omnes eorum partes ferruminari. Id maximè dignum adhuc obſervatione eſt, quod calculis hujuſmodi in cujuslibet magnitudinis fragmina fortuitò abruptis, hæc tetraedicam adhuc figuram affectant. Hîc adhuc memorabo, ſpecificas arenoſorum nucleorum undè calculorum primi generis, ſeu flaveſcentium geneſis æſtimanda eſt, figuras, & ſingulares habitudines cum publico aliquando communicaturum eſſe egregium Proſectorem, & practicum *Cajetanum Jaceonum*, in Bononienſi Univerſitate Medicinæ, & Anatomiæ Profeſſorem, & collegam amantiſſimum; cujus quidem ut multæ in diſſecandis Cadaveribus dexteritatis, ita plurimarum, earumque graviſſimarum obſervationum, atque experimentorum ſuper cyſticis utriuſque generis calculis, dum Bononiæ degerem, teſtis creberrimus extiti.

IV. Quem-

IV. Quemadmodùm verò nigri calculi, qui bilis veluti caput mortuum, in lapideam formam compactum, eſſe, videntur, accenſæ candelæ admoti flammam haudquaquàm concipiunt; vix aliqui in decidentes guttas ſenſim colliquantur, levi edito crepitu, ingratoque reddito odore, ita flavi, quique præcipuè molliores, aut recentiores ſunt, ardenti lucernæ appoſiti flammam facilè concipiunt, ſervantque, inter ardendum cum crepitu ſcintillant, in guttas accenſas diffluunt. Ita Bononiæ in ædibus D. Valſalvæ perrupti hujuſmodi calculi, à cadavere non ita pridem extracti, dabant interiùs flavam ſaturatam ſubſtantiam, facilè quidem friabilem, ſed adhuc pinguiuſculam, & leviſſimam, quæ per os volutata, amara, & valdè hærens, ſeu glutinoſa deprehendebatur. tentata hæc igne ſubſtantia liquebatur, atque ebulliebat. hinc cum crepitu flammam concipiebat, eamque ad extremum uſque ſervabat. Odor erat ab hujuſmodi flamma exhalans veluti ceræ, quæ ad obſignandas epiſtolas in uſu eſt. Hæc autem cera, hiſpanica dicta, pręcipuè à colophonia conficitur: neque hæc ſubſtantia, quæ quidem durior reſina eſt, ſuâpte naturâ diſtinguitur à biliosis calculis, qui ab animali coacto ſulphure, ſeu induratâ reſinâ compinguntur. Id pariter in aliis ejuſdem farinæ calculis, aliiſque in locis pari cum ſucceſſu tentavimus.

Ex felleis calculis quinam flammam concipiant accenſæ candelæ expoſiti; & qui reſpuant.

V. Illud tamen, ad praxim apprimè faciens, annotandum eſt; multò ſcilicèt in genere difficiliùs flammam concipere calculos cyſticos, quàm qui biliferis duntaxat poris inſederant. Hinc dejecti per ſedes ab ægrotantibus (ut ſæpè fit) biliares calculi, quò concipiendæ flammę, & liquationi paratiores conſpiciuntur, eò majorem de eorum, non quidem in cyſti, ſed in biliaribus ipſis ductibus, ſede ſuſpicionem inducunt. Et ſanè, calculi in hepaticis ductibus procreati, cùm ſemper flaveſcentium generis ſunt, ideóque ineundæ deflagrationi per propriam naturam proclives, tum ex tenuiori, volatilioríque ſubſtantiâ conflantur, quæ ideò in flammam faciliùs erumpit. Sed aliud inſuper calculorum non in folliculo,

Ex dejectis per ſedes calculis quomodò internoſci queant, qui fellea cyſti, quique biliaribus duntaxat ductibus inſederint.

ſed

ſed in hepaticis excretoriis canalibus degentium indicium elicitur ex figura, atque mole. Quippe ut ductuum hepaticorum calculi oblongi ſemper ſunt, interdum, inſtar lapidearum fiſtularum, excavati; ramis aliquot non raró exaſperati: cyſtici ex adverſo ad rotundam plerumque, & conglobatam figuram accedunt. Ita minores calculi hujuſmodi ductibus inhabitare quidem; majores veró felleum folliculum duntaxat occupare poſſunt. Neque rariora ſunt in hepaticis poris, quàm in felleo folliculo, bilioſorum calculorum latibula. Ex frequentibus hujuſmodi calculoſorum hominum extiſpiciis, ut ſæpè in ſola excretoriarum hepatis fiſtularum cavitate geniti hujuſmodi calculi viſi ſunt, qui modò crebriores, modò pauciores, aut totam hepatici parenchymatis ſubſtantiam, ut in celebri illo extiſpicio Dodonei ad cap. III. Benivenii de *abditis*, aut partem ejus duntaxat, majorem, aut minorem, libero intereà relicto bilis promptuario, obſidere videbantur; ita non minori certè numero caſuum, eadem calculoſa corpora nunc memoratum duntaxat tenere folliculum, illæſâ reliquâ hepatis, ejuſque excretoriorum ductuum ſubſtantiâ, nunc biliares ſimul ductus, nec non folliculum invaſiſſe deprehenſa ſunt. De tubuloſis hepaticorum ductuum calculis ſermonem habuimus ſuperiùs in altera Parte fol. 188. De verſicoloribus calculis, duriſſimis, majores biliares ductus obſidentibus, eoſque veluti in varicum formam dilatantibus. fol. 190. De tribus calculis in vena portæ repertis. fol. 191.

Sine aliquo indicio, ſeu ſine noxâ aliquâ, majori aut minori degere in vivente homine biliares calculi non poſſũt. Eorum Prognoſis hic primò allegatur.

VI. Sed ab excretis per ſedem calculis, eorum ſedem in felleo folliculo, vel in hepaticis ductibus, vel in utriſque dignoſcere, tota Anatomici laus ſit: Id deſuper à perito, laudibilique Practico depoſcitur, ut vel ante calculorum per alvum eruptiones, eorundem in hujus viſceris partibus præſentiæ prænotio habeatur: ſicque facientia ad eorundem expulſionem auxilia opportunè apparentur. Et licèt hucuſque à Practicis hujuſmodi Scriptoribus Diagnoſis hepaticorum calculorum ſatis adhuc diſcuſſa non videatur: hos tamen, quæ noſtra

eſt

eſt adjuvandis hominibus animi ſollicitudo, in eandem, quantùm liceat, aperiendam, nervos omnes intendemus. Et primùm: cùm calculis in fellea cyſtide, vel hepaticorum ductuum cavitate deliteſcentibus, illa ſemper, quæ naturaliter ad primarum coctionum operam exigitur, libera bilis ad inteſtinum traductio plus minùs impediatur; præcipuè verò ſi in folliculo degant; quâ quidem ſtatione uber illa ſubitaque bilis ab hoc excipulo in duodenum, momento trajectionis chymoſæ ſubſtantiæ, neceſſaria effuſio infirmabitur, ut patet, horumce calculorum præſentiam chyloſis depravationem aliquam conſequi neceſſariò oportebit. Quòd ſi corpora hujuſmodi calculoſa exilia admodùm ſint, & liberè per continentium vaſorum, aut cyſtidis alveum fluctuent, atque vagentur, abſque ullo ſenſibili inducto hepaticis hujuſmodi emiſſariis impedimento; hæc ſaltem illius bilis ſoboles ſunt, quæ cùm queat tam facilè in ſolidum corpus concreſcere, non ideò citò impelli, & moveri, non debitâ celeritate fluere in inteſtinum poterit; ut jam vel ſolo hoc de titulo quidpiam ſemper vitioſum in primis coctionibus contingere neceſſe ſit: atque indè non intelligam, quomodo Gerbeſius, & Loſpichlerus in Obſervationibus *Nat. curioſ. Germ.* aliique alibi, memoriæ tradiderint " Homines ,, vel à numeroſiſſimis cyſticis calculis, quorum aliqui ad piſorum, alii ad mediocrium caſtanearum molem excreviſſent, obſeſſos, citra querelam diù ſanos vixiſſe, propriaque naturalia munia obire incolumes valuiſſe.,, Nam vitiatus plus minùs cutaneus color, aut profundæ quædam, lentęque primarum, ut dicitur, viarum affectiones ab his fortè, atque ab ipſiſmet patientibus fuere non ſatis perpenſæ. Quæ cæterùm *neceſſariò interfuiſſe* docuerunt ipſimet omnium horumce allatorum hominum improviſi obitus, quorum quidem nulla prorsùs ratio fuerat cum ipſorum ætatibus, & præcedentibus morbis. Ita refert Gerbeſius Principem ab *Averſperg* 22. Julii ſub altera invaſione febris tertianæ ſimplicis intermittentis, ſuperveniente apoplexiâ, vitâ ſubitò fuiſſe defunctum,

in cujus cadavere nihil aliud vitiatum deprehenſum, quàm quatuor ingentes, veluti marmoreos calculos, totum fellis folliculum occupantes. Ipſumque anteà tertianas, & eryſipelata fuiſſe frequenter paſſum. Adjicit in ejuſdem Principis Aula cujuſdam ephebi ex Ileo præcipitanter pariter defuncti aperuiſſe cadaver, in cujus fellea veſicula bilis ad calculoſam properabat conſiſtentiam. Ita tradit Loſpichlerus Abbatem Benedictinum in vigore ætatis morbo quodam graviſſimo ex-inopinato correptum intra paucos dies fuiſſe extinctum, in cujus fellea veſicula 57. calculi anguloſi reperiebantur. Quamquàm igitur hujuſmodi calculi manifeſtas adeò noxas non ſemper excitare, ſed potiùs interdum clandeſtinò degere videantur, illa tamen eorum malitia eſt, præcipuè ob ſenſim compreſſos ad loca chyloſeos tempeſtivos bilis excurſus, ut non ſolùm defœdatos habitus inferant, ſed poſteà palpitationes enormes, pectoris anguſtias; ut plurimùm verò vel tandem poſt diuturnas ſtationes in ſubitaneas neces præcipitent; ut in altera Parte fol. 188. memoravimus; vel inſanabilibus cachexiis, aut lethalibus hydropum generibus irreparabilem viam ſternant. Hæc in bilioſis calculis loco Prognoſeos ſint. Nunc ad diagnoſim, jam priùs ſuſceptam redeamus.

Diagnoſis bilioſorum calculorum, deducta ex cutis colore, doloris ratione, vomitu urinis, chyloſeos depravatione &c.

VII. *Cognoſcuntur non facilè calculi in veſica fellis, & nihilominùs varia, & ſæpè gravia inducunt ſymptomata* Sennertus de veſiculæ fellis Morbis. & ſanè. Qui calculo hepatico, aut cyſtico, ut ut exiliori, mitiorique detinentur, malo ſemper, ictericoque plus minùs corporis habitu perfuſi deprehenduntur, eóque imò graviori, quò iſte icterus, niſi foras exturbentur calculi, ſe cuilibet medentium induſtriæ indomabilem præbet; aut ſi remediis aliquandiu cedat, citiſſimè recidivus evadit: quod quidem vel Antiquiores docuere; (ut inter plurimos Matthæus Curtius vetuſtus Mondini interpres referat in ejus *Anatome* quendam hominem, qui ſcabioſus erat; fueratque jam decem annos ictericus, in cujus inde cyſti choleram

in

in modum lapidis obduratam videbat.) De muliere icterо forti periodico, atque inſanabili diu affecta, quæ poſt dejectum à vehementi cathartico cyſticum calculum illicò ſanabatur: Vid. Part. II. fol. 189. Illi autem dumtaxat non evadunt icterici, in quibus præpedita bilis in aliquod determinatum viſcus, ad ſævum, & plerumque lethalem peculiarem procreandum morbum, decumbit. Vide in Boneti *Sepulchreto*, tractatum *de ictero*, & præcipuè Obſ. VIII.: Inſuper omnes hoc cujuslibet conditionis calculo laborantes, ab aſſumpto cibo nunc epigaſtrii, nunc totius ventris, nunc ſolùm dextri hypochondrii moleſtas tenſiones plerumque patiuntur, cum anguſtia ſpirandi: Hinc ſurdum, profundumque in hepate dolorem perſentiunt, acerbiorem verò ſi ingentiores ſint calculi: [de calculis felleæ veſiculę perpetuum in dextro hypochondrio, ipſoque epigaſtrio tumorem producentibus vid. ſuperiùs fol. 189.] Borborigmi in inteſtinis excitantur; copioſi flatus, ructus acidi, & ſæpè nidoroſi: fugaces interdum incaleſcentiæ, non rarò nauſeæ: Alvus frequenter adſtricta; aut è converſo copioſę quidem, ſed crudæ, pallidæque dejectiones, ut ex his omnibus, ſimul aut ſeorſim reverà contingentibus. Præcipuè ex fœderata ratione icteri rebellis, ſine manifeſta cauſa vigentis, tum hepatici doloris, qui tempore chyloſeos ingraveſcit, imò ejuſdem chyloſeos majori aut minori depravatione accedente, plurimum jam pręſentiæ hepaticorum calculorum argumentum deduci poſſit. Sed alia ulteriùs medentibus porriguntur indicia, quæ prædictis addita, firmiorem adhuc de bilioſorum calculorum præſentia conjecturam inſtituent. Et quidem qui dolor à bilioſis inducitur calculis, non tantùm ab aliis omnibus diſpar eſt; ſed ſibi inſuper plerumque ſecundùm varios ægrotantis ſtatus diſſimilis eſt. In aliquibus, ſi hi in lecto ſe convolvant, pondus magnum, moleſtum, & ex una in alteram partem delabens è regione hepatis percipitur. Vid. Fabritium Hild. *Cent. IV. Obſervat. XLIV.* Interdum longiùs à paſtu, hominеque inediam ferente, ex pauco ad hepar bilis affluxu, parcâque

ſecretione, dolor obtuſiſſimus eſt, iſque admodùm intervallatus: poſt paſtum verò acrior, interdum tenſivus, quandoque pungens, non rarò dilanians; mox gravativus dumtaxat, & tandem diſparens. non rarò per plures dies continuus; ut nephriticam, ſpaſmoticam, aut aliam colicam mentiatur. Ita Ambroſius Stegmannus Obſerv. CVIII. *Ephem. Germ.* ann. IV. deſcribit fortiſſimum mulieris dolorem, nephriticum creditum, cum ardenti febre, &c. excretis per alvum calculoſis ſabuli fruſtulis optimè judicatum. Atque Horſtius Lib. IV. *Obſervat.* *XLVII.* annotavit tormina continua ſub hypochondrio dextro à calculo biliariam veſicam replente, & inteſtinum atterente. In plurimis intereà calculoſo hoc morbo prehenſis, colica hujuſmodi tormina interpolata ſunt, ſeu brevia, ac crebrò recidiva, febre ſuccedente homotonâ, & comitante ictero, qui deletâ colicâ admodùm imminuitur, redeunte revireſcit. Cùm autem acerbior hic dolor eſt, ſævi cretaceæ bilis ut plurimùm, ſinceríque ab enormi expreſſione vomitus cum maxima in conſequens ventriculi, imò & jecoris ſuccuſſione ſuperveniunt. Cæterùm dolores hujuſmodi à catharticorum ſtimulis, ſæviùs adhuc exacerbantur. Ita atrociſſimi ultra omnem captum extitere cruciatus, crebra animi deliquia inducentes, quibus nobilis illa mulier ſuperiùs fol. 189. commemorata, obſtetrice catharticâ potione, bilioſum ingentem calculum per anum pariebat. In genere quò ingentiores ſunt calculi, eò moleſtiora gravioraque ab iiſdem excitantur tormina. Mulier quædam referente Huldenreichio in *Miſcell. Curioſ.* ann. VI. & VII. tam atrocibus cruciatibus vexata viperam in inteſtinis geſtare per totos triginta annos ſibi ſuaſit, quæ poſt mortem aperta magnum fellei folliculi calculum exhibuit (Vide etiam Sculteti *Armam.*) Ab aſperiori præterea calculorum figura acerbior dolorum ſenſus excitatur. Dolores hujuſmodi à ſpontaneo naturæ, extranei corporis dejectionem molientis, conatu excitantur. Ita hæc habet ampliſſimus Tulpius in lib. 1. *Obſervat. Medicar.* Cap. LIX. " Vidua peritiſſimi alicujus

" Medici,

„ Medici, annos nata ſeptuaginta, ac plurimum mali ab „ acerrimo ventris cruciatu aliquandiu perpeſſa, excrevit tandem per alvum calculum, ut oblongum, ſic ponderantem „ ſeſquiunciam. „ Morbi præterea alii tum cutanei, tum nervei, aut ſanguinei calculis in cyſtide fellea degentibus ſuccedentes afferuntur ſuperiùs fol. 188. tum plures alii cyſticos, & hepaticos calculos in muliere comitantes fol. 191. Urinæ in hominibus, bilioſo calculo obnoxiis, inæqualem ſemper conſiſtentię, ac contentorum rationem præ ſe ferunt: Nam in his hominibus, ſi otiosè degant, pallidæ plerumque, crudæque excernuntur: Sed ſi vel leviori quolibet exercitio excutiantur, jam lotium dejicitur craſſiſſimum, turbidum, lateritium, ictericum, gravioribuſque ſubſtantiis ſaturatum; ex quo nempe mucoſum, ſabuloſum, aut mixtum ſedimentum citiſſimè ſubſidet, quod ſi denuò per agitationem urinę miſceatur, dempto motu, in fundum illicò decidit. Hæc nos cum accuratioribus amicis, longâ obſervationum ſerie perſpeximus: An viderint alii, an noverint, id certè nobis non referet.

Ex variis felleorum calculorum Obſervationibus ampliatur eorum Diagnoſis: & inſuper multa illa bilioſorum morborum & calculorum, cum renalibus & urinariis calculis affinitas attingitur.

VIII. Viderunt intereà, ſaltem quoad doloris rationem, præter Platerum, & Tulpium ſuperiùs memoratos, etiam præ aliis Benivenius atque Greulichius. Primus cap. III., & XLIX. *de abditis* &c. hæc ſcribit. " Deceſſit his diebus mulier nobilis Diamantes nomine, *dolore proſtrata calculi*, ſed cùm „ nullum anteà ex eo percepiſſet nocumentum, viſum eſt „ medicis mortuę cadaver incidere: & reperti ſunt lapides „ quamplurimi, non quidem ullus in veſica, ut putabatur, „ ſed præter unum, qui in tunica fellis coloris atri, & magnitudine caſtaneæ aridę continebatur, cæteri omnes variâ figurâ præditi in membranæ quâ contegitur hepar, parte decliviori, undè etiam veluti in folliculo longitudinis palmi „ dependuli ſacculum effecerant. „ Hæc Benivenius. ex hac verò Obſervatione bina veniunt annotanda, & equidem primum; non minùs interdum in ipſamet parenchymatoſa jecoris ſubſtantia, ejuſque tunicis, quàm in ejus manifeſtis ductibus,

aut fellis excipulo calculoſa reperiri corpora. Memini in viri, longâ macie exterminati maximo, & ſcirrhoſo jecore pluſquàm trecentos diverſæ figuræ, & magnitudinis calculos, per totam hepatis ſolidiorem ſubſtantiam, præcipuè inter parenchyma, & ſuccingentem tunicam diſperſos, ſeu prorsùs extra vaſa degentes comperiiſſe. Vid. ulteriùs in *Sepulchreto* Boneti, *de Hypochondriorum dolore* Obſervat. XIII. plurima lapillorum, & lapidum in hepatis ſubſtantia congeſtorum exempla: Alterum; calculos hujuſmodi non in jecoris vaſis, ſed in firmiori ſubſtantia deliteſcentes ſuos etiam dolores licèt mitiores inducere: Ita affert obſervatio, *dolore proſtrata calculi.* Interea cùm extra bilis ſemitam ad inteſtina protenſam hi jaceant, (veluti ſi ſcirrhoſa duntaxat materia foret, majores excretorios ductus non occupans) hinc vix ſenſibile alimentorum coctionibus afferre incommodum queunt: ut addat idcircò Obſervationis Scriptor. *Sed cùm nullum anteà ex eo percepiſſet nocumentum.* Greulichius verò diſſertatione *de Bile* art. V. Hęc habet. "Novi matronam „ nobilem annis gravem, quæ præter conſuetos renum cal„ culos correpta fuit colico dolore, vomitu bilis, ac calcu„ lorum excretione per anum, quos in folliculo fellis hoſ„ pitatos fuiſſe affirmavi. Huc referri meretur obſervatio de„ ſumpta à viro annor. 61. Is in ætatis ſuæ vigore ſępiùs „ bilem copiosè vomuit, & quidem ſemel tam craſſam, ut „ eam vix ſummo labore excernere valuerit. Poſteà verò an„ no ætatis 55. remiſit vomitus bilis, & ſucceſſit lumbo„ rum dolor cum dyſuria, quam urina propè quâvis octavâ „ horæ parte reddenda infert; Nephritis, inquam, quam „ aliquoties vomitus bilis comitabatur. Calculorum, vel are„ nularum excretio illi quotidiana eſt, non per veſicam tan„ tùm, ſed & per anum *cum dolore*, ac ſi acus tranſirent. „ Tanta eſt fellis, & calculorum affinitas.„

Curatio calculorum cyſtidis felleæ, aut hepati-

IX. Calculorum, non in jecoris vaſis, ſed in ipſamèt ſolida ſubſtantia degentium curatio nulla eſt; in cyſtide ſtabulantium difficillima; in hepaticis ductibus nidulantium fortaſſè

taſſè non difficilior. Duplici modo cyſtici, & hepatici calculi curari poſſunt, alterantibus ſcilicet, atque evacuantibus. Alterantia hujuſmodi calculorum illa ſunt, quæ illos ſolvere, atque liquare valent. Sed licèt aliqua hujuſmodi calculos ſpeciatim, ſive electè frangentia, atque ſolventia (hepatica lithontriptica etiam dicunt) ab authoribus plurimis decantentur, tuta tamen hujuſmodi ſaxifraga (non ſecùs ac renalia, aut veſicalia) reperta ſunt hucuſque nulla. In terebinthinæ ſpiritu, quem ad ſolvendos hos calculos menſtruum aliis omnibus efficacius eſſe, à non paucis perhibetur, cujuslibet generis cyſticos, atque hepaticos calculos per plures dies immerſimus, externumque calorem naturali hepatico analogum diligenter addidimus; neque ullam unquam, vel minimam, diſſolubilem habitudinem eorum quipiam ſortiti ſunt. Hinc plurima alia in eundem cenſum aſcripta lubenter omittimus; ut quę Etmullerus *in Coll. Pract. Cap. III.* art. IV. *De ictero* admonet videnda in M. A. N. C. Ann. 4. & 5. *Obſervat.* 99. p. 103. Sed magis appoſitè idem Author eodem loco hæc tradit. „ Calculi in folliculo felleo, & inde natus icterus difficillimè, „ raiò, ac nunquam curantur; cùm non proſtent remedia cal„ culos alterantia, ut ut ſpiritus nitri dulcis aliquid præſtet: „ aut curati licèt, crebriùs recidivant, & mortem inferunt. „ Aliqui interea pro valenti ſpecifico horumce calculorum ſaxifrago commendant oleum Carabes alb., ad gutt. aliquot in mediocri hauſtu vini albi calefacti ſolutum. Sed hoc non majorem prę aliis utilitatem præbere propriâ aliàs experientiâ ediſcebam. Th. Bartholinus, atque Franciſcus Sylvius *Prax. Med.* lib. I. cap. XLV. ſpecificorum calculos hujuſmodi diſſolventium prędidiorum caput eſſe ſuccum, aut decoctionem radicum, atque herbæ graminis affirmant. " Poſtquàm, *aiunt*, „ notum eſt multiplici experientiâ oves, & boves, quibus „ hyeme alimentum eſt fœnum, atque concreſcit in ductu bi„ lario lapidea, vel calculoſa cruſta, ubi Maio menſe iterùm

corum ductuum duplex: Alia ſcilicet per diſſolventia, alia per evacuantia. Primi generis curationem per experimenta varia vanam eſſe oſtenditur.

gramine

„ gramine utuntur viridi, ſenſim ab illo liberari affectu ; Certo „ argumento ineſſe viridi, ac recenti gramini calculos diſſol- „ vendi vim, quæ perit, quando idem in fœnum exſiccatur „ Ita ſuperioribus annis peritiſſimus apud Noſtrates Practicus, idemque Reverendus Sacerdos D. Caccia ex creberrimæ colicæ ſpecie in nobili Fœmina, cum quâdam inprimis ad dextrum hypochondrium determinatâ profundioris doloris ſede, ſuccedente homotonâ febre, ſimulque ictero cum hâc colicâ recidivo, eâque deletâ pariter evaneſcente, cyſticum conjiciens calculum, graminis ſuccum imperabat; ſed hoc præſidii genere ab alio medico parvifacto, ægrâque ad catharſim potiùs propendente, validum tandem purgans propinabatur : ex quo acerbiſſimus ad hepar excitatus dolor, ſævam perhibens ſenſationem tranſversè ab hoc viſcere ad uſque inteſtinum protractæ chordæ. Reverà cathartici ſtimulo cyſticus calculus excuſſus eſt; Qui per cyſticum, atque cholidochum ductum ad uſque duodenum tranſmiſſus, toto itinere dolorem illum induxit. Per ſedem dejectus mediocris olivę magnitudinem ęquabat, triangularem, ſeu trium facierum figuram præ ſe ferens: ut totus hinc ſuſpicioni locus adfuerit, alios ſimul in illa cyſti extitiſſe calculos, qui illius lateribus accommodati, ovalem, aut ovali ſimilem figuram, (quæ quidem ovalis, aut ovali ſimilis capacitatis excipulo par eſſet) ſimul omnes componerent. Sed uſus ſucci graminis per 40. dies protractus, rem totam expediit: Fortè & ſuperſtites calculos ex voto ſolvebat. Nam ab illa per catharticum ejectione, longâque ſpecifici hujus remedii adminiſtratione illuſtris Matrona neque colicas, neque icteros, neque ulla unquam latentis aliûs cyſtici calculi argumenta paſſa eſt.

Curatio ſecundi generis, ſive per depellentium catharticorũ vim, licèt indifferens,

X. Jamque ad alterum præſidii genus devenimus; ſive ad validioris cathartici concuſſionem, & ſtimulum, quibus quidem, rebelles aliis, ut puto, quibuslibet remediis, atque invincibiles calculi hepaticorum ductuum, aut felleæ cyſtidis incolæ, facilè quandoque cedunt, cedenteſque foras per alvum,

alvum, tumultuariè quidem, intereà citò, validéque educuntur; ut ex ſuperiùs allatis hiſtoriis videre eſt. Hinc licèt hocce præſidii genus, cùm univerſale ſit, atque poſt inditum ad ventriculi, & inteſtinorum ſuperficies irritationis momentum cæteras corporis tum liquidas, tum ſolidas partes indifferenter reſpiciat, hinc fortuitę, atque accidentalis, ut dicitur, adversùs hujuſmodi calculos operationis eſſe videatur; validius tamen ad hujuſmodi extranea depellenda corpora inventum huc uſque præſidium non eſt: cujus quidem ſelectionem, modum, & tempus Clinici, calculorum hujuſmodi circumſtantiam quamlibet ſedulò perpendentes, videant. Nos hîc intereà quædam, ſpecificis, atque catharticis intermedia dicenda, remedia, utriſque frequenter opportuniora, adjiciemus, ſive quæ validè incidentia, abſterſiva, & ſaponariâ veluti facultate prædita, præcipuè adversùs hepar dicuntur. In hunc cenſum in primis refert radicem curcumæ Hoffmannus in *Clave Schrœderiana*. Hæc quidem variis formulis adhiberi poterit, ſive ſolitaria, ſive martialibus, aliiſve potentibus aperitivis maritata. Adjiciunt alii radices chelidon. maj. petroſelin. fragar. urtic. gramin. filicis, taraxac. rub. tinct. rhabarb. monac. folia marrhub. fumar. hepatic. eupator. verben. ſaponar. parietar. abrotan. anſer. ſummit. abſinth. ſemina petroſelin. aquilegiæ, napi, cannabis, card. benedict. flores hyperici, calend. centaur. min. cichor. geniſt. &c. tum volatilia ſalia vel ſicca, vel liquida: ut ſal volat. C. C. viper. fulgin. &c. Spiritum urinę humanæ ſal ammoniac., aut C.C., aut fuliginis, ſpiritum tartari, ſpiritum de tribus. Præparationes itidem ex variis animalibus, ut ab aſellis, terreſtribus lumbricis &c. præcipuè verò elicitos ab iis pulveres vel ſales volatiles, & urinoſos ſpiritus: Alcalina volatilia oleoſa; ut tincturam croci, ſpir. ſal. ammoniac. juniperinum, ſpirit. oleoſ. aromat. Sylvii, liquorem C. C. ſuccinat. & ſimilia: tum fixa alcalina plurima; ut bezoarticum minerale, aut joviale; Arcanum duplicatum, tartarum vitriolatum, cremorem tartari, ſalia fixa abſinthii, tamariſci, geniſtæ, &c. & tandem illa

atque fortuita videatur, valentior tamen eſt, primaque præferenda. Adducuntur mediæ indolis remedia; quibus tertium veluti curationis genus expletur.

omnia, quæ in contumacioribus icteris efficaciùs adhiberi ſolent. Valent apprimè, medentium omnium conſenſu, ſanctioriſque praxeos teſtimonio, in hepaticis calculis martialia præſidia, præcipuè quæ volatiliora parantur; atque inſuper thermales aquæ, martialibus principiis aculeatæ. Notatu digna eſt remediorum illa adminiſtratio, quâ Marcus Gerbeſius Comitem quendam, lapillos cyſticos cum alvinis fecibus ferè quotidie excernentem vernali tempore liberavit. Purgabat hominem ſingulis ſextis diebus cum decoct. fol. ſenn. & rhabarb. additis aliquot granis pul. jalapp. Vacuis à purgatione diebus ℥v. ſer. lact. hoc pacto chalybeati propinabat. R. radic. graminis, cichor. ſylveſtr. aſparag. polypod. querc. a. ʒiij. herbar. cichor. endiv. hepatic. agrimon. a. M.ß. ſem. melon. ʒiij. conciſa infunde in ſ. q. ſeri lactis ſtillati, chalybe per extinctionem imprægnati. Hinc decoque. Adde colat. ℔iß. ſyrup. de pomis ℥ij. cryſtall. tart. ʒß. raſuræ martis in petia ſuſpenſæ ℥ij. aquæ flor. citr. ʒij. m. f. potio. ejuſque uſus ad quindecim dies protrahebatur. Biduo ſemper vel triduo ante novilunium præſcribebat VII. ex ſequentibus antinephriticis pilulis. R. ſucc. liquir. ocul. cancr. lapid. judaic. pp. a. ʒj. milleped. pp. cryſtall. tart., nitri depurat. a. ʒß. terebinth. aquâ petroſel. lot. q. ſ. f. ſ. a. pilulæ inſtar piſi, liquiritiæ pulvere involvendæ.

Tertii generis Morbi biliosæ veſicæ; ſeu à ſolido, atque ab ipſamet propria ſubſtantia; quorum aliqui curationem admittunt; alii verò ſunt prorsùs incurabiles.

XI. Ut denique tertio fellei folliculi morborum genere, ſive in ipſamet ſolida ejuſdem ſubſtantia exorto, hujuſmodi Appendicem abſolvamus: Omiſſâ mentione ejuſdem gemini interdum, reperti, aut etiam deſiderati, latiſſimo, tunc ampliſſimoque ductu hepatico ejus vicibus fungente, aut in inſignem naturaliter amplitudinem excreti, aut in molem naturali multò minorem conſtricti, aut mille naturæ luſibus in figuras varias à naturali aberrantes redacti (hæc enim vitia potiùs quàm morbos hujuſce partis recipiunt) conſiderabimus primùm, folliculum hujuſmodi, vel convulſionis, vel aliûs cujuslibet habitudinis ratione poſſe interdum adeò contrahi, corrugari, proprioque in ſinu anguſtari, ut debitæ bilis recipiendæ copiæ impar

impar redditus, plurimis, in recentium ſuccorum diſtributione, procreandis morbis valere poſſit, niſi expanſa ultra naturalem ſtatum emiſſarii ſui, ſeu cyſtici canalis, aut biliaris ductus, aut etiam utriuſque cavitas amiſſum excipuli munus ipſa præſtet: qualis caſus inferiùs in Tab. VI. Lectorum oculis obverſabitur. Fellis veſiculam fuiſſe ruptam, quandoque compertum eſt: Id quod in Nobili quodam, qui diuturno bilis vomitu vexatus eſſet, accidiſſe, rupturamque hujus cyſtidis vomitus cauſam fuiſſe, in ſectione poſt obitum deprehendiſſe ſcribit Georgius Bertinus *Medic.* Lib. XII. Cap. I. Ita Joh. Matth. Faber. Dec. II. ann. IX. N.C. ex fellei folliculi ruptura ſæpiùs repentinam mortem fuiſſe conſecutam enunciat. Atque Phil. Salmuth. *Cent. I. Obſervat. III.* puerum XII. annor. in ſcamnum ab iracundiore Præceptore duriùs projectum, felleâ veſiculâ fuiſſe abruptum, undè effuſio fellis per abdomen, atrociſſimus dextri hypochondrii dolor, & mors intra quatriduum. Sed de felleæ cyſtidis ruptura à cauſis variis cum bilis effuſione in cavum abdominis, diris ſymptomatibus, & lethali eventu conf. II. Partem hujus Hiſtoriæ fol. 140. tum de cyſticis calculis, per apertum dextri lateris abſceſſum in muliere excretis (quod certè ſine folliculi ruptura haberi non potuit) fol. 190. Quandoque in excedentem magnitudinem (ductu præcipuè cyſtico obſtructo) expanſa biliaris veſica non quidem fuiſſe rupta viſa eſt, ſed adeò in propriis tunicis extenuata, ut per amplos redditos eorum poros contenta bilis in ventris cavum ad omnia inundanda viſcera liberè, & uberrimè efflueret, calamitoſis inductis, atque perpetuis cruciatibus, convulſionibus, aliiſque ſymptomatibus, in mortem demum commutatis: Quale exemplum videri poteſt in G. Blaſii *Obſervat. Med. Par. II. Obſer. IV.* Oſſeam notavit hujuſmodi veſicam Rhodius, *Cent. III. Obſervat. III.* Alii etiam veluti totam lapideam deſcripſerunt. Sed hujuſmodi fellei folliculi affectus nullâ medentium ope deleri poſſunt. Qui autem aliquam admittunt morbi hujuſce excipuli curationem, obſtructiones

ſunt; Hæ quidem ſi à lento dumtaxat, viſcidoque comprehenſo ſucco, ut ab amurcoſa bile, aut pituita viſcida &c. ortum trahant, majorem ſanationis ſpem porrigunt; neque diverſam ab illa, quæ ſuperiùs in jecoris obſtructione, & ictero memorata eſt, præſidiorum adminiſtrationem depoſtulant: Sin autem ab inſidentibus calculis inducantur, minorem probi eventus ſpem faciunt; atque curativâ methodo, ſuperiori canone pro pellendis calculis propoſitâ excipiendæ ſunt. De biliaris veſicæ vulnere aliqua ſuperiùs in diſceptatione vulneris hepatis *Can. VII.* excuſſimus.

DE BILIOSA PHRENITIDE,

Et Perfunctoriè

De aliis Capitis pariter Bilioſis, ſeu à primigenio Bilis vitio Sympathicis Affectibus,

Canones Practici.

Principales morbi, à bile, non propriè in Hepatis ſubſtantia, ſed in aliis partibus excitati, quinam ſint.

I. CUM hactenùs proprios, atque Idiopathicos, ut dicitur, Hepatici viſceris morbos noſtra hæc Hiſtoria complexa fuerit; Nunc alios aggredi intendit affectus, qui ſunt veluti Hepaticæ paſſionis ſymptomata; Imò nec ipſius propriè Hepatis, ſed delinquentis bilis germani effectus recenſentur; Non in ipſa ulteriùs jecoris ſubſtantia, ſed in aliis partibus excitantur: Quales ſunt (præter bilarem pleuritidem, ſuo jam loco deſcriptam) Phrenitis bilioſa, cujus ſedes in capite eſt; Diarrhœa bilioſa, quæ quidem inteſtina occupat; bilioſus vomitus, qui ventriculum; Dyſenteria biliaris, quæ affectio rurſùs ab Inteſtinis excipitur, Colica bilioſa, atque bilioſus Teneſmus, quorum prima colo inteſtino inhæret, alter verò recto; cholera morbus, qui ad totum cibarium tubum pertinet; Et demùm biliaris Leipyria febris, quæ naturalia omnia viſcera videtur adoriri, totumque indè ſanguinem in conſenſum produ-

producere. Sed hæc morboſæ bilis ſymptomata, ſive, ſi mavis, ſuccreſcentes ab ejus erroribus in aliis, præterquàm in proprio foco, & naturali promptuario, humani corporis partibus morbos, non illo, ut hucuſque de propriis Hepatis morbis patratum eſt, prolixiori calamo, ſed, quantùm liceat, breviori exarabimus, ne in hac Hiſtoria evadere infiniti videamur. Cùm verò hîc à biliari Phrenitide auſpicantes (in alias poſteà memoratas à vitioſa bile explicandas productiones perrecturi) Ulteriora adhuc à morboſâ bile, Caput aſcenſâ, vel cum febre vel ſine febre, concitari interdùm in hac parte mala animadvertamus, varios ſcilicèt diuturnos, aut breves, graves, aut minùs graves Capitis dolores, vigilias, vertigines, imò & deſipientiæ genus ſine febre; Ne *Urceus* in *Amphoram* excreſcat, hos omnes Capitis ſymptomaticos à bile morbos huic pariter Diſputationi in Appendicis formam adjiciemus.

II. Hîc igitur de bilioſa phrenitide verba facturus, in limine temperare non poſſum, quin duo quidem in Hippocratis Interpretibus, quibus hi videntur à Præceptore recedere, per ipſa Præceptoris firmiſſima, clariſſimaque aſſerta admonere, atque emendare contendam. Primum igitur eſt: Phrenitidem à quibuſdam Antiquorum ſemper eſſentialem, ut dicitur, ſeu Idiopathici cerebri morbi ſociam conſiderari. Ita ex Fernelii Patholog. Lib. V. Cap. XIII. hæc habentur. " Deſipientia alia ,, cum febre, alia ſine febre conſiſtit. Quæ cum febre, aut ,, phrenitis eſt, aut delirium. Diſtant autem, quòd ſimplex ,, delirium fiat ex bile, aut ex tenui ſanguine per cerebrum ,, effuſo, aut ex ventriculi, præcordiorum, totiuſque corporis ,, calida expiratione, qualis in ardentiſſimarum febrium vigore ,, ſuſcitatur. Phrenitis ſemper ex proprio, atque primario cerebri affectu, ut ex inflammatione, ex Eryſipelate. Diſtant ,, etiam, quòd delirium plerumque febris, aut morbi gravioris ſymptoma ſit, Phrenitis verò non ſymptoma, ſed cauſa ſit ,, febris. Adhæc frequens admodùm eſt delirium, Phrenitis ,, verò rariſſima ,, Ita alii plurimi Hippocraticæ ſcholæ ſectatores:

Aſſerta quorundam Antiquorum, de natura, & cauſſis Phrenitidis, quæ ab Hippocratis ſenſis disjuncta ſunt.

tores : Alterum eſt : Phrenitidis cauſam potiſſimam eſſe calidiorem, ſive bilioſum ſanguinem, qui è vaſis ſuis effuſus membranas cerebri obſideat, ibi accendatur, & inflammationem producat. Ita Sennertus, ejuſque abbreviator Riverius, aliique. Jamque anteà attulerat Hollerius de morb. intern. lib. I. in ſcholiis pag. 23. " Phrenitidis cauſam eſſe duplicem : unam à bile „ naturali, ideſt tenuiore ſanguine ad cerebri Meninges affluen- „ te, eaſque inflammante ; Unde Hippocratis deliria ſecuriora „ cum riſu repetenda ſint. Alteram è bile non naturali, ideſt „ acri, & aduſtâ, quæ quò acrior eſt, & aduſta magis, eò ſæ- „ viora, & periculoſiora accidentia invehat. „ Ita etiam Foreſtus Lib. X. Obſervat. II. in ſcholiis pag. 314. Atque Obſervat. III. in ſchol. pag. 317. Aliique plurimi.

Phrenitin ab Hippocrate ſympathicũ eſſe, ut plurimùm, in cerebro morbũ, atque à recrementitiâ bilis vitiis oriundum, oſtenditur.

III. Intereà, neque Phrenitidem ſemper morbum eſſe cerebri, aut ejuſdem membranarum Idiopathicum ; imò ut plurimùm ſympathicum ; neque à calidiori, ſeu bilioſo ſanguine, ſed à recrementitiâ ipſâ bile, quæ extra ſanguinem eſt, atque ad gignendam phrenitidem intrat in ipſum ſanguinem, eandem produci, ex omnibus Hippocraticis textibus manifeſtè depromitur. Ita II. de morbis fol. apud Foeſ. 460. „ Phrenitis [quæ eſt perpetuum cum febre delirium] ad hunc „ ſe habet modum. Sanguis, qui in homine exiſtit, magnam „ partem ad prudentiam confert, ut quidam verò dicunt, to- „ tam. Ubi igitur bilis commota & ſanguinem ſubierit, ex ſo- „ lita compage, & motione ſanguinem dimovet ; & ſero di- „ luit, & percalefacit. Qui percalefactus totum etiam reliquum „ corpus calefacit, & homini mens alienatur, neque apud ſe „ eſt, propter febris copiam, & ſanguinis non conſuetam di- „ lutionem, & agitationem. Qui verò Phrenitide detinentur, „ quod ad mentis alienationem, his qui atrâ bile laborant ſunt „ aſſimiles. Atrâ enim bile vexati, cùm à bile, & pituita ſan- „ guis corruptus fuerit, morbo corripiuntur, & mente alie- „ nantur, quidam etiam inſaniunt. Et in Phrenitide ſimiliter „ contingit. Quò verò bilis pituita eſt imbecillior, eò minor

tum

„ tum inſania , tum mentis alienatio contingit. „ Libro verò *de affectionibus* , atque apud Foeſium ſectione V. fol. 518. Phrenitidem deſcribens hæc habet. "Ubi perpetua cum febre Inſania, (phrenitis dicta) occupat, primùm levis febris detinet, & dolor circa præcordia, magis autem dextera ad Hepar. Cùm autem quartum , aut quintum diem attigerit, tum febris vehementior, tum dolores majores fiunt, colorque aliquantum bilioſus redditur , & mens offenditur . . . Hic morbus oritur ex bile commota, ubi ad viſcera , & ſeptum tranſverſum reſederit. Judicatur autem, ut breviſſimè ſeptimo, ut longiſſimè verò undecimo. Hunc enim pauci effugiunt , ipſeque in pulmonis inflammationem tranſit, ac ubi tranſierit pauci evadunt. „ Tùm Lib. III. de morbis atque apud memoratum Foeſium Sect. V. fol. 490. ita de phrenitide loquitur: " Phrenitides, ſeu perpetua mentis cum febre acuta deliria. Phrenitides etiam ex aliis morbis oriuntur. In his ſeptum tranſverſum adeò dolet, ut ne contingere quidem ſinant: Febris accedit , mente alienantur, immotis oculis aſpiciunt , aliaque ſimilia efficiunt his, qui pulmonis inflammatione laborant , in eaque mente moventur.

IV. Jamque ex his textibus plura , hæcque graviſſima docemur: Et quidem *primùm* : Phrenitidem non tantùm ab humore, diſſimili à quacumque ſanguinis ſpecie, ſeu ab ipſa accenſa furente , & cerebrum impetente , recrementitia bile ortum ducere; ſed ulteriùs à majori, aut minori bilis ad caput aſcendentis copia, majori, aut minori ejuſdem feritate, acerbiorem, aut minùs acerbum huic morbo gradum conciliari: *Quò verò bilis pituita eſt imbecillior, eò minor tum inſania , tum mentis alienatio contingit.* Secundò : Non tantùm à bile procreari phrenitidem , ſed à bile, quæ in proprio foco , ſeu hepate, peculiare vitium contraxerit ; Hinc rectà ab hoc viſcere ad cerebrum per ſanguinem attollatur: *Primùm levis febris detinet, & dolor circa præcordia, magis autem dextera ad Hepar . . . Hic morbus oritur ex bile commota ubi ad viſcera, & ſeptum tranſverſum reſe-*

Neque ſolùm docemur ab Hippocrate Phrenitidis materialem cauſam bilem eſſe hepaticam, rectà ab hoc viſcere ad caput tendentem, ſed inſuper non dari illam à diaphragmatis inflammatione immediatè productam Phrenitin, quam ideò

Paraphrenitidem Medicorum vulgus appellat, Phrenitis rarò à meningum inflammatione ortum ducit: Quid hæc propriè ſit: & quid Delirium in genere.

reſederit. Tertiò: eſſe igitur phrenitidem ſympathicum, ut plurimùm, morbum; Ita Duretus in Coac. fol. 54.: "Phrenitici „ autem fiunt, quoniam febris translatio ad cerebrum ſympto„ ma facit humoris morbifici proprium. Eſt autem morbificus „ humor & cauſa efficiens bilis; cujus proprium ſymptoma in cerebro eſt ipſa phrenitis„ eſſe verò ſympathicum ab ipſo hepatis vitio; non autem à diaphragmatis affectione, ut perperàm plurimi arbitrati ſunt ab his textibus intelligere poſſe: Nam cùm dicit Hippocrates: *hic morbus oritur ex bile commota, ubi ad viſcera, & ſeptum tranſverſum reſederit,* non quidem ipſam ſepti, ſeu diaphragmatis, ſubſtantiam intelligit, in qua quidem bilis non reſidet, ſed illam jecoris partem, ſeu gibbam, quæ non ſolùm accumbit ſepto, ſed ab eodem ambitur, & comprehenditur. Quod quidem manifeſtum reddit in tertio textu: *In his ſeptum tranſverſum adeò dolet, ut ne contingere quidem ſinat.* Et certè tranſverſum ſeptum contingi nullo modo in vivente poteſt, ſed jecoris gibbum dumtaxat. Ergo pro hoc tranſverſi ſepti nomine Hepar ipſum Hippocrates, atque in primis ejuſdem gibbum intelligit: Quod quidem evidentiùs declarat per alium textum Lib. *de diebus judicat.* ex Foëſ. Sect. II. fol. 57. "At verò acuti morbi ex bile oriuntur, cùm ad jecur „ confluxerit, & ad caput pervenerit. Sic verò afficitur: je„ cur intumeſcit, & propter tumorem ad ſeptum tranſverſum „ expanditur, ſtatimque ad caput, præcipuè verò ad tempora „ dolor ingruit.. Cúmque jecur ad ſeptum tranſverſum ma„ gis explicatum fuerit, delirat, ſibique ante oculos reptilia, „ & varias cujuſvis generis feras ferri exiſtimat, & homines „ armatos, cum quibus pugnare videtur, & tanquam ejuſmodi „ loquitur, irruit, minaturque &c.„ Hæc repetit Lib. de *int. affect.* fol. in Foëſio 558. Reverà per illud Hippocratis *cúmque jecur ad tranſverſum ſeptum magis explicatum fuerit, delirat,* indicatur Phlegmone Hepatis in parte gibba, quæ, ut eâ, quę in parte cava congeritur, vehementior eſt, acerbiori febre, & ferocioribus ſymptomatibus ſtipata, ita utplurimùm inducit phrenitidem,

nitidem, quæ non ita frequenter à cavæ partis Phlegmone progignitur. Quemadmodùm igitur non tam conſultò Duretus phrenitin hujuſmodi, convexarum Hepatis Phlegmoni proximè ſuccedentem, phrenitin à diaphragmate nuncupat in Coac. fol.458. ſic iſta Phlegmone jecoris illa una eſt, quæ ſuperiùs ab Hippocrate pro cauſa phrenitidis indigitatur: *Adeò dolet ut ne contingere quidem ſinant*, cùm ſola iſta ſit, quæ tactui ſe proximè præbeat. Intereà ubi Hippocrates de diaphragmatis affectibus manifeſtè, & nominatim loquitur, nullius indè ſuccedentis phrenitidis meminit. Ita lib. *de Priſca Medicina* versùs finem, poſtquàm ſermonem adduxerit de graviſſimis, creberrimiſque doloribus, ſuppurationibus, & tuberculis Hepatis, ad transverſum ſeptum converſus, ejuſdem etiam dolores, & tubercula exprimit, neque tamen de ulla ſuccedente phrenitide mentionem inſtituit. Exulet igitur à ſaniori praxi Medica illud *Paraphrenitidis* nomen, quod ſympathicis phrenitidibus, veluti à Diaphragmatis inflammatione ſubortis, arrogare cum Galeno ferè omnes Hippocratis Aſſeclæ conſueverunt, nimis litteraliter, ut dicitur, adductum textum interpretati; cùm reverà in denatis ab hoc morbo nulla unquam in transverſo ſepto propria inflammatio, ſed ſemper in jecore affectio deprehenſa fuerit. Quomodò cęterùm inflammato Diaphragmate illâ ægri uti poſſent reſpirationis libertate, quâ reverà in his morbis, *Paraphrenitidibus* dictis, ut plurimùm fruuntur? *Quartò* igitur: Phrenitidem non eſſe plerumque ab ipſa ſpeciali Meningum cerebri inflammatione repetendam: Cùm ſanè in Denatis à phrenitide membranæ hujuſmodi ſæpiſſimè non inflammatæ deprehendantur, nec imò per hilum à naturali ſtatu immutatæ: tùm inflammatæ fuerint frequenter perſpectę, [ut in terebrationibus cranii, vulneribus variis capitis, aliiſque caſibus quandoque contingit,] abſque eo quòd phrenitidem induxerint. Demùm, ſi phrenitis ab idiopathico cerebri morbo, ſeu ab ejus membranarum inflammatione ortum duceret, jam ab ipſo morbi principio febris, & phrenitis, quæ æquè eſſent hujuſmodi

Rrr morbi

morbi ſymptomata, neceſſariò ſimul accederent; Dum tamen plerumque febris phrenitidem diù antecedit. *Quintò*: Neque igitur tam raram phrenitidem eſſe, veluti à Fernelio, aliiſque decantatur: Ut potè quæ à ſola meningum cerebri inflammatione deducenda non eſt, ſed ſolùm, ut optimè advertit Hippocrates, à *perpetuo mentis cum febre acuta, vigiliis, & ferocitate delirio*; Quod quidem ut frequens ſatis in acutis febribus, ita tam crebrò ab eodem Sene deſcribitur. *Sextò* tandem: ſimplicis delirii nomen non eſſe juxta Fernelium, ejuſque aſſeclas, ſpeciatim accipiendum pro *alienatione mentis ex bile, aut ex tenui ſanguine per cerebrum effuſo, aut ex ventriculi, præcordiorum, totiusque corporis calida expiratione, qualis in ardentiſſimarum febrium vigore ſuſcitatur*; ſed ſolùm pro deſipientia, ſeu alienatione mentis in genere, aut cum febre, aut ſine febre: Ut ab Hippocrate, atque ex ejus documento, à pleriſque Modernorum uſurpatur.

Alia Præceptoris loca, hepaticæ bilis à jecore ad cerebrum, aut à jecore ad pulmones, hinc à pulmonibus ad cerebrum, pro excitanda Phrenitide, immediatam translationem evincentia.

V. Alia cæterùm Hippocratis loca memoratam à recrementitia bile phrenitidis geneſim, ſimulque ejuſdem humoris à jecore immediatè ad cerebrum, aut ab hoc viſcere, priùs in pulmonem, atque hinc à pulmone in cerebrum pro hujus morbi origine translationem confirmant. Phrenitis in Hepatitide à bile in caput translata deſcribitur à Coo, lib. *de intern. affect.* ſect. V. ex Foëſio fol. 548. " Bilis, quæ eſt in Hepate, pituita, „ & ſanguine referta, velut ratione colligimus, disrumpitur, „ cúmque disrupta fuerit, citiſſimè ad inſaniam deducitur, in„ dignatur, & imprudenter loquitur, more canis latrat, un„ gues puniceo ſunt colore, oculis cernere non poteſt, pili „ capitis erecti manent, & febris acuta invadit. Plerique intra „ undecim dies moriuntur, paucique evadunt; „ Phrenitis ulteriùs à metaſtaſi in caput ex Hepatis inflammatione habetur in Ægrot. XI. Lib. I. *morbor. vulgar.* ſeu in Dromeade uxore. Eſt autem notandum in hac Hiſtoria afferri dumtaxat *Hypochondrii dolorem*, non diſtinctâ parte, an dextrâ, an ſiniſtrâ. Sed opportunè animadvertit Duretus in Comment. ad Coacas:

Dextro

Dextro eſſe eam nominis prærogativam cùm Hypochondrii nomen ſcriptum legitur abſolutè apud Hippocratem. Præterea Dictator noſter Lib. de rat. Vict. in Morb. acut. Phrenitidem à bile in caput à propriis Hepaticis latibulis translatam graphicè depingit his verbis. " Interdùm etiam cruda à capite attrahuntur, & à tho-
„ racis regione building (hîc Hippocrates per thoracem intel-
„ ligit ventrem, ut legitur lib. de Arte, pag. 6., ubi idem ait:
„ *Nam & thorax dictus*, *quo jecur concluditur*) vigiliæque iis
„ accedunt, ob quas non coquitur morbus, valdéque triſtes,
„ & amarulenti evadunt, delirio tentantur, & iis oculi vibran-
„ ti ſplendore coruſcant; Aures ſono implentur, extrema per-
„ frigeſcunt, urinæ incoctæ, ſputa tenuia, ſalſa, colore ſince-
„ ro tincta, & pauca, ſudores circa cervicem, anxietates, ſpi-
„ ritus offenſans, creber, & magnus valdè, ſupercilia quodam-
„ modò amplificantur, pravæ animi defectiones, veſtium à pe-
„ ctore rejectiones, & manus tremulæ, atque interdum labii
„ inferioris concuſſio. Quæ ſi initiis compareant, gravis deli-
„ rii ſignificationem exhibent, & plerumque moriuntur „ Neque minùs perſpicuè loquitur in principio Libri II. de *Morbis*, ubi addit hoſce phreneticos bilem vomere, cùm nimirùm ipſa in corpore ſit agitata, craſſiſſimam verò vomere, cùm tenuiſſimam caput ad ſe traxerit. Et rursùs incoctas urinas incuſat, expertes ſcilicèt bilis, in cerebrum traductæ. Ita ait in Coacis: *In Phrenitide albæ dejectiones*, *& corporis exolutio grave malum.* Quas quidem albas alvinas dejectiones deducit Duretus in Comment. " A vacuitate bilis translatæ in Cerebrum, cujus
„ translationis cauſa eſt incendium ſuperioris regionis Hepatis. „ Tùm aliam biliaris Phrenitidis ſpeciem ex biliaris pleuritidis Epigeneſi ad caput annuit Senex in Prædict. & Coac. *Lateris dolor cum ſputis bilioſis ſi abſque ratione evanuerit*, *ægros in vehementem*, *& furioſam mentis emotionem agit.* Quam quidem plerumque eſſe lethalem in praxi deprehenditur. Et rursùs in Coac. *Quibus cum dolore lateris*, *non tamen pleuritico*, *levis adeſt*, *aut modica perturbatio*, *evadunt phrenitici.* Quem quidem lateralem

non pleuriticum dolorem à bilis orgaſmo deducendum eſſe ſatis evincit Duretus in ejuſdem textus Commentario, fol. mihi, 291., ex cujus humoris translatione à pectore ad caput paraphorica cerebri ſymptomata excitari probat; tum ex levi perturbatione facilè iri ad phrenitidem, & inſaniam demonſtrat, cùm effera bilis eò prorepit, ibique feritatem ſuam exercet. Cæterùm Hyppocraticis Obſervationibus accedit illa cl. Muſgravii Angli de Phrenitide à bile ex inteſtinis in caput translata, quam quidem inferiùs in biliaris Dyſenteriæ diſquiſitione accenſebimus.

Idem confirmatur à plurimis Galeni locis.

VI. Galenus Præceptoris veſtigiis inſiſtens, Lib. IV. de Cauſis pulſuum Cap. XIV. affert, Phrenitin à bilioſo humore generari. Primo in Hipp. Prorrhet. Comment°. ait „ Phrenitis quæ exquiſita eſt, & nulli alteri morbo permiſcetur, fit „ cùm bilis flava locum, in quo princeps animæ pars reſidet, prehenderit. In Comment. Lib. II. Hipp. *de popular. morb.* exhibet ardentium febrium, & Phrenitidis pro loci, quem tenent, diverſitate auctorem eumdem eſſe biliarem humorem: Atque 3. de loc.affect.cap.7. Exemplo Hippocratis deſignantur ab eodem varii bilioſæ Phrenitidis gradus ſecundùm majores, aut minores ejuſdem humoris depravationes: *Phrenitis nonnunquam mitior eſt, quum videlicet à pallida bile ortum contraxit; Interdum vehementior, quum flava bilis eam peperit: Atque inſuper alia nonnunquam dementia occurrit ferina, & melancholica, flavâ bile peraſſatâ.* Quæ quidem omnia locis aliis quamplurimis confirmat: Ut pateat varios eſſe gradus malitiæ *bilis*, *à viſcerum incendio*, ſicut ait Duretus, genitæ, atque in cerebrum *deportatæ*.

Signa ex Hippocrate imminentis Phrenitidis, ex bile, aut ex jecore aut è pulmone in caput translata: Et qualis ſit in

VII. „ Vehementi inſaniâ detenti, tremuli cum crebra „ ſpuitione, metus eſt ne phrenetici evadant.„ In Coacis, „ vehe„ menter, & acutè emoti, ſi febris iterùm repetat, phrenetici „ evadunt.„ Etiam in Coacis; Atque in iiſdem, aliiſque locis inſaniam etiam portendit Senex ex ferociente, truculento, ſimulque fixo rectoque oculorum obtutu, ac motus pernicitate, à pervigilio, aut turbulento ſomno, atque interdùm è ſtilla-

è ſtillatione ſanguinis à naribus ; à linguæ inſuper affectibus. Ita in Coacis " Lingua tremula inſtabilem mentem, & à ſede conſtantiæ deturbatam ſignificat. Linguæ denſæ, & peraridæ ,, Phrenitidem portendunt. ,, Alibi etiam eandem prognoſim à nigra lingua deſſumit, atque etiam ab eadem balbutiente. In Prædict. Lib. I. " Phrenetici parum bibunt, ex levibus ſtrepitibus facilè irritantur, ac percelluntur, tremuli ſunt. ,, Sed multa inprimis argumenta à Præceptore afferuntur, quæ quidem imminentem ſimul Phrenitidem, ſimulque cauſam à delinquente bile, mandanteque ad caput Hepate, deſſumendam eſſe, perſpicuè declarant. Hæc in Prorrhet. legimus ,, Qui in capitis doloribus æruginoſos vomitus habent, vigilantque cum ſurditate, citò hi vehementer inſaniunt ,, Æruginoſam autem bilem, quæ per vomitum ejicitur, à flavæ bilis peraſſatione produci Hippocratis mens eſt. Ita in 3. *Epidem.* memoriæ tradidit " Philiſtam vomuiſſe quidem bilioſa pauca, flava primùm, mox æruginoſa plura ; Deinde ſimul ,, accidiſſe homini ſurditatem, atque demùm vehementer inſaniviſſe. ,, Intellige autem hæc omnia in vehementi febre contingere : Quandoquidem, ut pariter obſervavit Hippocrates, bilioſas ejuſcemodi phrenitides antecedunt ardentiſſimæ febres cum linguæ ſiccitate, & flavedine, atque ut ait Hippocrates, *cum denſa lingua atque arida*, acerrima ſiti, urinis principio flammeis, ſimulque lateritiis, hinc ſtatim pallidis, & tenuibus redditis; In primis dolore ad hepar ſtabili, & acerbo ; quâdam faciei flavedine, & ſimilibus dominatûs bilis indiciis. Phrenitis bilioſa alias omnes ab aliis principiis exortas vehementiâ, & feritate ſuperat : Ita bilioſam phrenitidem, inſaniam furioſam in libris *Epidem.* appellavit Hippocrates. Comitantur inſuper bilioſam phrenitidem vehementes artuum tremores " Phrenetica vehementer trementia finiuntur ,, ex Hippocrate quæ quidem artuum concuſſiones ab acerrimæ bilis ſtimulo nervoſis partibus inducto repetendæ ſunt : Addit in eodem *Prorrhet.* Lib. Senex, loquens de ejuſcemodi Phreneticis

bilioſa phrenitide ferocia gradus.

„ Comatoſi inter initia facti cum Capitis, Lumborum, Hypo-„ chondrii, Collique dolore vigilantes „ Siquidem craſſitudinem quandam affectans bilis principio decubitus, malitiam in cerebro veluti narcoticam interdùm exerit. Aſſerit inſuper Hippocrates cit. loc. in hiſce deſipientiis *hypochondria intrò trahi:* Quod quidem in dextro ſignatim hypochondrio, atque ex productâ ſimul cum phrenitide, & tremoribus convulſione aliquando per praxim perſpeximus. Signa Epigeneſis bilioſæ pleuritidis ad phrenitidem elici poſſunt à loco Galeni in Dynamidiis „ Urina tenuis, & ſanioſa, ſi in pleuriticis initio ægritudinis „ venerit, & per multos dies manſerit, phrenitin futuram „ nunciat, maximè ſi eis tuſſis ſicca, & inſomnia fuerint. „

Signa imminentis phrenitidis, præcipuè ex urinis deſſumpta.

VIII. Reverà, quod in acutis bilioſis, aliiſque febribus futuram brevì phrenitidem, præcipuè, tutiúſque indicat, eſt ipſa urinarum inſpectio. Ita ſi hæ in augmento acutarum cum aliquo capitis dolore ſubitò palleſcant, ſeu derepentè aquoſæ fiant, hunc morbum tutiſſimè prænunciant. " Nam quæ ſunt, (*ait doctiſſimus Duretus in Comment. ad Coacas Hipp. fol., mihi* 510.) „ pellucidæ, & aquoſæ in acutis morbis urinę, eò certè ap-„ parent; Non quatenùs potioni concolores, ſed bilioſæ tin-„ cturæ expertes, vel ob anadromem bilis in cerebrum ad phre-„ nitidem, & hæmorrhagiam, vel ob derivationem ejus in „ alvum ad dyſenteriam. „ Ita Hippocrates Aphor. LXXII. Sect. IV.: *Quibus urinæ albæ, & perſpicuæ, malè præſertim ſi in phreneticis appareant.* " Quem quidem explicans Galenus ait „ aquoſas urinas, ſeu albas, & perſpicuas magnam cruditatem „ oſtendere & præterea flavæ bilis totum impetum ſurſum in „ caput factum fuiſſe . . . melius eſt, *addit*, ut ſicuti totus „ morbus eſt bilioſus, ſic & urinę appareant bilioſæ " Adjicit „ peſſimam prognoſim „ Nullum vidi phreneticum, in quo „ talis urina apparuiſſet, ſalvatum. „ At verò Galenus non ſolùm ex tenuibus, & aqueis urinis in bilioſis acutis febribus ſubitò redditis malę futuræ bilioſæ phrenitidis perniciem denunciat, ſed inſuper ex ſaturatioribus, craſſioribuſque, ſi diutiùs

cum

cum aliis quibuſdam ſymptomatibus perſtiterint. Ita *in ſpur. de Dynamid.* fol. 34. hæc habet. " Urina rubra, & ſpiſſa ſi fuerit „ egeſta frequentiùs, & ſi dolor capitis, & ſcapularum affue- „ rit, & auditum pariter obtuſum habuerit, & hypochondrio- „ rum dolorem ſenſerit, futuram Phrenitim denunciat: Quòd „ ſi infra ſeptem dies ſoluta fuerit, ictericum facit: Et ſi non „ fuerit ſoluta, & in macronoxiam venerit, & nebulæ non „ bonæ in eadem fuerint, ex eadem phrenitide morietur. „ Similes futuræ phrenitidis prædictiones in acutis febribus ex urinis tenuibus, decoloribus, & paucis; aut anteà craſſis, & rubris, mox tenuibus, ſed nunquam ſubſidentibus, & ſæpè hoc pacto mutatis, aliiſque indiciis erui poterunt ex hiſtoriis Hippocratis Phrenitide denatorum; videlicet ex Ægrot. XV. & XVI., atque Ægrot. II. Lib. III. Morbor. Vulgar. Sect. VII. ex Foeſio, aliiſque. Ita ex his omnibus ſequentia veluti in ſummam colligit Baglivus in *lib. I. Prax. Med. de Phrenitide.* " Febres ardentes ſemper habent urinas tenues, & coloratas; hinc „ ſi tales urinæ fiant albidiores, tenuioreſque, & adſint vigiliæ, „ oculorum perturbatio, lingua balbutiens &c. prognoſticare „ poteris brevì futurum delirium. Urinæ ſubjugales, ideſt craſſę, „ & turbidæ in acutis morbis, ferè ſemper morbos capitis poſt „ ſe trahunt: Ideò ſi apparentibus illis vigiliæ ſæviant, dolo- „ res capitis, linguæ aridæ, & ardores viſcerum, prognoſti- „ cato brevì delirium.

IX. In bilioſa Phrenitide ſtillatio è naribus pernicioſa eſt, tùm aliàs, tùm ſi quarto cœperit die, ut ait Hipp. lib. *Prorrhet.* Nam neque id ſtillat, quod ſtillandum eſſet, nempè bilioſus latex; tùm nimiam vaſorum plenitudinem, & preſſionem ſubeſſe, tùm nullam moliri naturam delinquentis humoris coctionem, aut coctionis principium indicatoriâ illâ die dignoſcitur. Phrenitide qui intereant elicimus ab Hippocrate lib. I. *de morbis* in fine. " Ex Phrenitide ita perit. In hoc morbo „ perpetuo delirio urgentur, cùm nimiùm ſanguis corruptus, „ & extra ſolitam agitationem motus ſit, cúmque deſipiant, *Præſentis Phrenitidis Prognoſis.*

neque

„ neque quicquam effatu dignum eorum quæ offeruntur ſuſci-
„ piunt. Procedente verò tempore marceſcunt, & conſumun-
„ tur, tum à febre, tum quòd nihil nutriantur. Ac primùm
„ quidem extremæ partes imminuuntur, & perfrigerantur; Dein-
„ dè etiam proximè „ Signa ulteriùs lethalis Phrenitidis colligantur ex Hiſtoria *Dealcis uxoris*, quæ eſt XV. Lib. III. *Morbor. Vulgar.*

Curatio biliosæ Phrenitidis, ab Hippocraticis præcipuè Oraculis elicita.

X. In bilioſæ Phrenitidis curatione non immorabimur; Cùm hic ab effera bile ſymptomaticus morbus eam quoad Phlebotomiam, purgationem, atque humectantia, & attemperantia remedia adminiſtrationem depoſtulet, quam quidem variis morbificę bilis conditionibus, atque errorum motuumque gradibus accommodari per plurima hujus Hiſtorię loca retulimus. Quædam ſolùm circa ſingulas memoratas Præſidiorum Claſſes ex Præceptore obiter memorabimus. Et primùm quod ſanguinis miſſionem ſpectat: Hippocrates lib. de judicationibus affert. " Atrâ bile vexatis, & Phrenitide detentis ſanguinis pro-
„ fluvium per ora venarum, quæ in ano ſunt, bonum eſt „ & cauſam proſperi eventus ab hirudinum admotione ad hęmorrhoidales venas in morbis bilioſis omnibus, qui inflammatoriam Diatheſim contrahunt, ſuperiùs in Phlegmonis diſquiſitione tetigimus. Quò ad purgationem, diluentia, & humectantia, loquens Cous de phrenitide Lib. III. *de morbis*, hanc curationem proponit. " Hunc tepefacientibus humidis calefa-
„ cere oportet, ex potionibus, pręterquàm vino, & quoad
„ quidem fieri poterit, per ſuperiora purgare. Alioqui
„ alvus inferior, ut dejiciat, præparanda, & potionibus hu-
„ mectanda, quod conducit „ atque Lib. *de affect.* Hæc circa eandem curationem edocet. " Alvus curanda, eademque reli-
„ qua ac in morbo laterali, excepto potu, facienda. Potu quo-
„ vis alio, præter quàm vino utendum, aut acetum, & mel,
„ & aqua exhibenda. Vinum autem mente offenſâ neque in
„ hoc morbo, neque in quibuſvis aliis confert. In hoc autem
„ morbo Caput multâ calidâ lavare confert. Molliore enim

reddito

„ reddito corpore, ſudor magis oritur, alvuſque, & urina ex-
„ cernitur, ipſeque ſe ipſo moderatior evadit. „ Bina ex his textibus annotanda ſunt: Primum, Hippocratem phrenitidem veluti ſymptomaticum ex bilis metaſtaſi morbum, non veluti ex Meningum Cerebri inflammatione idiopathicum hîc adhuc manifeſtè reſpicere, cùm purgantia, imò & Emetica tam commendet, & jubeat; Quæ quidem efferæ bilis orgaſmis, atque excurſibus apprimè, unicéque conveniunt, nullimodè verò ſyſtrophicis inflammationibus, ut patet. Alterum, Hippocratem vini uſum in quolibet morbo, vel inflammatorio, concedere, præterquàm in delirio quolibet [ut hîc abſolutè ſe explicat] atque in dolore Capitis, contra omnium penè medentium uſum, vivificum hunc nectarem, atque cordialium remediorum præſtantiſſimum ab omnibus penè morbis quâlibet febre ſtipatis pręſcribentium. Cùm igitur affert Cous: *Eademque reliqua ac in morbo laterali excepto potu facienda*, vini *potus* intelligendus eſt, quem ſcilicet vel in laterali morbo concedit. Quod reliquum: Galenus ſummi hujuſmodi medicinæ Artificis pręceptis inſiſtens, *lib. de Dynamid.* aliiſque ſuis omnibus cholagoga purgantia imperat remedia, non ſolùm in ictericis paſſionibus, atque Hepaticis, & pleuriticis biliaribus; ſed in Mania, Cephalalgia, Ophtalmia, Eryſipelate, Lepra, Tertianis febribus (quos quidem plerumquè morbos à variè delinquente bile habere originem accuratiores noverunt Antiqui) atque præcipuè in Phreniticis. Ita in delirio ſi ſuperveniat alvi fluxus, præſertim morbo ad coctionem tendente, ægri facilè evadunt. De calamitoſis in Phrenitide veſicantium effectibus vide plura ſatis laudabilia in Baglivii peculiari loco *de Phrenitide*, atque in ejuſdem Tractatu *uſus*, *& abuſus veſicantium.* Reverà nos ſuperiùs hocce remedii genus à calidis bilis affectibus omninò proſcripſimus.

APPENDIX

De Bilioſo Capitis dolore, ſeu Cephalalgia,
Cephalæa, & Hemicrania Bilioſis;
De Bilioſa inſuper vertigine; & tandem
De Mania, quæ à Bile eſt,

Canones Practici.

Doloris Capitis ex bile Ætiologia in genere, ſigna, ſucceſſiones, Prognoſis, & curatio.

Ætiologia

I. HIppocrates Lib. *de diebus judicat.* cauſam, & modum explicat bilioſi doloris Capitis, quem inter acutos morbos reponit. "At verò acuti morbi ex bile oriuntur, cùm „ hæc ad jecur confluxerit, & ad Caput pervenerit. Sic verò „ afficitur, jecur intumeſcit, & propter humorem ad transverſum ſeptum expanditur, ſtatimque ad Caput, præcipuè „ verò ad tempora dolor ingruit, neque auribus acutè audit, „ ſæpè verò oculis non videt, horrorque, & febris invadit. „ Hæc igitur per morbi initia ei contingunt, & quandoque „ valdè quidem, quandoque etiam minùs Intermittunt, quóque „ magis morbi tempus proceſſerit, eò corporis dolor major „ eſt, oculorum pupillę diſſipantur, eorumque acies hebeſcit, „ ſíque digitum ad oculos admoveris, non percipiet, eò „ quòd non videat. Iſtud autem quòd non videat hinc cognoſces, quòd admoto digito non nictatur, & floccos ex „ veſtibus ſtragulis detrahit, ſi quos videat, pediculos eſſe ratus. „ Quæ quidem repetit Senex lib. *de internis affect.* ſub nomine *Craſſi morbi.* Tum biliaris hujuſmodi in Capite doloris

Signa

ſigna adhuc diligentiora porrigit Lib. II. *de morbis.* " Si cerebrum bilis vexet, febris lenis, & rigor detinet, dolorque „ toto Capite, pręcipuè verò ad tempora, ſinciput, & oculorum regiones, ſupercilia ſuſpendi videntur, & ad aures dolor

„ lor pervadit, quandoque per nares bilis effluit, oculi caligant, & pleriſque quidam ad dimidiam corporis partem dolor pervenit, toto etiam capite oritur. " Addit Galenus II. *de Compoſ. Pharm. S. L. Cap. I.* " Signa in his ſimilia ſunt eis, quæ „ ex ardore oboriuntur; accedit his major morſus, & faciei „ pallor, & aliquando oris amaritudo. Ætati autem vigoris, „ & temperaturis calidioribus, & vitæ curioſę, & iis, qui flavam bilem congregant hæc affectio prę cipuè ſolet contingere „ In Coacis verò quoſdam memorat Senex à bilioſa comatoſa febre capitis dolores, qui in graviſſimas tandem parotides deſinunt: febricula cum Comate, & Capitis dolore „ mortifera. Viſcida bilioſa ad aurium magis abſceſſus prompta ſunt „ Quibus quidem hocce Commentum adjicit accuratiſſimus Duretus " Parotidas illas hæc Theoremata docent „ à bilioſo viſcido humore advenire, potiùs quàm à pituitoſo, „ vel melancholico: ſignificari autem febricula cum commate, „ & Cephalalgia conjuncta. De humore quidem bilioſo intellectum eſt antè, incaleſcendo glutinoſum fieri: Inclinatum „ prętereà eſſe in parotidas, ex Galen. ad progn. 34. lib. 2. „ In iis autem bilioſis Capitis doloribus cum acuta viſcerum, atque hepatis prę cipuè, affectione, & delirio interdum ſuccedente, graviſſimam prognoſim inſtituere pergit Hippocrates: *Succeſſiones*

„ Quibus itaque à primo protinùs die dolor ſupervenerit, iis „ quarto, & quinto die ingraveſcit, mox in ſeptimo liberantur: Sunt non pauci qui in tertio die dolere incipiunt, quinto maximè moleſtantur, deinde nono, vel undecimo tuti „ evadunt. Sed quos dolor quinto die vexare cœperit, reliqua „ ex proportione reſpondeant, iis ad quartum decimum morbus judicatur. Hæc tum viris, tum mulieribus, ſed in tertianis maximè contingere ſolent. Junioribus verò cum iis „ ipſis, tùm prę cipuè in Continuis febribus, atque Tertianis ſinceris „ Quam quidem poſtremam particulam explicat in Commentariis Galenus ex bilioſiſſima in his hominibus, atque in his febribus conſtitutione. *Lib. de intern. affect.* alia adhuc *Prognoſis.*

hujus morbi prognoſis obverſatur " Multis verò ubi jam quie-
„ verit hic morbus rursùs revertitur; quod ubi contigerit, pe-
„ riculum eſt, ne æger conſumptus pereat. Judicatur autem
„ morbus ſeptem diebus lethalis ſit nec ne, quos ſi effugerit
„ ferè non moritur, ſed in multis curatus decedit. „ De do-
lore Capitis bilioſo in febribus non acutis aſſerit Cous in *Pro-
gnoſt.* verba faciens de ſpontanea bilis vomitione, eveniente ra-
tione judicationis " Si quis per febrem non exitioſam dixerit
Curatio. „ caput dolere . . bilioſa vomitio aderit „ Denique Curatio
hujus affectus ſi ſimplex ſit, & ſine acuta febre, ab eodem
Hippocrate in memoratis locis inſtituitur per longas ſorbitio-
nes, & aquæ potus quoad morbus judicatus fuerit; Per refri-
gerantia capiti admota, & per inſtillationem ſucci apii in na-
res, ubi dolor, & fluxio quieverit: Per levia cathartica, &
cibos quàmmaximè alvum ſubducentes. Adjicit itaque in me-
morato Textu Lib. II. *de morbis*, ubi de hoc capitis dolore,
lenis febris comite, ſermonem complectitur. " Ac ſi propul-
„ ſatâ fluxione, & dolore, ad ſupercilia juxta naſum pondus
„ quoddam ei incumbere videatur, mucuſque craſſus ſit, &
„ putridus, fomento ex aceto, aquâ, & origano adhibito,
„ mox calidâ loto, æris florem, & myrrham ad nares admo-
„ veto. Hæc ubi feceris plerumquè ſanum videbis, morbus au-
„ tem minimè eſt lethalis „ Sed Lib. *de intern. affect.* ubi de
dolore capitis bilioſo complicato loquitur, ſeu cum acuta febre,
& ſuccedente delirio, poſtquàm uſum veratri nigri vel in po-
tione, vel ſaltem in clyſteribus, tùm clyſteres ex lacte, aut
Betæ decoctionibus commendaverit, & crebros hauſtus ex mel-
le, aquâ, & aceto, aut ptiſanæ; iſta ſubnectit " Cùm verò ceſ-
„ ſaverit morbus, optimâ victus ratione utatur, ſenſim ad-
„ jiciens quę ventriculus ſuſcipiat, ut non exurantur, neque al-
„ vi profluvium ſuperveniat. Balneo quotidie utatur, & poſt
„ cibos moderatè obambulet; Lac, & ſerum, ſi anni tem-
„ pus ferat, per dies quinque & quadraginta bibat. Quæ
„ cùm fecerit citiſſimè ſanus evadet. Morbus autem difficilis
eſt,

„ eſt, multâque curâ indiget „ Galenus 2. de compoſit. Pharmac. S. L. Cap. I. his verbis biliaris hujuſmodi Cephalalgiæ curationem aperit. “ Itaque Balnea temperata, & unctiones, & „ potus dilutus eis exhibenda ſunt, omniſque victus ratio liquidior, & boni ſucci conſtituenda. Evacuandus item bilioſus humor per abſinthii cremorem, aut per aloën, & per „ ipſam picram antidotum, per ſe datam, aut modicâ additâ ſcammoniâ; vel per Catapotia ex aloë confecta. „ Peccantem jam igitur in hac bile, capitis dolorem inducente craſſitiem, atque tenacitatem ex hac vehementium catharticorum uſurpatione videtur Galenus recognoſcere. Equidem in inveteratis doloribus capitis ſine febre, à limoſa, viſcidaque bile, aut etiam à lento alio humore quolibet progenitis, mirabile eſt Catholicum Paracelſi, quod aliquibus ſub nomine Pilularum Rudii innoteſcit: Cujus quidem deſcriptionem, veluti ab aliquibus in ſecreto habitam, hîc loci proferre non pigebit. R. Colocynthidis ℥vj. Agaric. opt., diagridii, ellebori nigri, Turbith aa.℥iv. aloës. unc. i. ſpec. diarrhod. Abb. unc. ß: Contundantur omnia, exceptis ſpeciebus diarrhod. Abb., craſſo modo, & infundantur ad ſolem in aq. vitæ opt. per VIII. dies, ita ut aqua vit. ſuper emineat VIII. digitos. Deinde infundantur quoque ſpecies diarrhod. Abb. in aqua vitæ ſimili modo per IV. dies: & factâ colaturâ, atque expreſſione forti utriuſque, miſceantur illæ colaturæ; & abjectâ fece ponatur liquor, ſeu infuſio in alembico vitreo: & abſtractâ per diſtillationem humiditate remanet materia denſa inſtar mellis, ex qua confici poterunt pilulæ, quarum, ſæpiùs devorandarum, doſis erit ad ſcrup. unum. Cæterùm cum hiſce expoſitis doloris capitis cauſis, ſignis, ſucceſſionibus, prognoſi, & curatione, conciliari omnes ejuſdem affectus ſpecies queunt, quæ ſcilicet nonniſi per gradus, aut extenſionem differunt; ſeu, Cephalalgia, quod quidem nomen accipitur quandoque latè, & in genere pro omni capitis dolore, aliquando ſtrictè pro dolore capitis, qui nec diuturnus eſt, nec cum magna capitis imbecillitate con- *Dolores Capitis in ſpecie. Cephalalgia.*

Cephalæa junctus; Cephalæa, quæ ſumitur pro inveterato, at verò periodis prædito dolore capitis, ægrè cedente, & pertinaci, à modicâ qualibet occaſione in vehementes acceſſiones, invaleſcen-*Hemicrania*te, multamque capiti imbecillitatem conciliante; Hemicrania tandem, quæ ſpecies eſt doloris capitis, dimidiam circiter capitis partem, dexteram, aut ſiniſtram, latera, aut verticem, puppim, ut dicitur, aut proram, ſeu occiput, aut frontem dumtaxat invadens. En bilioſæ cephalææ hiſtoriam, quæ eſt Caroli Piſonis Obſervat. II. *Morbor. ab Eluvie ſeroſa Sect. II. Pars I. Cap. I.* " Præfectus Baſilicis hortis villæ, cui nomen ſalictarius „ Rivus ad primum ab urbe *Nancæo* lapidem, anno circiter 1600. „ deploravit apud me ſuam ærumnoſam vitam ob pertinacem „ inſomniam, quam gravis capitis dolor ei annum jam vertentem intuliſſet; Qui dolor alioqui tactu exacerbaretur, & „ de nocte ingraveſceret. Cùm ego Caput contrectaſſem, ac „ ſtagnantem ſub cute humorem deprehendiſſem, & doloris „ præterea acerbitas, pervicaxque inſomnia ſuſpicionem alicujus cacoëthias injiceret; ex adverſo autem cum hominis jam „ viridi ſenectâ famam quidem integram, & ab omni inhoneſti morbi labe alienam prorsùs noſſem, temperies verò ejus „ atrabiliaris, vitaque perpetuæ apricationi expoſita ob oculos obverſarentur, tùm ſanè humorem tumoris illius continentem cauſam aqueum illum quidem, ſed acri, & bilioſo „ perfuſum eſſe ichore, qui inſomniam, doloremque induceret, ſim ſuſpicatus. Nimirum ab iiſdem cauſis, à quibus „ in ſuperiori puella, externum caput ſeroſa eluvies opprimebat, pungebatque & impetum ejus ſurſum juvabat plurima „ bilis excrementitia ſero affuſa, & ab hepate præcalido, cui „ ſaturatus rubor in hominis vultu atteſtabatur, ſuccreſcens. „ Cùm autem vir bonus omnia remediorum genera fruſtra ſe „ hactenùs tentaſſe, eorumque vim pervicaciâ morbi „ eluſam eſſe quiritaretur, jubeo ne deſponderet animum, ſed „ actutum poſtico occipiti cauterium inuri curaret. Dictum, „ factum. Aquâ virore quodam inſigni, & bili praſſinæ finitimâ

„ mâ ubertim per plures dies dimanante acerbam ille , in„ quietamque vitam jucundiſſimâ ſtatim quiete commutavit „ Hæc igitur Piſo : à quo quiſque doceri poterit, quo tempore, quove bilis ad caput illapſæ , ac veluti per externa integumenta effuſæ , & ſerpentis , ſtatu , ad eandem derivandam, atq; eliminandam præmiſſis univerſalibus præſidiis , hujuſmodi aut ſimilia artificialia , ſeu potiùs morboſa, emiſſaria inuri, atque aperiri queant.

I I. De Hemicraniæ cauſis peculiariter loquens Galenus *III. de loc. aff. Cap. IX.* hæc addit " Porrò ea corpora ſuâpte „ naturâ idonea ſunt ut ipſis caput impleatur, in quibus vapo„ roſus , caliduſque ſpiritus generatur: aut quibus biliosa ex„ crementa cumulantur in ore ventriculi , & dolore mordaci „ afficiuntur „ Reverà Hemicraniam plerùmque comitatur cardiogmus , ſeu oris ventriculi morſus ; tum tenebricoſum quidpiam ob oculos obverſatur , ob concuſſionem videlicet ramuſculorum quinti , & ſexti paris in plexum *Cardiæ* , ſive ſuperioris oris ventriculi concurrentium ; Quæ ſanè concuſſiones ad alias earundem nervearum conjugationum ſoboles, uberrimè per oculum diſperſas propagantur , undè bulbi oculi concuſſio , & veluti palpitatio , plus minùs offuſcato viſu , repetenda venit. Hinc Hemicraniæ hujuſmodi vel per ſpontaneam acerrimæ bilis vomitionem , vel per Emeticum procuratam, extemplò delentur, ut in praxi videre eſt. Amicus quidam meus ſtrigoſus, & pichrocolus ab irâ, aut quocumque acriori, ſubitoque animi affectu in vehementem hemicraniam ruit , nunc dextram , nunc ſiniſtram , cum ventriculi morſu, proſtratione virium, tenebricoſo oculorum affectu , & inſigni nauſea. Paſſio ad aliquot horas protrahitur ; Hinc amariſſimę , calidæq; bilis copiam non modicam evomit , & ſtatim ab hemicrania expeditur. Ab ipſo verò excandefacto , efferatoque bilioſo ſucco oriri in hoc caſu hemicraniam patet ex hominibus aliis, qui ſi irâ vexentur , ſubitâ corripiuntur diarrhoêâ biliosâ ; quæ quidem ſi non accedit, accedit febris. Ita qui ſimiles patiuntur Hemi-

Hemicraniæ biliaris cauſſa.

Symptomata.

Caſus.

Hemicranias, ſeris dumtaxat annis, bile, ſcilicet per ſenium deſervente, ab hujuſmodi habitudine utplurimùm liberantur. Carolus Piſo obſervat. XIII. ſui Operis *morbor. à colluvie ſeroſ.* affert, nobilem virgunculam, temperamento calidam, & ſiccam, ſubitâ Hemicraniâ ad ſiniſtrum tempus, oculumque, & aurem ejuſdem lateris vehementer obſtrictam, & laceſſitam, ſuccedentibus manuum, & brachiorum torporibus, indéque capitis in poſtica convulſione, torturâ oris, dentiumque adſtrictione, cum reſolutione totius corporis; Quæ tamen per hauſtum ex Medici conſilio hydrelæum, redditumque vomitu plurimum bilioſum fluidum ſibi brevì reſtituta eſt.

Vertigo biliaris, ſeu ſympathica ab hepate, aut ventriculo.

III. Galenus pariter III. *de loc. affect.* Cap. VIII. vertiginem, ſeu ſcotomiam ab oris ventriculi, aut hypochondriorum conſenſu cum capite, contractam ex archigene commemorat, ſignaque idiopathicam ab hujuſmodi ſympathica affectione interſtinguentia pertractat: Nempè in prima aurium ſonos adducit, prævios capitis dolores, gravitateſque; Olfactus, vel alterius alicujus ſenſus indè prodeuntis oblæſionem: In altera verò cordis morſionem, nauſeamque. Nec niſi ab exſtimulante bile has naſci affectiones ubique confirmat. Non ita pridem inſignis bilioſarum turbarum caſus mihi in praxi offerebatur, quas inter bilioſam pariter vertiginem recognoſcebam. Domina Agnes Caſtagna, juvenis, carnoſa, ſanguinea, florida, menſe Maio 1723. periodico ventriculi, pulmonis, cordis ſimulque capitis affectu corripiebatur. Poſt meridiem dolor ad Epigaſtrium erumpebat, cum ſoda, ſeu ſtomachi ardore, jactatione, graviſſima ſpirandi anguſtia, mox vehementi, & ſonora palpitatione, intermittenti pulſu, & quodam nunc lancinanti, nunc ſolùm tenſivo dolore capitis, & contumacibus ſub noctem vigiliis. In ſæviori inſultu dolor, & tenſio ad uſque hypochondria lumboſque protracta, negotium non modicum faceſſebant. Nulla febris. Hyſtericam paſſionem plurimi rati ſunt. Reverà jam dudùm quoque menſe accedebat invaſio, atque per horas quatuor, aut quinque protrahebatur, forti

Ejus ſigna. *Caſus.*

forti præcipuè vertigine, (quod ad noſtram rem facit) inappetentiâ, ac proſtratione virium per aliquot horas præeuntibus. Nunc verò toto quatuor, aut quinque dierum ſtadio continua reddebatur, ſed manè remiſſior, veſpere veluti in paroxiſmi formam ingraveſcens. Cedebat reverà aliquantisper affectio paregoricis, antiſpaſmodicis, atque etiam anthyſtericis præſidiis; ſed mox ferociùs invaleſcebat. Frequens ſed inanis excitabatur in acceſſionis augmento deſidendi, aut etiam vomendi cupiditas cum inſigni cardiogmo, nauſeâ, ſiti, & jactatione: Ut tandem ſubierit animum, abditam, ſubdolamque biliarem delinquentiam ſuſpicere. Exhibebam bolum ex ℨiij. cathartici paſſulati, cum ℨj. Rhabarbari, & granis tribus diagridii. Copioſiſſimas ſedes habuit, quibus inſignes ruffæ, accerrimæque, ſimulque craſſioris bilis copias foras amandabat. Morbus veluti ex incantamento magnâ ægræ, adſtantium, meâque admiratione ſublatus. Nil ampliùs morboſi perſentiit, ſed integrè ad hanc uſque, quâ hæc ſcribimus, lucem, abdomine, pectore, capite, omnibuſque partibus liberrima, convaluit. Febris quædam ardens bilioſa poſtremas ejuſcemodi affectus invaſiones præceſſerat; Quæ nempè ad finem Aprilis fuerat mulierem egreſſa, undè tantus fortaſſè efferatæ bilis apparatus. Quid, ſi ipſammet Odontalgiam à bile proximè ortam vidit, nec non deſcripſit Greulichius? Hic enim ſuâ *de Bile*, diſſertatione art. V. §. XI. Hæc tradit " Imò verò etiam „ Odontalgia mihi nuperrimè in quinquagenaria muliere occurrebat, ſuam bili originem manifeſtè adſcribens. Nam „ poſtquàm Odontalgia per quatuor aut plures ſeptimanas, incertâ periodo, recurriſſet, tandem inſolitis urgentibus ſeceſſibus, ſed ignotâ cauſâ, acceſſit pariter difficilis vomitus „ (cum miro faciei pallore, ac pulſus debilitate) toties repetens, donec bis amariſſimus humor, ingratus guſtui hoſpes, „ rejectus fuerit. Unde dictus dolor deinceps non ampliùs ſe „ protulit. Sic natura intento veluti digito hujus Odontalgiæ „ cauſam monſtrabat. „ *Obſervatio.*

Mania Biliaris. IV. Denique Maniam ipſam à bile ortum ducere, manifeſtum redditur ex Hippocratica hujus morbi diſputatione, quam quidem ejuſdem ad Democritum Philoſophum Epiſtolis interſertam legimus. In hac præcipuè iſta obſervantur " Qui ex „ pituita inſaniunt quieti ſunt, neque clamoſi, neque tumul- „ tuantes (*ſeu Melancholici*) qui verò ex bile, hi verberant, „ malefici ſunt, neque quieſcunt. (*ſeu Maniaci.*) Et ſi quidem „ continenter inſaniant, eæ cauſæ ſunt. Terrores verò, & me- „ tus ex tranſmutatione fiunt, calefacto cerebro à bile in ip- „ ſum per venas ſanguine plenas irruente. Ubi verò bilis rur- „ sùs in venas, & corpus diſceſſit, quieſcit. Cùm verò de- „ repentè cerebrum à bile calefactum fuerit, ſanguine in com- „ memoratis venis ebulliente, horrenda vident inſomnia, ac „ velut evigilato facies incenditur, oculi rubent, menſque „ aliquid mali agitat. Idque etiam in ſomno contingit. Ubi „ verò ſanguis rursùs in venas ſparſus fuerit, quieſcit „ Porrò Hippocrates Democritum in Abdera primùm conveniens, ipſumque in animalium diſſectionibus diſtrictum, ſimulque de *inſania* ſcribentem perſpiciens, cauſamque ſciſcitatus, ab ipſo hæc audiebat verba " Quidnam verò aliud quàm quid ſit, (*ſci- „ licet inſania*) & quomodo hominibus innaſcatur, & quânam „ ratione allevetur? Hæc enim quæ vides animantia hujus „ certè rei gratiâ reſeco, minimè Dei opera odio proſequens, „ ſed bilis naturam, & ſedem inquirens. Noſti enim quòd „ hæc ubi redundavit, ut plurimùm hominum inſanię cauſa eſt. „ In omni quidem naturâ ineſt, ſed in aliis quidem minùs, in „ aliis verò copioſiùs. Hujus autem immoderantiâ morbi exi- „ ſtunt, velut materia, partim quidem bona, partim verò ma- „ la ſubjecta „ Ita affert idem Cous in Epiſtola ad Damagetum de rat. propriæ expeditionis in Abderam. Idemque in lib. *de morbo ſacro* ſuper bilioſâ inſaniâ verba faciens prędicta ſatis confirmat " Qui ex bile inſaniunt, clamoſi, maligni, & minimè " quieti ſunt; ſemper aliquid intempeſtivum faciunt „ Id pariter pluribus aliis in locis poſterorum memoriæ committit.

DE

DE BILIOSO VOMITU;

Et obiter de Ventriculi æſtu, ardore, ſeu Soda, Cardialgia, Singultu, aliiſque ejuſdem Morbis à Bile productis.

Canones Practici.

Vomitus quid ſit; quot ejus ſpecies; & à quibus cauſſis.

I. VOmitus vel fit à ſtimulo, alibi quidem quàm in ventriculo, degente, nervorumque laceſſitorum conſenſibus validos in hujus utris motricibus fibris contractionum niſus inducente; Ut qui contingit in capitis percuſſione, in nephritide, in paſſione hyſterica, epileptica &c. vel à preſſione inductâ ad ventriculum à finitimis, aut etiam non finitimis viſceribus; ut vomitus ex variis lienis, hepatis, pancreatis, meſenterii, omenti, aliarumque partium tumoribus; vomitus inſuper in graviditate; vel tandem à ſtimulo, ipſimet ventriculi caveæ inſidente: Et hoc pacto vomitus erit, eorum quæ intùs ventriculum malè habent, atque moleſtant à propria ipſius potenti concuſſione per os excluſio. Cauſa verò ventriculum vel copiâ, vel etiam, ut dixerunt Antiqui, totâ ſubſtantiâ, vel qualitate, vel utrâque, intus moleſtans, ſeu in ejus fundo ſtagnando, aut hærendo, opprimens, vel irritans, indigena accenſetur, vel advena. Prima domi, ut dicitur, nata ab eorum præſertim, quæ ingeruntur, qualitate, copiâ, utendi modo, & occaſione repetitur. Altera ab aliorum viſcerum, vel vicinorum, vel remotorum vitioſis ſuccis, ab his ad ſtomachum appellentibus æſtimanda eſt. Nos modò ad ſecundam hanc ab intromiſſa cauſa producti vomitus rationem accedemus; Atque inſuper inductum à vitioſa bile, in ventriculum affluente, vomitum dumtaxat diſquirere annitemur.

Bilioſus vomitus vel criticus eſt, vel ſymptomaticus, vel intermedius. Et primùm de critico vomitu, ejuſque conditionibus, in genere.

II. Vomitus igitur à bile in ventriculi Cavum irrumpente, ejuſque ſenſiles tunicas laceſſente triplex in genere conſiderari poteſt; vel nempè criticus, vel ſymptomaticus, vel intermedius, aut ſi mavis, neuter. Criticus ſeu ſalubris eſt, in quo, ut ait Hippocrates, expurgantur *qualia, & ſicut decet;* ſeu qui vi naturæ, hinc tuto levamine vigentis morbi, atque ſymptomatum, citò, opportunè, ſine moleſtia, atque ad debitam menſuram ſuſcipitur; cujus ideò conditiones omnes videntur ſub illo Senis *in Coacis* textu comprehendi: *Vomitus autem multum habet utilitatis, ac ſecuritatis, qui pituitam exhibet acuratè mixtam cum bile; ſi id quod vomitur, nec valdè ſit craſſum, nec multum.* Namque per illud: *Qui pituitam exhibet accuratè mixtam cum bile*, oſtenditur integritas partis, ut ait Duretus, ubi hi humores miſcentur *cum pari conjunctâ virtute caloris nativi, cujus propria eſt coctio, atque mixtio.* Bilis enim quæ duce naturâ excernitur, minùs flava, quàm fuit, apparere debet; Tùm ut notam immixtæ, ſimulque moderantis, quæ quidem regnat in alvo, pituitæ præſeferat, (mera enim excrementa ſemper ſunt, prava, quia non concocta) tùm quia, etiam annotante Hippocrate, bilis pepaſmo *quodammodò pitueſcit.* Jam ergo cùm concocta fuerit, *opportunè* ejicietur; Cúmque ab immixta pituita fuerit dilutior reddita, etiam *ſine moleſtia.* Per illud verò: *Id, quod vomitur nec valdè ſit craſſum, nec multum,* Cæteri vomendi ad ſanitatem numeri explentur; ſeu ut *qualia* & *ſicut decet* vomantur; ut neque ſcilicet exitus impediatur libertas, neque nimia parti, aut totis viribus moleſtia inferatur, ſive *citò* atque *ad menſuram* ſit vomitus. Quippe, ut id quod vomitur valdè craſſum eſſe non debet [ſit jam craſſities à calore abſumente, ſit à componentium particularum inertia] ne nimius, atque diuturnus in vomitu ad diſcutiendum humorem, verrendum, ejiciendumque labor inducatur; Ita nec *multum* etiam; Quia ventriculi crebra concuſſio, quâ ſæpè, & parùm, aut ſæpè, & multùm per os rejicitur, multa ſibi, & ægro infert incommoda, illinc moleſtiam, & inflammationem,

hinc

hinc verò infirmitatem. Cùm ergo in deſcripto hocce vomitu omnes adversùs excretam bilem ſalubritatis conditiones in colore, ſubſtantiâ, & mixtione, ſeu rectâ uno verbo concoctione concurrant, jam adjicit Hippocrates: *Multùm habet utilitatis, ac ſecuritatis.* Multum nempè *utilitatis*, quoniam numeris omnibus ſalubritatis expletis, in fracto penitùs morbo redintegrabitur ſanitas: Multum verò *ſecuritatis*; Cùm *talia in hoc vomitu purgentur, qualia purgari oportet, hinc ipſe confert, & ipſum alacriter ferunt ægri*, ut ait Hippocrates in II. Aphor. Sect. I. & in I. Epidem. par. II., Tum quia demùm hic vomitus omnis expers præſentis, aut conſequentis moleſtiæ, celeritatem, opportunitatem, atque moderationem bonæ criſis importat; ſalutis igitur ſecuritatem oſtendit.

III. Ad normam igitur critici vomitus natura ſymptomatici dignoſcetur; qui nempè à morbi maleficio productus, quantumvis ad viſcera, aut univerſum corpus à noxio humore expedienda inſtitutus videatur, tamen aut tardè, aut intempeſtivè, aut admodum moleſtè, aut tandem ad indebitam menſuram, vel ſimul his omnibus deterioribus modis conficitur; Hinc vel morbum adauget, vel ejuſdem pravitatem ſignificat. Intermedius verò critico, atque ſymptomatico biliaris vomitus eſt, qui à natura, aut à morbo, aut à medico auxilio excitatus, morbum imperfectè ſublevat, aut in eadem, ac priùs inerat, conditione relinquit, aut ſecundùm circumſtantias varias nunc criticus, nunc ſymptomaticus evadere poteſt. *De ſymptomatico, atq; intermedio vomitu, in genere.*

IV. Ut verò horum omnium bilis vomituum criticorum, ſymptomaticorum, atque neutrorum exemplum aliquod in genere afferamus: Bilioſa vomitio perfectè erit ſalutaris, ſeu critica, quæ in bilioſis febribus cum memoratis conditionibus ſuperveniat, atque præcipuè ſignis ad tempus, & ſpeciem criſeos accommodatis indicata, febris finem adferat; eóque magis ſi non ſolùm febris naturæ, ſed & tempeſtati, & regioni, & ægrotantis ætati, & temperamento, & conſue- *Critici biliaris vomitus conditiones in ſpecie, atque ejuſdem præſagia ex Hippocrate.*

tudini parem ſe præbeat; juxta illud Hippocratis, de perturbationibus ventris, & vomitibus in II. Aphor. Sect. I. loquentis: *Inſpicere itaque opportet & regionem, & tempus, ætatem, & morbos, in quibus conveniant, aut non.* Atque in IV. Aphor. Sect. IV. *purgare æſtate quidem ſuperiorem alvum, hyeme inferiorem:* Atque in VI. Aphor. ejuſdem Sect. *Graciles, & facilè vomentes purgare ſuperiùs; caventes hyemem.* Hujus naturæ bilioſam per vomitum criſim indigitare videtur Hippocrates Lib. *Prænot.* versùs finem " Si quis in febri non lethali dixerit caput dolere, „ aut tenebricoſum quiddam ante oculos obverſari, ſi etiam „ oris ventriculi morſus acceſſerit, bilioſa vomitio aderit. „ Quòd ſi quoque rigor ſubortus fuerit, & inferiores præcordiorum partes frigidas habuerit, adhuc citiùs vomitio aderit. Si verò ſub id tempus biberit quidpiam, aut ederit, id „ quàm celerrimè evomitur. Inter hos autem, quibus primo „ die dolor cœpit, ii quarto, & quinto die potiſſimùm affliguntur, & ſeptimo liberantur. Quin etiam eorum plerique „ tertio die dolore vexari incipiunt, conflictantur autem maximè quinto, verùm nono, aut undecimo periculo defunguntur. Qui verò quinto die dolore affligi cœperint, & reliqua pro ratione prioribus reſpondeant, ad decimum quartum diem judicatur morbus. Ita autem viris quidem, & „ mulieribus, in tertianis præcipuè contingunt. Junioribus „ verò, cùm in iis ipſis, tùm etiam magis in febribus perfſiduis, & legitimis tertianis. At quibus per hujuſmodi „ febrem caput dolet, & pro tenebris ante oculos apparentibus viſus hebetudo contingit, vibranteſque ſplendores „ obverſari videntur, & pro oris ventriculi morſu, in præcordiis dextrâ, aut ſiniſtrâ parte contentio quædam, neque „ cum dolore, neque cum inflammatione ſuboritur, iis pro „ vomitu ſanguinem è naribus profluxurum expectandum eſt. „ Potiùs tamen & eo caſu in juvenibus ſanguinis fluorem expectato. Iis verò, qui trigeſimum annum attingunt, & ſenio-

„ ſenioribus minùs ; ſed in his vomitiones expectabis. „ Et ſanè in hoc nobiliſſimo, utiliſſimoque textu, quem ideò totum hîc referri curavimus, non ſolùm eruitur ratio optimę criſeos biliaris per vomitum, & febrium, & hominum, quibus iſta par ſit, ſed futuræ inſuper ejuſdem panduntur ſigna, hæcque à ſignis critici per nares futuri ſanguinis fluoris diſcriminantur. Quod reliquum: Hippocrates alicubi futuræ hujuſmodi criſeos ſignum eſſe quandam ſalivationem, attulit: *Qui vomituri ſunt priùs illi ſalivant. alibi*: *Internum labrum id ipſum indicat haudquaquam quieſcens, ſed quodammodo intremiſcens*: Propterea quòd, ut ait Galenus in Comment. hujus textus " Si „ bilis mordeat internam oris ventriculi tunicam, ita & concuti labrum neceſſe eſt, cùm una eademque tunica ſit ventriculi, & œſophagi, ac gulæ, pharingis, & oris caveas, linguam, & palatum inveſtiens „ ſuccreſcente autem rigore, major ex Hippocrate evadet bilis vomitio: Cùm ſoleat rigor concutiens magna ex parte, ut ait Galenus, bilis efficere vomitionem: Quod reverà in intermittentium febrium ingreſſu pluries obſervamus. Vomitum biliarem criticum in affectione colica affert Greulichius *diſſert. de bile* " Non aliunde „ gravius aliud in humano genere venenum generari puto, „ quàm ex felle corrupto. Cujus rei argumentum nuperrimè „ in colico habui. Hic cœpit inopinatò dejicere, & vomiturire cum frigido manuum ſudore, pulſuque tali, ut de „ veneno aſſumpto mihi primitùs obvenerit ſuſpicio. Poſtquàm „ verò ſponte bilem flavam, craſſamque vomitu rejeciſſet, „ meliùs habere cœpit.„

V. Symptomaticus igitur ex adverſo recenſendus erit bilis vomitus, qui tempore, qualitate, modo, aut copiâ peccabit. Equidem ratione *temporis* malus erit bilioſus vomitus, qui in principio morborum, nullâ adhuc initâ coctione contingет, qui nempè vel bilis orgaſmum, vel enormem copiam, vel inſignem irritationem cum ullo vix levamine dumtaxat oſtendet. *Qualitate* erit ſymptomaticus, ſi bilis vitellina, aut ærugi-

Symptomatici biliaris vomitus conditiones in ſpecie, ſeu ſpecies omnes accenſentur.

æruginoſa, aut porracea, livida, aut atra ejicietur, juxta illud Hippocratis in Coac. *Vomitus autem porraceus niger, ac lividus, quoque peſtiferus; citiſſimam verò mortem denunciat lividus, & fœdi odoris.* Aut ſimul hæ omnes bilis ſpecies immixtæ evomantur, etiam juxta illud Magiſtri, quod ſequitur: *Sin autem colores omnes idem vomendo exhibeat, valdè id quidem peſtiferum.* ſi inſuper bilis, quæ excernitur, nimiùm ſit craſſa, juxta ſuperiùs adducta. *Modo* delinquet biliaris vomitus, ſi ſincera vomatur bilis, juxta illud Hipp. in Coac. *ſed ea, quæ vomuntur meraciora; Pejora* ſi vomitus difficilis ſit, aut plerumque irritus. Ita affert Senex in Coac: *Lethalem eſſe rubrum vomitum, maximéque ſi ægrè vomatur:* & rursùs ibidem: *Qui cum faſtidio ſine nauſea exacerbantur; malo ſunt loco; tùm laceſſit nauſea ſine vomitu.* Si vomitus exigui ſint, vel crebri, & pauci; Juxta illa ejuſdem Senis præcepta: *Exigui vomitus bilioſi, malè habent ægrotos: idque cùm aliàs, tùm ſi vigilias agitaverint*; annotando quoad vigilias [nam quoad exiguitatem vomitus aliqua inferiùs adjiciemus] Duretus in Commentario "Ut enim vi„ giliæ gignunt bilem; ſic illæ rursùm à bile gignuntur. Ac „ ſymptomatici vomitus bilioſi, & febris, mutua conſpira„ tio eſt in utriuſque cauſam, & incrementum„ *Qui crebrò, & parcè bilioſi ſunt vomitus meri; malè habent ægrotos: idque cum aliàs; Tum in multa dejectione, & in prægrandi lumborum dolore.* Si à vomitu faſtidia relinquantur, aut alia ſymptomata bilis raptum ad caput, aut alias partes minitantia: Ita Cous ibidem: *Quibus à vomitu faſtidia ſunt, vox clangoſa, oculi pulverulenti; furor venit: Ut etiam nuptæ Ermoſygi, quæ ab inſania voce captæ interiit.* Præcipuè verò ſi ſuccedat ſingultus, aut convulſio annotante Sene: *In meris vomitibus mortiferè habet ſingultus: Mortiferè item convulſio. Similiter & in purgationum exceſſu, quem inferunt pharmaciæ*; Aut ſi in delirante & ſitibundo accedat vomitio, poſt quam mens non ampliùs ſitim percipiat, juxta illud Hipp. *In vomitu ſitibundum, ſitis expertem fieri, malum*;

Aut

Aut in non delirante vomitus ſitim relinquat; Etiam ex illo Hipp. ibidem: *Tum qui ſubindè revomunt ſitibundi; malo ſunt loco;* cui quidem commentatur Duretus " Eſt autem cauſa pe-
„ rennis vomitus implacabilis, quam ſitis excipit inexplebilis,
„ undè nulla levatio eſt viſcerum incendio conflagrantium,
„ quæ bilem ſitiferam cum ardore fundunt in fundum alvi,
„ & indè in ſtomachum ejus; „ Dicit autem Duretus *ſitis inexplebilis*: Nam ſitis à quacunque purgatione producta ſi non permaneat, ſed facilè, brevíque expleatur, bonæ potiùs purgationis indicium eſt: eſt enim ratum illud Magiſtri: *Qui purgantur finem faciunt ſui purgandi, poſtquàm ſitiverint.* Mali inſuper ſunt vomitus, facilè relabentes, & qui ex flavo mutantur in nigrum, & qui tremores inducunt. Sic noſter Dictator eodem loco: *Crebri, cum vomitu, pari modo relapſus; nigrum cient vomitum circa criſim* (intellige malam) *ſunt etiam tremoriferi.* Mali demùm biliares vomitus, quos enormes, diuque protractæ ventriculi contractiones, aut perpetua vomendi cupiditas, inſignis nauſea, frequentes Cardialgiæ, aut animi defectus, aut inſignes virium proſtrationes ſtipabunt. *Copiâ* verò hi vomitus deficient, ſi aut nimiùm pauci, aut ſupra, aut nimium excedentes ſint. Ita ſymptomaticus eſt bilis vomitus in cholera morbo, in quo effuſiſſima bilis vomitio vires exolvit, & lethalia invehit ſymptomata. Uberior inſuper in hypercatharſi bilioſus vomitus. Qui certè lethalis eſt, ſi ſuperveniat frigus, & ſudor: juxta illud Hipp. *Si redundanti cuivis purgationi frigus adveniat cum ſudore; funeſtum* &c.

VI. Intermedia, ſeu neutra vomitio bilioſa eſt, quæ, ad exemplum, in principio paroxiſmi ſimplicium tertianarum accedit. Ex qua quidem nec ullum morbi levamen contingit, nec tamen ipſe ingraveſcit; Hinc neque critica, neque ſymptomatica dicenda, quæ à ſola validiori ſolidorum expreſſione producitur. Similis inſuper cenſenda, quæ excitatur à vehementiori aliquo animi affectu, aut à ſubito alicujus objectæ rei faſtidio, aut à nauſea, à fœdo corpore, ab inſpecto, aut deguſtato

Neutri, ſeu intermedii vomitus quæ ſit conditio; & quando ipſe contingat.

medicamento &c. aut etiam à nimiùm extimulante ingeſto pharmaco, bilem ipſam hepaticam ſuccutiendo, & pro concitando vomitu uſque ad ventriculum exprimendo. Ejuſmodi etiam eſt bilioſus vomitus in calculoſa nephritide, aut qui in picrocholis contingit, cùm ab inedia, cujus illi impatientes ſunt, ut aliàs dictum eſt, bilis in ſtomachum exundans, eumque proritando, in vomitus concuſſiones adigit.

Symptomatici bilioſi vomitus exempla ab Hippocrate expenduntur varia: & Primùm de hoc bilioſo vomitu in variis læſionum capitis, aut cerebri claſſibus.

VII. Jamque ad diſquiſitionis complementum exempla aliquot bilioſi ſymptomatici vomitus ab Hippocrate elicita attingere, leviterque eorum cauſas delibare, non ingratum fore arbitrabor. Et primùm illa, quæ in vulneribus contingunt: *Si cui à vulnere bilis vomitio eſt, malè eſt, idque potiſſimùm à Cephalico.* In Aphor. & in Coacis. atque in iis rursùs: *Quibus cerebrum vulneratur, iis ut plurimùm febris, & bilis vomitio incidit, & corporis apoplexia. Tales autem ſunt deſperati.* Quippe ſi fortiter concuſſi ſint à læſione cerebri nervorum caudices, elongati ad omnia viſcera eorum rami, ſuſceptas in cerebro vibrationes eiſdem impertiuntur; Undè adaucta fiunt ſolidorum momenta; Quæ quidem in ventriculo excitare vomitum neceſſe eſt; In aliis verò partibus vividiores in appellentia liquida colliſiones, & impetus; undè febrium, aliorumque ſuccedentium ſymptomatum repetenda ratio eſt. Quòd ſi nervorum trunci, nullâ eis inductâ præternaturali ſuccuſſione, in origine dumtaxat comprimantur, atque à naturalibus occillationibus impediantur; Apoplexia partium ſub cerebro degentium continget; ſeu quarundam, aut plurimarum corporis partium ex privatione ſenſus, & motus exolutio; Quam nempè non quidem cerebri, ſed partium ſub cerebro ſitarum apoplexiam declarat Hippocrates Lib. *de morbis*, hujuſmodi apoplexiæ nomen paraplegiæ tradendo, quæ quidem non omnium corporis, ſed quarundam ſolùm partium reſolutio eſt: Intelligit autem Paraplegiam graviorem, quæ ſcilicet, ſenſus, motuſque amiſſione, cerebri apoplexiam imitatur, non leviorem, in qua horumce dumtaxat alteruter amit-

amittitur. De cætero non à ſola cerebri, aut ejus membranarum ſæviori, aut profundiori plaga, vel contuſione, vel concuſſione vomitiones inducuntur; ſed à quâlibet aliâ vehementi harumce partium ab internis cauſis offenſione, unde fortes etiam nervorum concuſſiones, aut convulſiones exoriantur. Ita habet Hippocrates II. Epidem. *Phreneticorum convulſio eſt, tum æruginoſæ bilis vomitio; Unde quibuſdam eorum cita mors venit.* Tum externis ſolùm quibuſdam capitis offenſis partibus eaſdem evenire vomitiones author adhuc idem eſt Lib. de Fractur. *Muſculis temporalibus affectis ſopor inducitur, & bilis ſincera vomitione rejicitur.* Cur verò gravibus capitis læſionibus non ſolùm vomitus, ſed bilioſus ſpeciatim vomitus ſuperveniat, id Duretus, aliique Interpretes explicare conantur ex febre, quæ ſemper ſocia eſt inflammatæ partis cujuslibet, quæ principatum habeat in corpore, atque indè ex bile, non ſolùm ab ipſa cerebri, aut membranarum inflammatione, ſed ab ipſamet febre continuò, mutuóque progenitâ. Ita frequens legitur eorum adagium, *Bilis, & febris mutua generatio eſſe ſolet.* Sed ipſe crediderim potiùs, bilis vomitum in his cerebri affectibus non à majori hujus ſucci productâ copiâ cenſendum eſſe (cùm reverà ſæpiſſimè in his capitis affectibus ante febris, & inflammationis adventum uberes hujuſmodi vomitiones erumpant) ſed potiùs ab ingentiori ſpaſmo nervorum intercoſtalium, paris vagi, nervorumque vertebralium; Ut hinc non ſolùm ventriculus in convulſivam diatheſim adigatur, ſed ipſummet hepar, eoſdem nervos, præcipuè à ſuperiori ſtomachi orificio ad proprium plexum tendentes, participans, ejuſque emiſſaria, & Cholidochi ductus versùs pylorum violenter retrahantur: Atque per eandem hoc pacto retractionis directionem bilis eructata, & expreſſa, ſurſùm potiùs feratur, undè vomitus. Equidem per eundem contractionum conſenſum in nephritide bilis frequenter evomitur; Quam quidem neque febris, neque inflammatio produxit, aut multiplicavit.

De ſymptomatico biliofo vomitu dyſenteriæ ſupervenienſte: Et quomodo hic à critico, qui in eodem morbo non rarò contingit, diſtinguendus ſit.

VIII. Alius ſymptomaticus vomitus ex Hippocrate in Coacis: *Inteſtinorum difficultate laborantibus vomitio biliofa circa initia malo eſt.* Quia Dyſentericis, ut ait Duretus, nulla indè levatio ex hoc vomitu accedit, ſed potiùs graviorum malorum acceſſio; Quòd nullam exhibet ſpeciem cauſæ criticæ, quâ dolorificum malum foras exeat, ſed nuncia ſit pravę affectionis, quæ intùs incluſa eſt, tùm oppreſſionis à pravis humoribus, eorum multitudinis, & ſymptomaticæ per qualitatem, & tempus ab inteſtinis ad nobiliorem partem, veluti ventriculus eſt, exundationis. Nam cùm in dyſenteriæ principio nulla adhuc concoctio ſit, quamvis delinquentis humoris portionem videatur vomitio excernere, erit tamen, ut ait Hippocrates, *Critica ſine criſi*, quarum quidem excretionum ut ipſe adjicit, *aliæ mortiferæ ſunt*, aliæ verò *ſiniſtræ criſis.* Hinc addit Anutius Foëſius ſuper hunc textum, in hoc bilis vomitu (præcipuè ſi, ut ait Duretus, *ſpumantis*, & *meræ ſit*) dyſenteriæ principio ſuperveniente omnia ingraveſcere; *Vexare acutas febres, extremorum perfrictiones contingere, cibi faſtidia, vigilias, graveolentes ructus, nauſeas, & tenebricoſas vertigines: His accedere crebram virium exolutionem, genuum reſolutionem, ſitim, æſtuationem, corporis inquietudinem, pulſus exiles, & debiles, & magnam tormentorum intenſionem, & perſeverantiam.* Sed in concocto morbo res alia eſt: Quippe, ut ex Aphor. XV. Sect. VI. *A longo alvi profluvio habito ſpontaneus vomitus ſuperveniens morbum ſolvit*; Ita bilioſa vomitio vel ſponte, vel præſidio aliquo excitata, dyſenteriæ, non quidem in principio, ſed in ſtatu ſuperveniens, cùm hæc non quidem oppreſſionis, aut propagationis peccantis ſucci, ſursùm deorsúmque confluentis, effectus ſit, ſed potiùs, aut multam ejus revulſionem, aut inſignem evacuationem inſtituat, eandem ſolvit, aut notabiliter ſublevat. Sed de his inferiùs cùm de biliari dyſenteriâ.

Symptomatici biliaris vomitus:

IX. *Vomitus parvi, & frequenter repetentes, bilioſi, ſinceri, mali ſunt, in copioſiore ventris ſubductione & intenſo lumborum dolores,*

dolore; in Coac. Hi certè vomitus jam à nobis ſuperiùs indicati, plurimis de titulis ſymptomatici, & pernicioſi accenſentur. Quippe mali jam ſunt, quòd parcè vomatur, neque id niſi ægrè: Atque nihil paucum ſit criticum; ut *nihil criticum eſſe paucum* ſæpiùs Galenus memorię mandavit. Præcipuè autem ſi quod vomitur bilioſum ſit: Juxta illud Coi in Prorrhet. aliiſque locis poſitum: *Exigua vomitio bilioſa malè habet eum, qui vomit.* Quandoquidem hujuſmodi excretiones tùm gravem delinquentis bilioſi humoris lentorem indicant, tùm ejuſdem copiæ haudquaquam reſpondent; Atque in hoc caſu, quo *copioſior ventris ſubductio* peccantium ſuccorum multitudinem oſtendit. Mali inſuper, cùm *crebrò repetant*, juxta aliud Hippocratis effatum illud: *Vomitus cum varietate mali, idque cum aliis, tùm ſi frequentes fiant.* Cùm repetiti frequenter vomitus morbi contumaciam, viſcerum, viriumque imbecillitatem, gravioremque morboſi humoris irritationem, ac feritatem oſtendant. Mali præterea, cùm ſinceri ſint, ut ſuprà: Non enim dumtaxat vomitiones, ſed alvinæ dejectiones, hæmorrhagiæ, ſputa, aliaque excreta, ſi ſincera ſunt, ſunt utique & prava; annuente Hippocrate, & confirmante experientiâ. Mali ulteriùs, quod ſuperadditus lumborum dolor enormem bilis morſum, vaſtiorem ejuſdem exundationem, contumacemque adhærentiam declarat, ut hinc *copioſiori per alvum* ſubductioni non cedat. Hinc ſubdit huic textui Foëſius " Vomitiones bilioſæ, ſinceræ, paucæ, & crebræ damnandæ ſunt ob magnam bilis, & corruptelæ copiam, quæ etiam ſuâ acrimoniâ inteſtina lancinat, & lumborum dolorem facit " Mali igitur tandem, & ut ſignum, & ut cauſa: Ut ſignum; nempe perennis in alvum affluxus efferæ bilis, atque æſtus viſcerum in quibus hæc gignitur, & commovetur, & inſuper infirmitatis ventriculi, atque impotentiæ excludendi, aut nimiæ oppreſſionis, aut exolutionis: Et ut cauſa; cùm diuturni, & repetiti acrium hujuſmodi humorum per ventriculum trajectus eundem quatere magiſque labefactare, neque rarò lethaliter inflammare ſoleant.

quædam aliæ ſpeciales conditiones; quarum ratione ille, & ut ſignum, & ut cauſa, ſit malus.

Æruginoſi vomitus, quando inſaniam prænunciant; & Porracei quando lethales abſolutè ſunt.

X. *Vomitus virulenti, & æruginoſi cum capitis dolore, ſurditate, & inſomniis, promptam inſaniam ſignificant.* Prædict. Lib. I., & Coac. Prænot. ex calido, videlicèt, & inflammatorio affectu, à perustæ bilis anadrome in capitis partibus inducto, qui indè hepatis, & ventriculi viſcera in conſenſum ducit: Ut ab hujuſmodi per vomitum excretione, quæ quidem deterrimâ qualitate humoris, copiâ, & excernendi modo calamitoſa eſt, vitioſi ſolùm humoris indoles, affectarum partium numerus, earumque affectionis gravitas depromantur; Non autem morbi concoctio, aut naturę ſalutaris niſus. Brevì autem adfuturam inſaniam hujusmodi vomitio denunciat; quoniam humorum qualitate acerrimorum, ſubſtantiâ tenuium, temperamento calidorum, ſive incendio conflagrantium, cita ad vigorem malorum, quæ ipſi faciunt (ut ſuprà cùm deślioſa phrenitide) expeditio eſſe ſolet. Ita habetur in Epidemicis morbis Hippocratis: *Philiſtam, qui cùm primo die flava, & pauca, mox æruginoſa plurima vomuiſſet, ſecundo ſub meridie è mentis poteſtate exiviſſe; cùm eo die obſurduiſſet.* De proventu æruginoſæ bilis, ubi ſcilicet, & undè illa ſuccreſcat, tùm de ſymptomatis, quæ illius naturam ſequuntur, conſuli meretur Galenus ad *Prorrhet.* Neque in adducendis ſymptomatici bilioſi vomitus exemplis, quæ apud artis Præceptores innumera obverſantur, diutiùs immorabimur. Id ſolùm adjicere liceat, peſſimos fore, citóque lethales bilioſos illos vomitus, qui longo, & incurabili Hepatis affectui aliquando ſuccreſcunt. Ita præ aliis affert Carolus Piſo Obſervat. ſui operis LXX: *Memini Cl. Medicum Franciſcum Poirotium Phlegmones Eryſipelatodis Hepatis decimo tandem menſe violentiâ fractum, morte jam inſtante, evomuiſſe non ſine ſummis cruciatibus, & intolerabili cardiogmo meracæ bilis porraceæ libras tres, quatuorve, & porrò in ejus cadavere hepar ſcirrhoſum; atroque virore totum luridum fuiſſe repertum.* In hac verò obſervatione illud *Phlegmones Eryſipelatodis Hepatis* non quidem eſt pro ſyſtrophica affectione intelligendum, quæ *decem menſes*

vigere

vigere procul dubio non potuiſſet. Fortè pro fugaci, inſtabili, ſæpiúſque recurrente Phlogoſi aſſumendum eſt; *ſcirrhoſo* autem affectu pro primigenio, & principali, tantæque diuturnitatis morbo, reverà perſpecto.

Singultus quid ſit, quomodo à vomitu diſtinguatur; & quando ab inflammati hepatis preſſione in ventriculum, aut à bile in eundem effuſa ortum ducat. Elucidantia exempla. Bilioſi ſingultus ſigna, & curatio.

XI. Quidpiam modò de bilioſo ſingultu, bilioſa cardialgia, æſtuque ventriculi ab eadem cauſa, aliiſque ſimilibus hujus partis affectibus attingamus. Singultus ex mente Interpretum eſt concuſſio moleſta, & irrita ventriculi, moleſtum corpus non excludentis, ſed fruſtrà in excludendi conatu laborantis. Hinc ab antiquis omnibus ſingultus à noxiâ, tunicis ventriculi impactâ, vomitus à natante in ejus cavo ſubſtantiâ explicatur. Licèt Celſus ab Aphor. LIX. Sect. V. & XVII. Sect. VII. aliiſque Hippocratis locis eductus tutò afferat Lib. II. Cap. VII. " *Singultum* frequentem, & præter conſuetudi-,, nem continuum, jecur inflammatum eſſe ſignificare,, interdum tamen non hujus affectus ſoboles eſt, ſed accerrimæ bilis, quâ exæſtuans Hepar fœtum eſt, ad ventriculum effuſæ, & propagatæ. Ita Virginem non hyſtericam, neque Catameniorum expertem, aliquando inviſebamus, contumaciſſimo, & clamoſo, atque ob id terrifico, ſine febre, ſingultu per ſex menſes immaniter conflictatam, quam quidem [poſt innumera à plurimis uſurpata remedia] nos tandem curavimus per validum antimoniale repetitum emeticum, cum uberrima viſcidiſſimæ, ſimulque admodùm ruffę bilis dejectione. Sequentem obſervationem legimus ex Platero Lib. I. *Obſervat.* pag. mihi, 218. " Chirurgus quidam æger factus mox ſingultire cœpit, ,, adeò continuatis vicibus dies, noctesque, ut nec dormire, ,, nec rectè loqui, aut cibum capere poſſet, ad extremum hoc ,, pacto debilitatus. Cùm nil juviſſet, & jam quaſi in agone ,, eſſet, dedimus illi non ſine metu, ipſo tamen ſummoperè ,, rogante, vomitorium ſatis validum chymiſticum, quod ad ,, manus erat. Undè immenſam bilis æruginoſæ, & nigrę copiam evomuit aliquoties, ceſſavitque ſingultus, ipſeque ſenſim convaluit,, Cùm verò hepatis inflammationem ſectatur ſingultus,

ſingultus, tunc ab enormi prementis molis magnitudine ingeritur, neque hic idcircò cuilibet aſtat hepaticæ inflammationi, ſed prægrandi dumtaxat, ut ab Hippocrate non ut proprium inflammati hujus viſceris ſignum cenſeatur, ſed ut ejuſdem inſigniter adauctæ molis, quæ quidem in graviori Phlegmone, aut etiam calidiori hepatitide interdum contingit, atque ad valdè premendum, ac veluti ſtrangulatu afficiendum ventriculum producitur. Ita Aphor. XVII. Sect. VII. *In hepatis inflammatione ſingultus malum.* Bilioſus igitur propriè ſingultus, non quidem ut alii, qui à diſparibus cauſis ortum habent, *à cohibita ſpiratione*, aut *citato ſternutamento* finem facit, ut docet cum Platone Hippocrates; ſed forti duntaxat Cathartico, aut etiam Emetico curatur; Quorum quidem alterutro, aut utroque vellicans, & laceſſens glutinoſa bilis, tunicis, fibriſque ventriculi impacta, dimovetur, verritur, & tandem excluditur. Ad fervidiorem, mordacioremque, ſimulque tenuiorem bilem (ut in ſingultu, qui cum bilioſis, & præſertim ardentibus febribus accedit) cicurandam, & infringendam apprimè conducere frigidæ potum admonet in *Diſſert. Pathologic.* Antonius Menjotius, Hippocraticis in quocunque bilioſo æſtu ejuſcemodi præceptis edoctus. Signa bilioſi ſingultus ex univerſali bilis dominatu, aut peculiari hepatis vitio petenda ſunt.

Cardialgia, ſive Cardiogmus, quid ſit apud antiquos, & recentiores: A vitiata bile, ut plurimum, iſtam enaſci probatur.

XII. Cardialgia, ſeu Cardiaca paſſio, Cardiogmus, & Stomachica exolutio, quæ ex Galeno I. *de Symptom. cauſis* Cap. VII. eſt oris ventriculi infeſtum ſymptoma, à mordentibus ſuccis proveniens, cum dolore, interdum cum Apnœa, ideſt penè abolitâ ſpirandi functione, frequentiùs cum dyſpnœa, ſeu reſpiratione difficili, aut ſaltem gravi, cum virium proſtratione, & præcipuè cum ſpeciali animi deliquio, ſeu cardiaca ſyncope; Ex Modernis verò: Vehemens ac propè intolerabilis ſtomachi, ſeu orificii ventriculi ſiniſtri *Cardia* dicti, præcordiorumque in genere dolor, cum graviſſimis quandoque aliis ſymptomatibus, cordis nimirum palpitatione, animi deliquio, nauſeâ, vehementiori vomendi conatu, immoderato ſudore thoracis

in ſpecie ; cervicis, capitis , nec non & inordinata febre, quæ ſi Cardialgię ſymptoma ſit ; cardiaca à Sylvio denominatur: Hic, inquam , morbus à vitiata bile utplurimùm ortum ducit. Quippe picrocholi homines, calidi, & ſicci, graciles que præ aliis cardialgiæ ſunt obnoxii: Qui diuturnâ, crebrâve Cardialgiâ vexantur, hi in icterum plerumque delabuntur. Frequens eſt Cardialgia in bilem vomiturientibus ; In iis inſuper, qui biliofis diarrhœis obnoxii ſunt; Et inſuper fervidioribus exquiſitis tertianis, & croceas utplurimùm, imò & quandoquè lateritias urinas mingunt. Ita habet Duretus in Comment. ad Coacas fol. 173. " Cardiogmus, quem facit bilis acerrimæ „ morſus, & vellicatio in ore ventriculi, quod ſtomachum „ latinè expreſſimus. Hoc nempè orificium apud Anatomicos „ *Cardia* dicitur „ Imò ipſemet ſummus medicinæ Magiſter Lib. IV. *de morbis* poſtquàm de ventriculi dolore ex bile cum critico poſtmodùm biliari alvi fluxu, biliarique urina diſputaſſet " Locus autem, ait, qui eſt in hepate quicquid illic bi- „ lioſi ineſt, ad ſe trahit. Et ſi derepentè copioſa bilis exti- „ terit, hepar homini dolet, & copioſa ex ventre gignitur. „ Hoc enim ſi contingit vetus bilis propter multitudinem ad „ ventriculum fertur, & indè tormina in ventriculo oriuntur, „ & ipſius pars quædam per veſicam quidem, pars verò per „ ventrem foras procedit, ſicque pauciſſima in homine exi- „ ſtit, & dolores ceſſant „ aliquantò poſt affinem, fortaſſe & eundem intelligens morbum, hęc ſubdit " Quod verò in loco „ quidem, qui eſt in hepate ex cibis, & potionibus ſola bilis „ ſecernitur, ita etiam ſe res habet. Venulæ cùm tenues, & „ debiles exiſtant, alium humorem craſſiorem, & graviorem „ attrahere nequeunt, ſimulque ea non eſt loci capacitas, ut „ ibi alius humor conſiſtat, hicque locus bili naturâ maximè „ familiaris eſt. Propterea que nullus in eo alius oritur mor- „ bus ; niſi quem Cardiogmum, hoc eſt cordis morſum vo- „ cant „ Bilioſæ nos Cardialgiæ exemplum ſuperiùs attulimus in loco biliaris vertiginis.

Ardor ventriculi à bile originem frequenter nanciſcitur: ſympathicũ capitis dolorem plerumque comitem habet. De nauſea, anorexia, anxietate, cordis anguſtia, aliisque ſtomachi paſſionibus.

XIII. Ardorem ventriculi aliqui *Sodam* etiam dicunt, alii verò à *ſoda* diſtinguunt; quo nempe nomine dolorem capitis, ſeu Cephalalgiam ſignificari contendunt. Sed in ventriculi ardore à bile res quidem eódem recidit; Cùm hujuſmodi ſtomachi à laceſſente bile affectio non niſi cum ſymptomatico dolore capitis plerumque accedat. Ardorem ventriculi à bile originem frequenter ſortiri ſatis evincitur; Quòd hic unà cum Cardialgia, choleram morbum ut plurimùm comitetur. Vomitum bilis ſæpè aut præcedit, aut conſectatur æſtus ventriculi; à flava nempè bile, (ut ait Galenus Comment. IV. Aphor. Hipp.) in ipſius tunicis ebulliente genitus, qui ſi cum Cardialgia in febre accidat, mali ominis eſt juxta Hipp. Aphoriſmum: *In febribus circa ventriculum, & fortis æſtus, & cordis morſus malum.* De ardore bilioſo ventriculi ponit Ettmullerus Colleg. Pract. Sect. VII. Cap. III. "Ii, qui ſunt iracundi, aut „ quibus facilè acrior bilis ex duodeno in ſtomachum regurgitat, obnoxii ſemper ſunt huic affectui propter effervescentiam bilis cum acido ſtomachi tunc temporis vitioſi, obortam„ Ita eodem loco Cap. II. idem affert, quæ ardorem ſtomachi patiebatur, ſemper dicere ſolitam *ibi malum reſidet*, qui quidem ardor oriebatur à bile effervescente cum acido: excretâ materiâ dicebat: *Malum evanuit.* Curatio Cardialgiæ, & ardoris ventriculi à bilioſa cauſa repeti poterit à dictis ſuperiùs in Can. XI. Idemque quoad frequentiorem cauſam, & remediorum adminiſtrationem de ſimplici nauſea, ſeu faſtidioſa ventriculi proritatione, quę tandem ſcreatu finitur, de anorexia, ſeu ciborum faſtidio, anxietate, adſtrictione ſtomachi, anguſtia cordis, & ſimilibus ventriculi morbis, ſeu potiùs ſymptomatibus, intelligendum eſt.

DE BILIOSA DIARRHOEA,

Canones Practici.

I. QUamquàm tùm bilioſa, tùm cujuslibet alterius humoris ſincera, aut mixta diarrhœa aliorum affectuum ſymptoma frequenter ſit, aut ſaltem ſuccreſcens morbus; ſæpè tamen primigenii affectus videtur naturam induere, quum quidem ab aliis morbis neque manifeſtè oritur, neque ſtipatur; ut quæ, qui probè ſani videntur, homines improvisè adoritur diarrhœa. Ut ut verò ſit, bilioſam hîc diarrhœam amplectimur; Quæ quidem ab aliis omnibus diſcriminatur, non ſolùm ab excretorum colore, & habitudine, ſed inſuper ex comitante nauſea, frequenti Cardialgiâ, interdum ſingultu, vehementi ſiti, anxietate, habitu icterico, ardore viſcerum, lancinanti inteſtinorum dolore, febre, ſi adſit, manifeſtè periodicâ, ingenti virium proſtratione, aliiſque ſimilibus bilioſi dominatus argumentis. Cùm verò bilioſorum per alvum fluxuum alter artificialis ſit, ſeu à purgantibus remediis elicitus; Alter naturalis, ab internâ causâ productus, hîc nos poſtremum diſquirendum ſuſcipimus. *Diarrhœa in genere quando primigenia affectio dici poſſit: Bilioſa verò diarrhœa quibus phænomenis à cæteris alvi fluxibus diſtinguatur. Duplex iſta eſt.*

II. Diarrhœa bilioſa naturalis, non ſecùs ac vomitus ſuperiùs deſcriptus, diſtinguitur in criticam, ſymptomaticam, & mediam: Critica, ut ut à ſalutari naturæ conatu manu ducta, ob humoris acrimoniam, atque mordacitatem ſemper eſt moleſta, & incommoda. Intereà quæ non ad ſolam hepatis, & inteſtinalis tubi, ſed omnium vaſorum corporis repurgationem inſtituitur criticus per alvum bilioſus fluxus, Perirrhœa etiam ab antiquis vocatus eſt. Sonat enim apud Hippocratem Perirrhœa *circumfluum humorum effluxum*, quo quidem per aliquod ſolemne emiſſarium ſeu effluvium, totum corpus ſuperfluis humoribus repurgatur. *Diarrhœa naturalis triplex eſt, critica, ſymptomatica, & media. Quid ſit Perirrhœa:*

Xxx 2 III.

Diarrhœa biliaris, cui bilis orgaſmus ſe comitem addit, quomodo dignoſcenda ſit, & quomodo remediis excipienda. De alvi cum auribus conſenſu. Critica biliaris diarrhœa ab Hippocrate deſcripta.

III. Quemadmodùm pluribus in locis (ut inferiùs videbimus) ſymptomaticam biliarem diarrhœam commemorat Hippocrates; Ita criticam in ſecundo verſiculo Aphoriſmi XXVIII. Sect. IV. *Quibus bilioſæ dejectiones, ſuperveniente ſurditate ceſſant: & quibus ſurditas, ſupervenientibus bilioſis dejectionibus ceſſat.* Reverà in primo hujus Aphoriſmi verſiculo bilioſa excretio non tam bona indicatur, cùm in biliari Orgaſmo ſita ſit, ut hinc ejuſdem ad alvum fluentis ſucci translatio, & decubitus ad caput, & aures, ſeu anadrome diſcrimine plena contingat. Idcircò in hoc caſu naturæ viribus non integrè fidendum eſt, ſed eâdem horâ purgandum, ſeu turgeſcens bilis validiùs ad inferiora præcipitanda, ne indè evolet in caput. Dignoſcetur autem unà cum biliosa diarrhœa ſubeſſe, & bilis orgaſmum, ſi ſimul morſus *in ventriculo aliquis*, (ut ait Galenus IV. Comment. in II. Aphor. Hippocratis) *& adſit cibi appetentiæ defectus, ac ſitis, ore amareſcente, aut quia tertiana febris hominem habeat, aut ex ardentibus illa, quæ ex amara ſit bili.* Adde, ſi multa ventris ſit tenſio, multuſque dolor, etſi capitis gravedo cum vertiginoſo quopiam, atque aurium ſibilo perſentiatur. *Nam in his omnibus* (ut proſequitur Galenus) *Flava bilis abundat: Atque idcircò conabimur ipſam educere illis medicamentis, quæ cholagoga, ideſt, bilis eductiva ab effectu nominantur. Atque hoc eſt quod ab Hippocrate dicitur: ſi qualia oportet purgari purgentur: Confert, & leviter ferunt.* Cęterùm ſubiti hujuſmodi ab alvo ad aures conſenſus rationem aperire nititur Lucas Tozzius in explicatione hujus Aphoriſmi: *Fiet autem, ut potiùs aures in his* (bilis diarrhœâ cum ejuſdem Orgaſmo affectis) *lædantur, quàm ſenſus alii, à conditione vitioſi humoris acris, & bilioſi: Quippe is multùm reſpondet Cerumini, quod aurium recrementum eſt felleum, & amarum.* Ergo membrum illud Aphor. *Quibus bilioſæ dejectiones, ſuperveniente ſurditate ceſſant* (aut ſimile aliud in Coac: *In febribus enata ſurditas alvum remoratur, & ſiſtit*) Criſim non benè criticam indicat, ideóque remediis emendandam: Aliud verò: *Et quibus ſurditas, ſupervenientibus bilioſis dejectionibus ceſſat*

criſim,

criſim laudabilem indigitat, quę ideò ſibi, ſeu naturæ operi linquenda eſt, cùm motus turgentis bilis à nobilioribus ad minùs nobiles partes, ſeu à capite ad inteſtina totis, firmiſq; naturæ viribus conducatur. Quòd autem in diſcuſſo Aphoriſmo de bile, in vehementes Orgaſmi motus per ardentem febrem concitata, ſermonem inſtituat Hippocrates, manifeſtè liquet ex alio ejuſdem textu, qui ejuſdem Aphoriſmi veluti Commentarium videtur: *Quibus in febribus ardentibus aures obſurdeſcunt, his non ſolutâ febre neceſſe eſt delirare. Solvit autem inter alia ſanguinis è naribus eruptio, aut alvus bilioſa.* Tùm alius ejuſdem locus criticam alterius morbi non quidem in aure, ſed circa aurem, aut prope aurem vigentis, ex bilioſo alvi fluxu ſolutionem declarat: *Parotides rubræ, & nimiùm doloroſæ, ſive ſint participes, ſive expertes ſuppurationis, periculoſæ; præſertim ſi alvus non fluat bilioſis.* Atque ad hunc textum alius in lib. 1. Sect. II. *Morbor. Vulgar.* quadrare videtur: *Quibus febre judicatoriè deſinente tumores ad aures in febribus cum dolore ſuborti neque conquieſcunt, neque ſuppurantur, eos bilioſum alvi profluvium, ut inteſtinorum difficultas, aut quod in urinis craſſis ſubſidet, liberat.*

De ſymptomatica bilioſa Diarrhœa, quum ejecta bilis ſincera eſt, aut valdè ſpumoſa, aut nimiùm colorata. Quæ quidem habitudines bilis Orgaſmum redolent.

IV. Sed multò frequentiùs de ſymptomatica bilioſa diarrhœa mentionem tradit Hippocrates. Ita in 1. Prorrhet. *In bilioſis ſinceriſque dejectionibus ſpumoſa efflorescentia mala, tùm aliàs, tùm ei, qui lumbis anteà doluerit, atque hujuſmodi dejectiones inteſtina permearint.* Nam præterquamquòd ſinceræ bilis dejectio indicare non poteſt ſuſceptam à naturâ ſecretionem, quę quidem ut paulatim celebratur, atque cum longa per inteſtinum mora, ita non fit, ſine aliqua ſeri, & inteſtinalis muci commiſtione (veluti ſuperiùs, cùm de vomitu, explicavimus;) Sed potiùs oſtendit ſubitam atque præcipitem ſine lege exundationem, ſeu orgaſmum, (quod quidem per illud *atque hujuſmodi dejectiones inteſtina permearint*, intelligere Hippocrates videtur) id accedit, quòd *ſpumoſa efflorescentia*, (ut ait in hujus loci commentario Galenus) *veluti flos ſupernè incumbens bilis hujuſmodi fervorem non modicum oſtendit. Tùm hi lumbis antè*

dolent, præterea quòd bilis per inteſtina penetrans acris ſit, & mordax: tali ſiquidem excremento per inteſtina deducto, tranſlatoque, non lumbos modò, verùm quoque, & reliquas partes, dolores ſubſequuntur. Ideò Senex in *Coacis* effatus jam fuerat: *Spumans dejectio in acutis undequaque bilioſa, mala: mala item præalba.* Quem quidem textum idem explicat in II. *de morbis* " Hu-
" juſmodi autem dejectio ſinceræ bilis, atque ſpumantis, alia
" quoque habet mala inſignia. Nam hypochondriorum ardo-
" rem non extinguit, ſed magis accendit, tum anxietudinem,
" artuumque jactationem infert: Præterea inteſtini, & ſedis ul-
" cerifica eſt ", Nam ſicuti ſpumans bilis ſpumat ardore viſceris, unde manat; Ita per illud *undequaque bilioſa* intelligit Hippocrates bilem flavo, aut viridi colore valdè ſaturatam, ut annotat Duretus: Sed hoc pacto vitiata bilis cùm ſincerior eſt, jamque mala ut ſuprà; Tùm admodùm exuſta eſt, ut quæ vitellinæ, aut porraceæ naturam participat: Jam ergò invaleſcentem morbum, & ad exitium conſpirantem, aut certè naturæ, & remediis non facilè conceſſurum deſignabit. Ulteriùs Hippocrates per hunc textum in ſymptomatica diarrhœa, extremas (quæ quidem ſunt ſemper malæ) bilis habitudines proponit: Quippè ut in acutis ſpumans, & ſaturata biliaris dejectio mala eſt; Mala itidem, & *præalba*, quæ ſcilicet omnis bilioſæ tincturæ expers exhibetur. Cùm enim in acutis cùm tenuis ſatis, & fluida, ingentique motu rapta bilis ſit, tùm multa inſuper, juxta illud Galeni: *In acutis febribus bilioſa gigni ſincera per corpus nihil eſt mirum*, Si jam feces bile vacuantur, vel ejuſdem humoris ad caput irruptio jam propè eſt, juxta illud Hipp. *Phreneticis alba dejectio mala eſt*; Vel ſymptomaticus icterus imminet, ut aliàs expoſuimus. Contingunt quidem interdum præalbæ aliæ dejectiones, quæ imò diarrhœæ hepaticæ, ab aliis Cœliacæ paſſiones nominari ſolent; Atque à non traducta ab hepate in inteſtinum bile, neque ideò cum chymoſa ſubſtantia immixta naſcuntur. Sed hæ plerumquè acutæ febris comites non ſunt.

V. Alia

V. Alia ex Præceptore *in Coacis* ſymptomatica biliaris diarrhœa: *Quibus cum bilioſa dejectione premitur morſu pectus, amareſcitque os, malum.* Accedit nempè ad choleram morbum, cùm bilis in hoc ſtatu ſoluta admodùm ſit, acrior, atq; per indebitas vias exundans, ſive à foco ſuo non ſolùm per inteſtinum effuſa, ſed ad uſque ventriculum aſcendens, ubi morſum, ſeu Cardiogmum excitat (pectus enim in hoc textu pro cordis ſcrobiculo ab Hippocrate accipitur, ſub quo jacet ventriculus) atque ex ventriculo per interioris tunicæ continuitatem amaros, ſeu proprios halitus, fauces, & linguam inficientes dimittat; neque bilioſarum dejectionum benè à naturæ viribus ductarum conditionem aſſequatur, in quibus (ut ſuprà cùm de bilioſo vomitu,) bilis pituitâ mixta, atque ab eadem temperata, correctaque exigitur; Et prætereà craſſeſcens; quippe ex Hippocrate in Coacis: *Craſſeſcere autem decet ad criſim.* Itaque, quemadmodùm ex Dureti monito, ſaturata in hoc caſu nimiùm bilis eſt, atque ſpumans, quæ ſanè non minùs excernendo, quàm ſtabulando evadit infeſta; Ita perrarò accidit, ut pariter, ęqualiterque ſurſum, deorſumque natura ſponte ſuâ curſum inflectat, niſi dominatu morbifici humoris, & efferi teneatur.

De ſymptomatica bilioſa diarrhœa, quæ cum gravi ventriculi affectu contingit.

VI. Alia ulteriùs ex Coo mala bilioſa diarrhœa: *Dejectiones crebrò, & paulatim egeſtæ, ſubflavæ, & glutinoſæ, partim minutulæ, ſtercoroſæ, cum hypochondrii dolore & lateris, ictero aſſidente, an ſubſiſtentibus illis hi exolvuntur?* affert hîc Duretus *Comment. ad Coac.* in hypotheſi hujus prognoſeos theorema contineri alterationis verſæ in alienationem, quæ mutatio ſemel atque apparet, deſperationem ſalutis oſtendit. Vt enim malum eſt, in ictero præalbas dejectiones diù perſiſtere; Ita etiam pejus, *ſubflava*, ſeu vix bilioſa, *minutula ſtercoroſa*, ſeu ſcybala, *crebrò, & paulatim* excerni cum nulla hepaticæ affectionis remiſſione, imò cum Epigeneſi ad alias partes; Vt ad thoracem per illud *cum dolore lateris* indicatur. Simul enim naturæ in ſecer-

De ſymptomatica bilioſa diarrhœa, quæ vel pauca eſt, pallida, & difficilis, tum nimiùm glutinoſa &c. vel multa, & liquidior &c. Tum inſuper de aliis excretæ bilis conditionibus improbis, aut

probis, variiſque excretionis locis.

ſecernendo, atque excernendo infirmitas, noxii humoris rebellis viſciditas, contumax, & ferè invincibilis morbus, cum arida inteſtinorum, atque, ut aiebat Hippocrates, *hecticâ* intemperie, declarantur. Et alia demùm ex eodem Præceptore *in Coac.* ſymptomatica diarrhœa in jecoris diuturno affectu: *Quibus hypochondria tumore aſſurgunt alvo ſuppreſſâ malum: Malum eſt etiam maximè, quibus ex inveteratione morbi tabeſcentibus alvi profusè feruntur.* Quoniam, ut ait in *Comment.* Duretus, ab inveteratione morbi tabifici ſuccedit atonia ventriculi, & jecoris; Eaſque partes multùm effœtas jam tædet officii ſui: Ac tùm in propinquo mors eſt, cum nigris excrementis fertur alvus. In diarrhœa biliari in genere, bilis crocea, rubiginis ferri diſſolutæ, aut lateris rubri non abſimilis apparens; Malum. Excreta bilis ſi tenuis ſit, ùt ut nec ſpumoſa, nec ſincera, nec nimis acris, aut mordens, morbi cruditatem denunciat; Cùm bilem concoctam, criticéque eductam craſſeſcere opportere, ſuperiùs edoceamur. Quæ ſubruffa, atque mediocriter craſſa eſt, omnium optima eſt; quamquàm in febribus croceę, ſeu ſincerioris, ſed ſimul craſſeſcentis bilis, optima, & ſalutaris, catharticorum, aut etiam naturę, noxii humoris partem vel pręproperanter levantis opere, ejectio ſit: Fortaſſe bilioſę ſymptomaticę diarrhœæ claſſibus adjici alia poſſet, ſingularis quidem, nec apud Medentium obſervationes inſolens; Bilioſa nempe per muliebres ſpermaticas partes profuſio, quâ quidem morboſus, & contumax redditus uterinus fluor, non tantùm vitiatæ, atque ad hæc organa translatæ bilis colorem, intensâ inductâ flavedine, ſed acredinem inſuper & mordacitatem, ardore, inflammatione, excoriatione, aliiſque ad vaginam, pudendum, & urinarios ductus inflictis moleſtiis, & calamitatibus, prę ſe ferre ſolet. Crocei fluoris hiſtoriam vide Ephem. Nat. Curioſ. Ann. III. Obſervat. CXV. Exemplum pariter ſecretionis biliaris ad muliebrem vulvam translatæ, indeque ejuſdem vitellinæ bili innatantis, videre eſt apud Tulpium *Obſervat. Medicar.* lib. III. cap. XXXI.

VII. Diar-

VII. Diarrhœa bilioſa intermedia, quę quidem (ut de bilioſo ejuſdem conditionis vomitu dictum eſt) neque critica propriè eſt, neque prorſus ſymptomatica, ſed ſecundùm circumſtantias varias nunc ad ægri levamen, nunc verò ad detrimentum approperat, quæ potiſſimùm morbo quidem adhuc crudo, ſed cum aliquâ, ut plurimùm, ejuſdem remiſſione ſupervenit, per exemplum aliquod elucidari poterit. Ita mulier illa, quæ non ita pridem ad Portam Padi dolore laterali ſiniſtro uſque ad jugulum prehendebatur, cum vomitu, diarrhœa bilioſa, facili ſputo, flaveſcenti, bilioſo, nonnihil amaro, rem ad uſque quartam diem non malè ſuſtulit. Sed cùm hâc die ceſſaret diarrhœa cum vomitu, & frigida incautè epotaretur, parum indè, & difficillimè expuebat cum adaucta febre, & dolore. Quintâ intumeſcebat ventre; neglectâque emetici à nobis perſcripti adminiſtratione, dolore, & ſpirandi anguſtiâ enormiter conflictabatur. Ad ſextám in delirium incidit cum integra alvi, ſputique ſuppreſſione: Principio ſeptimæ poſtremam diem obierat. Bilioſa igitur hujuſmodi diarrhœa, gliſcens inter initia bilioſæ pleuritidis, media fuerat inter criticam, & ſymptomaticam: Non quidem revera critica; cùm morbi principio, ejuſque in cruditate erumpens, bilioſi inſuper Orgaſmi ſoboles fuerit: Non verò ſymptomatica; quia multam ſemper à pectore averſionem, ut dicitur, præſtabat: Hinc eâdem ſuppreſſâ, totus ad pulmonem deſæviit bilis decubitus, productâque inſuper ad cerebrum Epigeneſi, præceps lethum inducebatur. Porrò intermedia hujuſmodi diarrhœa eandem ſanè indolem refert, quam univerſalis ſudor in alterius generis pleuritide accedens, qui morbi principio ſi contingat, indifferens videtur; Qui nempè neque morbum plerumque remittit, neque graviorem reddit: At verò ſi ad uſque maturitatem morbi conſtanter protrahatur, ſæpiſſimè tandem fit criticus, ipſumque judicat morbum.

Diarrhœa bilioſa neque critica neque ſymptomatica quando contingat exemplis oſtenditur.

VIII. Has itaque à biliari diarrhœa eliciendas curationis indicationes habeto. Si critica, eaque perfecta ſit, duce naturâ,

Curativæ in genere indicationes

diarrhœæ bilioſæ, criticæ, ſymptomaticæ, & media.

ejuſque omnibus intentis viribus, ſibi integrè linquenda eſt, medicaque ſedulitas in uno victus gubernando regimine occupanda: Si verò imperfecta, leviori cathartico, ad neceſſitatem repetito, aut crebris clyſterum ablutionibus, moderatiſque ſtimulis adjuvanda, aut acceleranda. In ſymptomatica bilioſa diarrhœa ſi ejecta bilis ſincerior, & ſaturatior offeratur, ſimulque tenuis, & ſpumoſa, ut orgaſmi habitudinem præſeferat, neque excedens dejectio ſit, catharſi ſubducenda eſt, aut etiam vomitu avertenda; Quòd ſi enormi copiâ, nimioque impetu erumpat, priùs pacanda, atque attemperanda eſt, aut levi clyſterum ablutione eluenda, ut in cholera morbo uſu venit. Si cum gravi ventriculi morſu contingat; uſurpanda ſunt anodina, diluentia, & paregorica, intermixtis temperatis cardiacis; Interdum etiam acidis, aut ſubacidis nonnihil coercenda. Si pauca, & difficilis glutinoſæ ſimúlque mordentis bilis dejectio ſit, cum hepatis obſtructione, contumaci ictero, aut aliis non frigidis comitantibus morbis; fotibus externis, & internis, emollientibus, humectantibus, atq; Epiceraſticis utendum: quibus poſteà præparato humore, poterunt pro epicratica catharſi interponi purgantia. Si bilis profusè fluat poſt jecoris morbum in tabem migrantem, incraſſantibus, alcalicis, atq; analepticis frænanda venit. Ad ſummam: in biliari ſymptomatico fluxu bilis Crocea diluenda eſt, rubiginoſa leniter abſtergenda; Effera, & mordicans cicuranda, tenuis incraſſanda, & cogenda, ut benè neceſſariis purgantibus obtemperet. Æſtus in hujuſmodi fluxibus in inteſtinis, aliiſve viſceribus concitatus multùm infringi ſolet à rore vitrioli, iteratis digeſtionibus à vitriolo abſtractum, aut à longis convenientium aquarum hauſtibus, quibus ſenſibilem aciditatem infuſus vitrioli, aut ſulphuris ſpiritus conciliaverit. Media tandem bilioſa diarrhœa ſervanda eſt, quæ nempè in criſim converti aliquando poteſt; Interdùm etiam & validè urgenda; cùm nempè aut Orgaſmi ſoboles eſt, aut decubitum præcavet.

DE

DE BILIOSA DYSENTERIA.

Canones Practici.

I. NEminem procul dubio accuratorum Medentium latet, Dyſenteriam eſſe frequentem alvi ab inteſtinorum exulceratione p. n. excretionem, bilioſam idcircò, ſtrigmentoſam, aut purulentam, interdum & aqueam, vel lymphaticam, cum intermixto quidem ſanguine, ſed in miſtura diſtincto; in primis cum dolore ventris, ſuperveniente teneſmo, virium proſtratione, aliiſque ſymptomatibus; plerumque cum febre, interdum & ſine febre; ut ideò ratione excretę ſubſtantiæ diſtinguatur à ſimplici diarrhœa, ratione doloris ab hæmorrhoidali excretione, ratione utriuſque à fluxu hepatico, aliiſque dejectionibus: Ut nobis in præſens curationi potiùs, ejuſdemque ſpecierum ſingulari diagnoſi, & prognoſi, quàm diffuſiori ætiologiæ diſquiſitioni vacare impendeat; qui nempe in hac hepaticæ hiſtoriæ parte practicos canones, non verò theoreticas meditationes è limine pollicebamur.

Dyſenteria quid ſit in genere; & quomodo ab aliis alvi excretionibus diſcriminetur.

II. Dyſenteria in genere alia proximè à bile eſt, in proprio, ſeu hepatico foco vitiatâ; alia verò à ſanguine, ſeu ab ichoribus per inteſtinales glandulas, aut etiam abſque glandularum concurſu per inteſtinalium arteriarum apices ab ipſomet toto ſanguine decidentibus. Excludimus à dyſenterico cenſu alvinos ſincerè ſanguineos fluxus; ut qui in menſium ſuppreſſionibus vegetis mulieribus contingunt, aut juvenibus Viris, ſi hi fortè careant commodis conſuetæ per nares, aut alias partes hæmorrhagiæ. Iſti enim fluxus, præterquàm ſinceri ſunt, cùm ſemper ſalutares, tum plerumque citra inteſtinorum dolorem obveniunt. Hanc primam dyſenteriæ diviſionem explicat Duretus in *Coacis*, tradens ex Hippocratis mente *Dyſenteriam aliam*

Dyſenteria in genere alia proximè à bile eſt, alia verò à ſanguine: Prima criticam rationem obtinet, ſi ab impacto ſtimulo, aut morbo hepatis ſyſtrophico non fiat: Sed criſis hujuſmodi ali-

quando bona eſt, interdum vitioſa. Loca aliquot Hippocratis bonam ejuscemodi criſin declarantia adducuntur.

eſſe hepaticam, aliam alvinam, ſeu inteſtinalem. Dyſenteria ab hepate, ſeu à bile ortum ducit, cùm efferus iſte humor, ſimulque glutinoſus pigro lapſu inteſtinorum anfractus transgreditur, ipſiſque, magis, minúſve abradendo, exaſperandoque, majorem aut minorem inducit moleſtiam. Conſideranda cæterùm ut critica videtur, quoties, illæſo hepate, à naturali in hoc viſcere ſecretione, à ſanguine vitiati, noxiique humoris ſpontè procreatur, ut revera frequentiùs contingit. Non enim critica eſt, ſi à ſtimulo huic viſceri impacto, aut ſyſtrophica obſidente affectione, per inceſſabilem irritationem, aut perpetuam in eodem ſuccorũ depravationem, ac redundantiam ſortiatur originem. Ita criticus non eſt dyſentericus hepaticus fluxus à calculis felleæ cyſtidi inhabitantibus productus, ut qui indicatur in Zodiac. Med. Gall. pag. 95., neque qui ab hepatis ulcere, aut carcinomate, aut alio quolibet affectu progignitur. Intereà critica ejuſcemodi dyſenteria modò bonę, modò vitioſæ criſis rationem præ ſe fert. Bona enim criſis putanda eſt, quum citra gravem inteſtinorum, aliarumve partium affectum acutis, ad exemplum, biliaribus febribus ſuperveniens, eaſdem judicat. Ita præcipuè Senes per ſupervenientem dyſenteriam ardentibus febribus defungi pluribus in locis teſtatur Hippocrates; idemque *Epidem.* lib. I. Sect. III. memorat morbos varios per probam judicationem in dyſenterias deſiiſſe; ut in Xenophane, & Critia: Additque Aphor. V. Sect. VII. *A furore difficultas inteſtinorum bonum.* Libro I. Sect. II. *Eorundem morbor. vulgar.* hæc habet: *Quibus febre judicatoriè deſinente tumores ad aures in febribus cum dolore ſuborti neque conquieſcunt, neque ſuppurantur, eos bilioſum alvi profluvium, ut inteſtinorum difficultas, aut quod in urinis craſſis ſubſidet, liberat.* Circumſcribit autem bonam hujuſmodi dyſenteriam ab hepate hoc pacto: *Quæ cietur profusè, & fortiter, nec longa eſt; non enim ciborum faſtidioſi ſunt; nec video cur hîc vacuationi operam dare oporteat.* Deducit ergo hujuſmodi egeſtionem à forti naturæ contentione pro pleno

morbi-

morbifici humoris exitu obtinendo.

III. Vitioſa verò dicenda Criſis eſt hujusmodi dyſenteria, quum per ipſam præviæ in ſanguine, aut aliqua determinata parte affectiones remittunt quidem, at verò non integrè ſolvuntur; aut novus, longus, & moleſtus à trajectorum ſuccorum morſu inteſtinalis morbus ſuboritur; Dolor, abraſio, excoriatio, acer teneſmus &c. quæ tamen omnia rectâ præſidiorum adminiſtratione emendari denique poſſint, & comprimi. Ita Hyppocrates lib. 1. *epidem.* Sect. III. poſt deſcriptam in peculiari quadam Conſtitutione morborum ſyndromem, vertit ſe ad criticam quidem, non tamen ſat bonam, bilarem dyſenteriam memorandam: *Quidam, perturbatâ alvo,ननbilioſa tempeſtivè excernebant, aut dyſenterici fiebant... ſervabantur autem omnes, quibus hæc contigerunt.* Oſtendens ſiquidem per poſtrema verba, atque per illud *perturbatâ alvo* non ſine moleſtia, & diſcrimine hujuſmodi accidiſſe judicationes. Quam ob rem hanc à bile imperfectè criticam dyſenteriam nominat Duretus *evacuationem periodicam*; cúmque perſæpè acerrimè lædantur inteſtina, à transmiſſa bile, præcipuè ab erratis in victus ratione acerbiùs excandefactâ ut hoc pacto graviores morbi ſuccreſcant, *expreſſionem* etiam *ſymptomaticam* appellat. Et ſanè non infrequenter contingit, quod idem author ſubdit in Coacis fol. (mihi) 332. de hac bilioſa Dyſenteria „Bilioſa excrementa à calidioribus alimentis in bilioſis „excitata, ſpumantia, tum ſaturata magis quàm decet, magisque fervida non extinguunt hypochondriorum ardorem, „ſed multò majorem accendunt, faciuntque ut penè conflagrent incendio. Tum verò jactationem artuum, & intolerabile ægris adferunt faſtidium. Præterea in tranſitu ſedem, & inteſtina exulcerant. Quæ mutatio eſt diarrhœæ „in dyſenteriam, juxta illud: *Sinceræ dejectioni dyſenteria ſupervenit* „ſæviores ejuſcemodi dyſenterias ab acriori, torridiorique reddito bilioſo ſucco ortum trahere ex eo patet, quòd quum ver, æſtaſque humida plurimùm ſunt & nimboſa,

Vitioſa criſis dyſenterica ab hepate, ſeu bilaris, quando ſit dicenda; & quæ frequenter ſymptomata procreet. Textus aliqui Hippocratici hujusmodi dyſenteriam deſignantes.

boſa, dilutâ admodùm, ac temperatâ bile, pauci hujus generis fluxus erumpunt: ut hoc anno 1723., qui cùm ad vernum tempus, & æſtatis initium extitiſſet humidiſſimus, hoc eodem tempore paucas ſanè dyſenterias peperit. Sed fine æſtatis calidiſſimo reddito, multæ ſanè, eæque contumaces dyſenteriȩ prodierunt. Quum verò à ſiccis, calidis, ſqualidiſque tempeſtatibus ſuboriuntur dyſenteriȩ, efferatiſſimus, qui ab hepate eructatur, ſus-deque fluctuans per totam inteſtinalem fiſtulam biliosus humor, dira ubique invehit ſymptomata: non rarò circa initia vomitiones procreat, ſȩvas quidem, & diſcrimine plenas, juxta illud in Coacis: *Inteſtinorum difficultate laborantibus vomitio billioſa circa initia, malo eſt*; „ quod quidem [ut ait Foeſius in hujus textus commenta„ rio] indicat ulcus in tenuibus ac ſuperioribus inteſtinis „ ventriculo vicinis, ipſoque ventriculo ſuſpectum facit, „ tuncque vexant febres acutæ, extremorum perfrictiones, ci„ bi faſtidia, vigiliæ, ructus graveolentes, nauſeæ, & te„ nebricoſæ vertigines. His accedit crebra virium exolutio, „ genuum reſolutio, ſitis, æſtuatio, corporis inquietudo, „ pulſus exiles, & debiles, ac magna tormentorum inten„ ſio ac perſeverantia. Quæ omnia annotavit Aretæus. „ In his interdum dyſenteriis efferæ, atque impensè excandeſcentis bilis ab hepate, & inteſtinis ad caput, pro inducenda inſania, tranſgreſſio fit, ſi illæ conditiones affluant, quæ ab Hyppocrate in *Coacarum* loco exhibentur, *Dejectiones dyſentericæ, quæ rubris, limoſis, cumulatè ducuntur, ſi cum facie rutila, & ſaturo rubore ſuffuſa quieſcant; inſania eſt in metu.*

Dyſenteria revera ſymptomatica quæ propriè ſit; quis humor in eadem delinquens; & unde proficiſcatur.

IV. Sed illa, quæ non ab hepate, ibidemque ſecretâ bile, ſed ab aliis acerrimis ſuccis, proximè à ſanguine per vaſa, atque emunctoria inteſtinalia depluentibus, ſuboritur dyſenteria, ſymptomatica ſemper eſt: Quam ſcilicet non naturalis aliqua, aut naturali proxima ſecretio à ſanguine, ſed indebita, & prorſus morboſa ſolutio, infeſtaque ejuſdem calami-

calamitoſi ſucci, qui per ipſam effunditur, redundantia procreant. Hanc ideo inteſtinalem dyſenteriam à *concitato*, atque *conſiſtenti rheumate*, alibi à *pituita putri*, *ſalſaque*, alibi inſuper à *colliquamentis febrium tabificarum* originem ducere *Duretus* pronunciat. Atque pravum hunc dyſentericum, ex toto ſanguine deciduum humorem Galenus *III. epidem. part. III.* comparat cum ſimili alio, pulmones infeſtante, ac phthiſicam luem inducente: *Humoris pravi è capite in fauces effluxu quod in pulmonem prolapſum eſt, affectionem phthiſicam excitavit; quod verò in ventrem delatum eſt, deorſum ſubeundo, cum morſu perturbationem cievit in ipſo.* Illa denique hujusmodi dyſenteria eſt, quam Cæl. Aurelianus *inteſtinorum cum exulceratione rheumatiſmum* nuncupavit. Quare ex hoc morbi genere facilis progreſſus eſt in dyſenteriam, caſtrenſem dictam, aut malignam communiter nuncupatam; tum in illam, quam Priſci à lividis ejusdem excretionibus atrabilarem non minùs nuncuparunt; atque lethalem Hippocrates in *Coacis*, & *Aphoriſmis* pronunciat; Qui inſuper de graviſſima, à peſtilenti aëris conſtitutione, & internecina dyſenteria lib. I. *epidemiorum* ſermonem inſtituit.

Dyſenteria critica quomodo à ſymptomatica diſtinguatur.

V. Signa præcipua, utrumque dyſenteriæ genus dirimentia, quanta ipſe à longa praxi edoceri potui, hæc habeto. In dyſenteria, per ſanguinis in malos ſuccos fuſionem, ſymptomatica, febris adeſt non apertè periodica, ſed plerumque habitualis, & lenta, cum corporis conſumptione, ad tabem vergente: Pauca aut nulla ſitis: Linguæ, & totius corporis pallor. Dejecta ſanguinolenta quidem ſunt, non verò bilaria, nec craſſiuſcula, nec revera ſtrigmentoſa; ſed cruda, aquoſa, limpida, aut fuſco-tenuia, vel etiam livida: Intermixtus ſanguis decolor, cæteriſque ſuccis intimiùs immixtus. Urinæ tenues, crudæ, interdum oleoſæ, & colliquativæ: Inteſtinorum tormina minùs acerba ſunt, ſed tetrior excretorum fœtor. Plurima alia totius vitiati ſanguinis ſe produnt indicia; morbique diverſi etiam generis alii ut pluri-

mùm

mùm præceſſerunt. Tum omni indiſcriminatim tempeſtate hujusmodi dyſenteriæ adoriuntúr. Quòd ſi ex adverſo à biliari hepatis, perfectè aut imperfectè critico fluxu dyſenteria proficiſcatur, febris aut in progreſſu nulla eſt, ſuperſtite tamen majori aut minori calore, atque irregularium æſtuationum habitudine; aut fit manifeſtè periodica, aliquibus interdum rigoribus ſtipata. Sitis accedit; oris amaror, lingua ſicca, & flava; frequens nauſea, & cibi faſtidium: Conſiſtens corporis habitus, ſolùm magis, minúſve ictericus; aut ſaltem flaveſcens facies. Nimia præceſſere exercitia, vel animi fervidiora pathemata, vel eſculenta, potulentaque bilem accumulantia, aut acuentia; plerumque calidior tempeſtatis intemperies; ut hac de cauſa hujus claſſis dyſenterias æſtas ut plurimùm, aut autumnus excipiat. Præcipuè verò excreta propriè biliosſa ſunt, magis, aut minùs cocta, & ſtrigmentoſa: ſociatus ſanguis ut minùs commiſtus eſt, ita rubidior, & rutilantior; & ſi pus inerit, laudabilius occurrit, magiſque concoctum, & conſiſtens. Urinæ croceæ, aut etiam lateritiæ, craſſiores, aliâve quâlibet ratione bilioſæ. Juvenes, & vegetos, aut etiam ſenes, ſi bilioſi ſint & robuſti, hic morbus invadit, aliis plerumque affectionibus neque præcedentibus, neque conſectantibus. Cæterùm Galenus *lib.* VI. *De locis affect.* Cap. II. diſtinguere ſatagit inteſtinales dyſenterias ab his, quæ ab hepate profluunt „Ab initio, *ait*, tenuis ſanies ſanguinis ab „ hepate dejicitur, deinde aucto malo craſſus humor, feci- „ bus vini non abſimilis: Præterea in hepatis excretioni- „ bus nihil abraſum expellitur: atque interdum duorum, „ aut trium dierum intervallo ſupprimitur evacuatio, dein- „ de rurſus redit malum, atque excernuntur excrementa „ prioribus multò pejora. Id verò per inteſtinorum ulcera „ haudquaquam apparet: Quippe in iis neque affatim, ne- „ que ex longis temporum intervallis laborantes dejicere conſueverunt „ Interea fluxum nominatim *hepaticum* dictum per hunc

hunc textum duntaxat deſcribit; qui licèt à plurimis *Hepatica dyſenteria* nuncupatus ſit, neque ipſi nos à tradendo hoc nomine abſtinuerimus, toto tamen cœlo à biliosâ legitima dyſenteria diſtinguitur, quæ quidem inteſtinorum dolorifica eſt, atque inſuper ulcerifica.

Calamitoſa interdum ſymptomata biliosæ deterioris dyſenteriæ, quæ quidem in erigendam ejuſdem prognoſim convenire poſſunt.

VI. Ut verò in dyſenteria biliosa feritatis gradus nonnihil perpendamus: Calidiori, ſicciorique æſtate qui bilioſi homines calidis cibis, aut potibus, aut fructuum facilè fermentantium ingluvie abutuntur, hi bilioſis acerrimis dyſenteriis corripi ſolent. Hinc cùm tradat Hippocrates *part. V. & VI. epidem*: " Quibus ventres nimiùm calent iis fortia „ vina, & cibi perturbationem adferunt „ Hujusmodi *perturbationem* flavæ bilis eſſe ab omnibus ſummi Præceptoris Interpretibus ſatis evincitur. Etenim in hoc caſu " citata bi„ lis flava, *effatur omnium hujusmodi Interpretum princeps Du„ retus in Coacis fol.* 345., & velut expreſſa multum ſaturata „ ex hepate, contumaciter adhæreſcit ad inteſtinum, quod „ abradendo, & exaſperando, primùm quidem leviter, „ velut epidermide tenus, mox carne tenus & ultrà, exul„ cerat. Alvus primùm edit cum difficillima egeſtione bi„ lem ſpumantem; Hinc ſequitur excretio adnatarum inte„ ſtinis partium, ſive mucoſarum, quas Hippocrates lib. II. „ *Progn.* vocat *pauca ſimul, & glutinoſa, & alba, & ſubfla„ va, & levia*: Indè fit depopulatio partium inteſtina conſti„ tuentium, quæ cernitur in excretione interioris membra„ næ, cujus ramenta quædam apparent, velut epidermidis „ cujuſdam abraſæ. Poſtremò ſæviente malo, & firmiter „ fixo, & quod deinceps eradicari nequit, eraſa excerni„ tur ſubſtantia inteſtinorum ſolida, cujus adeò magnæ ex„ cretæ ſunt particulæ, ut meritò carnes dicantur. Tunc in„ ſanabile malum eſt, quòd ejus mala ſit redintegratio; cùm „ neque coaleſcere tantum ulcus, neque obduci cicatrice „ poſſit. Ita edictum illud in Aphor. XXVI. ſect. IV. *A dif„ ficultate inteſtinorum habito ſi veluti carunculæ exeant, lethale*

 eſt,„

eſt „ Hucuſque Duretus. Porrò bilem, quæ ad uſque hunc teterrimum, funeſtumque gradum dyſenteriam perducat, atram vocabant Antiqui, ſeu ab impensè peruſta flava productam, accerrimamque ideo redditam, erodenti exquiſitè morſu pollentem ſummâque feritate concitatam: Cui ideo convenire videtur Aphor. XXIV. ſect. IV. *Dyſenteria ſi ab atra bile incipiat, mortifera eſt.* Hæc enim à poſtrema bilis malitia ortum ducens, ad lethum perducit, Cùm, *ut citato loco proſequitur Duretus*, "præ ſe ferat ſpeciem, & ideam carcinomatis ulcerati, quod cùm extrinſecùs inſanabile eſt, „ multò magis intrà, deſperationem oſtendit ſanationis: Tum „ quia nec ulla eſt redintegratio ſperabilis in tam maligno „ ulcere, quod nullum habet fundamentum; tum quia non „ eſt medendi commoditas; tum quia illud carcinoma perpetuo excrementorum appulſu ſordeſcit, & proritatur „ Hæc igitur omnia non ſolùm formalem cauſam bilioſæ propriè dyſenteriæ reſpiciunt, ſed plurimam inſuper ejuſdem prognoſim aperiunt.

Aliqua ulterius ad prognoſim inteſtinalis, & hepaticæ dyſenteriæ ſpectantia.

VII. Porrò illa prognoſis quæ ab Hippocrate libro *de vict. rat. in morb. acut.* adversùs dyſenteriam proponitur, inteſtinalem ſolummodo videtur concernere " Inteſtinorum difficultas ſi ceſſavit, vel abſceſſum, vel tumorem aliquem „ pariet, niſi in febres, vel ſudores vertatur, & urinæ „ craſſæ, albę, & leves apparuerint, vel in tertianas, vel „ varicem, vel teſtem, vel crura, vel in coxendices dolor obfirmetur „ Nam *ſi ceſſaverit* bilioſa dyſenteria, delinquentem omnem humorem ſuperaſſe inteſtina, atque per alvum fuiſſe è corpore delapſum tutò conjiciendum eſt: Cùm bilarem hujuſmodi fluxum ex parte ſanguinis, à quo, atque hepatis, in quo fit ſecretio, criticum eſſe, & ſalutarem ſuperiùs oſtenſum ſit, ut hoc ceſſante, nullum alium ſupereſſe noxium humorem, qui aliò corrivatus novos alat morbos, putare oporteát; incommodam verò, aut pernicioſam evadere ex fortuita duntaxat ratione inteſtinalis moræ, ſeu

ex

ex majori, aut minori inteſtinorum, quæ trajicit, tunicis hærendi habitudine. Quæ igitur ab origine bilares dyſenteriæ ſunt, quò ad mandantem partem tendentes ſemper ad criſim ſunt; licèt interdum, vel ob acriorem eructatæ bilis indolem, vel ob inteſtinorum imbecillitatem, aut ſociatam ſuccorum inteſtinalium à mala victus ratione depravationem, & cacophragiam, vel tandem ob malè adhibitam curationem, pravæ ex accidenti evadant, diuturnæque inteſtinorum incendiariæ, hinc ſummè quandoque pernicioſæ, interdum mortiferæ. Non diffiteor tamen, hepaticas non rarò dyſenterias contingere, quæ ſymptomaticæ ſuapte naturâ ſunt, malignæ, atque plerumque lethales. Sed ſimul adnoto, ut ſuprà, hujusce naturæ dyſenterias non eſſe revera bilares, at purulentas, tabificas, ab ulcere hepatico, poſt hujus viſceris inflammationem, & ſuccedentem abſceſſum inſanabili ſuperſtite procreatas, quarum abſolutam prognoſim inſtituit Celſus lib. II. cap. VIII. *ex jecinore ſi pus cruentum exit mortiferum eſt.* Ita in denatis ab hoc morbo eroſum plerumque hepar, taboque diffluens offendimus. Diſtinguere autem videtur Hippocrates per Aphor. XXI. ſect. IV. perſiſtentes hujusmodi ab hepatis corruptione lethales dyſentericas dejectiones, ab his quæ ſemel, & fortuitò per varias ab aſſumpto Pharmaco inductas miſturas quandoque contingunt: *Dejectiones nigræ, ſpontè venientes, ſive cum febre, ſive ſine febre, peſſimæ; & quanto colores magis pravi fuerint plures, pejus: Cum medicamento verò meliùs; & quanto colores plures, non pravi.*

VIII. Maximi præterea in biliari dyſenteria momenti eſt textus ille in Hippocratis Coacis: *Dyſenteria, quæ intempeſtivè ſiſtitur, abſceſſum facit vel in lateribus, atque viſceribus, vel in articulis. An bilioſa quædam in articulis? Cruenta autem in lateribus, atque visceribus.* Præcipuè verò in illa, quæ inſtituto reſpondet, particulâ *an bilioſa quædam in articulis?* Hæc certè ſuſpicio Hippocratis de translatione bilis

Facilis conſenſus dyſenteriæ cum artuum doloribus, ob peccantem bilem facilè ab inteſtinis ad artus translatam, faciléque ab

artubus ad inteſtina repulſam.

lis ab inteſtinis ad articulos, quam non niſi graviſſimas obſervationes in obſcuro illo quò ad motus ſanguinis, aliorúmque ſuccorum ſæculo, Præceptori noſtro intuliſſe putandum eſt, ab accuratiſſimis clariorum noſtrarum ætatum Practicis, bilem circuitu ſanguinis ab inteſtinis ad artus per imperfectas criſes propulſam, atque etiam ab iisdem ad inteſtina denuò per palindromem repulſam perſæpe animadvertentibus, etiam, atque etiam confirmata fuit. Hinc tradit Baglivus, *lib. I. Praxeos medicæ*, arcanum quendam, ac inexplicabilem conſenſum obſervaſſe inter morbos ventris, & morbos cutis; dolorem vidiſſe colicum in arthriticum mutatum, & è contrà arthriticos dolores per ſupervenientem colicam, aut diarrhœam ſolutos. Hinc illud Hippocratis in mentem revocat, *Alvi laxitas cutis denſitas*, *cutis raritas alvi denſitas*: Atque ideo in praxi obſervaſſe teſtatur, quòd diuturnæ diarrhœæ, irritis præſidiis aliis, per diaphoretica promptiſſimè ſanari ſoleant. Idem plures alii ſcriptores obſervarunt; quos quidem brevitatis gratiâ omittemus. Conſentaneam interea huic rei clariſſimi Muſgravii obſervationem, ſuæ *De ſymptomatica Arthritide* nobiliſſimæ diſſertationi conceſſam, ſuperiùs in *Bilioſæ Colicæ* diſputatione non reticuimus.

In biliaris dyſenteriæ curatione lis multa medentes detinet.

IX. Nunc ad biliaris dyſenteriæ curationem properantes, percipimus è limine, in nulla alia hominis morboſa affectione medicam ſcholam erga principale hujus curationis inſtrumentum, ſeu in præſcribendo, aut proſcribendo cathartico, tam acriter diſputaſſe, aut adhuc diſputare: & veluti de pleuritide fieri vidimus, ſinguli adverſæ doctrinæ ſcriptores experientiam ſecum adducere, ſibique Hippocratis, aliorumque ſeniorum Artis Magiſtrorum ſententiam arrogare conantur. Sed, ut nobis de pleuritidum generibus, & ſtatibus feliciter contigit, potuiſſent hi omnes optimi viri varia dyſenteriæ genera, & tempora, quibus varia medendi ratio, & oppoſita Hippocratis, aliorúmque conciliantur præcep-

cepta, interſtinguere. Ut igitur in bonam lucem res vergat; Hippocratica illa ſuper hac re diligenter ſenſa expendamus.

X. Et primùm; biliarem in genere dyſenteriam, Hippocrates non ſolùm validioribus interdum purgantibus, ſed etiam vomitoriis aggredi, atque reſtinguere non veretur. Ita lib. II. *epidem.* ſect. VI. purgans in hoc morbo vehementius non ſemel tantùm, ſed etiam bis, terve præproperè propinandum jubet: *A ventris turbatione aut tuſsi oborto Cancro os amareſcit; dandum autem in potu elaterium bis, aut ter.* Per illud *ventris turbationem* Senex ut plurimùm dyſenteriam ſignificat: Per illam verò particulam *A ventris turbatione oborto Cancro*, ulcera inteſtinorum *Cacoethe* intelligit: Nam hîc comparat inteſtinale ulcus in dyſenteria cum inveterato in phthiſi aſperæ arteriæ & pulmonis malignoque ulcere, quod ideo in utroque morbo *cancroſum* denominat; ut perbellè Valleſius ad hunc locum commentatur. Addit *os amareſcit*: Quo quidem ſigno utitur Hippocrates in locis innumeris, ut cacochymiam bilioſam exprimat: Quod etiam ibidem optimè animadvertit Valleſius, afferendo, ex hac oris amaritudine ſignificari, non ſolùm redundare bilem in corpore, ſed etiam per inteſtinales partes ſcatere. Adjicitur *dandum autem in potu elaterium bis, aut ter*: Cujus validiſſimi purgantis mentioni iſta ſubdit graviſſimus Interpres eodem loco " Elaterii „ Hiſtoriam, & vires apud omnes, qui de materia medi- „ cinali ſcripſerunt licet legere, utque is ſuccus ſit valde „ purgans. Quem quidem ego aliis omnibus medicamentis „ expurgantibus ad dyſentericos potiorem eſſe non exiſtimo, „ ſed fortè aliis minùs commodum. Verùm antiquus mos „ eſt Hippocratis expurgationem præcipere, nominato ſem- „ per aliquo medicamento, eorum quæ ſibi erant familia- „ ria, ut elleboro, elaterio, aut cnico. Perinde ergo tu in- „ tellige, ac ſi diceret, *expurga.* Illud bis, aut ter feſtina- „ tionem continet; quaſi diceret, *expurga* citò, ac ſi opus

Hippocratis ſententia, uſuſque circa purgantium in bilari dyſenteria adminiſtrationem.

 ſit,

„ ſit, repete medicamentum ſine mora „ Atque ipſe inter quamplurimas Hippocratis obſervationes, quæ in dyſenteria biliari ſalutares à purgantibus eventus declarant, ne infinitus ſim, unicam adducam ex *Epidem.* lib. VII. decerptam, cujus ſenſus hic eſt " Cratolai filius dyſenteriâ manifeſtè bilioſâ „ correptus, cum febre poſt primos ſex dies non ampliùs manifeſtâ, linguâ interim ſiccâ, ſiti, nauſeâ, calore, & inſomniis perdurantibus, uſque ad quadrageſimam in pejus „ ſemper ruebat, corporis robore in extremam colliquationem, atque impotentiam degenerato, ut ſurgere ampliùs „ non valeret vel alio ſublevante. Cùm per duos dies bibiſſet novem circiter heminas atticas lactis aſinini excocti, „ bilioſa purgatio exorta eſt vehemens, & dolores ceſſaverunt, & ciborum appetentia acceſſit &c. „ erat autem Veteribus familiaris uſus hujus lactis ad expurgandam bilem, ut affert commentator Valleſius; noſque alibi perſæpe retulimus. Interea ex his liquet, nullum eſſe in hoc morbo pro inſtituenda catharſi delectum temporis adhibendum; ſed in ea quamcitiùs feſtinandum. Nam in memorata hiſtoria ſignificare velle videtur Hippocrates, ideo *dolores*, *nauſeam* cæteraque ſymptomata ad uſque quadrageſimam diem, cum pejoribus ſemper ægri rebus perduraſſe, quòd *bilioſa purgatio* celebrata non fuerit: Quâ quidem impetratâ, illa omnia depellebantur: Hinc fortè medicus non niſi poſt quadrageſimam diem ad illius ægri curationem acciebatur: Quemlibet enim, vel in catharticorum adminiſtratione religioſiorem, non præterit, longiſſimo illo morbi curriculo amplum fuiſſe vel ſæpiùs purgandi locum.

Hippocratis ſenſus, reprobans in principio bilaris dyſenteriæ vomitionem; quæ tamen, turgente bile, ſeu in

XI. Sed in vomitoriorum uſu ad hoc dyſenteriæ genus videtur cautiorem ſe gerere Hippocrates per textum illum in Coacis: *Dyſentericis vomitio bilioſa initio, grave malum.* Explicat tamen Duretus, malam in hoc caſu vomitionis rationem non eſſe, ſed temporis vomitionis: Quippe cùm vomitio inter ipſa ſtatim morbi initia critica eſſe non ſoleat, ſed

ſed ſolùm ex nimia morbidi humoris redundantia, atque exundatione; Decretoria enim ex eodem Hippocrate tam citò præſto eſſe non debent: Idcirco præſidium emeticum non quidem in biliaris dyſenteriæ principio, ſeu in morbi cruditate, ſed quum aliqua eluceſcit concoctio, eximio cum fructu uſurpatur. Verùm enim verò, quantumvis nos ad ipſa etiam dyſenteriæ exordia, vel ab efferi, & moræ impatientis humoris pervicacia, vel ab ejus multitudine, aut turgeſcentia compulſi, in propinandum emeticum feſtinaremus; non jam malus ille, ab Aphoriſmo prolatus, expectandus eventus foret: Alia enim cenſenda eſt vomitionis conditio, quæ ab interna morbifera laceſſante cauſa, oppreſsâ enormiter, atque irritatâ naturâ, excitatur, queque ideo delinquentis humoris copiam, feritatem, graviorumque indè malorum præſentiam oſtendit; alia verò, quæ ab artificiali, externoque ſtimulo, ſeu propinato remedio cietur; Quæque procul dubio ad non paucam noxiorum turgentium laticum ejectionem, plurimamque ſuperſtitum extenuationem perducere valet. Ita ait Duretus in *Coac.* ad laudati textus commentarium " eſt igitur bilioſa vomitio circa initia dyſenteriæ „ ejus amplificatio. Secus dicendum de illa vomitione, quam „ ſua ſponte natura ciet ad remoram diarrhœæ vetuſtæ. Hæc „ artificium præbet Medico ad imitationem naturæ comparandum. Ejus adjumentum in revulſione poſitum eſt, quemadmodum prædictæ vomitionis bilioſæ noxa, & calamitas in coëffuſione per propagationem materiæ, ſurſum, „ deorſumque confluentis „ *orgaſmo conſtitutâ, etiam in principio valde proficua eſt.*

XII. Quamobrem, ut divinus Senex à ſpontaneo vomitu, qui crudæ adhuc bilioſæ dyſenteriæ, ſeu ſtatim in ejus principio ſuperveniat, mala deducit auſpicia, ita præſtolatur optima ab eodem maturiori tempore, ſeu in ſtatu morbi accedente. Quam ob rem non niſi poſt decem dies à dyſenteriæ ingreſſu eſſe emeticum remedium propinandum præcipit " Ubi calefacto corpore acria purgantur, & inteſtinum *Ubi igitur bilis non turgeat, quo tempore in hujuſmodi dyſenteria per Hippocratis monitum ciendus ſit vomitus.*

„ num raditur, ac exulceratur, cruentaque per alvum de-
„ mittuntur, hoc dyſenteria, hoc eſt inteſtinorum difficul-
„ tas appellatur, tum gravis, tum periculoſus morbus. Ve-
„ rum conſilio proſpiciendum eſt, prandiumque detrahendum,
„ & cænæ tertia pars. Cùm verò dies decem præterierint,
„ cibi detracti dimidium apponendum, & *vomitus ciendus*,
„ atque quatuor diebus cibus ſenſim offerendus. Ubi verò
„ alii decem dies advenerint, tum reliquus cibus adjici-
„ endus, tum *vomitus* faciendus. Et ſenſim ad cibum addu-
„ cendo, intra hoc tempus ſanitati reſtitues „ De *victus ratione lib.* III. aliiſque locis. Sub hac igitur conditione *lib. De morbis* ait: *Vomitus vehementi alvi profluvio detento ſuccedens, bono eſt:* eamque inſuper conditionem apertè exigit Aphor. XV. ſect. VI.: *A longo alvi profluvio habito, ſpontaneus ſuperveniens vomitus morbum ſolvit.* Ut ideo quæ mala initio judicata vomitio eſt, nunc bona, progreſſu, ſtatuque morbi, ſeu poſt *longum profluvium* adveniens, ab eodem decernatur: confirmatque laconismo Celſus lib. II. cap. VIII. *Longas dejectiones ſupprimit vomitus.* Idcirco libro *De affect.* curationem hujus morbi haberi per vomitum repetit Præceptor; & textu inſuper illo, quem profert Duretus in *comment.* ad Coacas *De dyſenteria* " ſi quem Dyſenteriæ vis occuparit,
„ huic toto ventre dolor eſt, atque tormentum, ac bilem,
„ pituitam, & ſanguinem ipſis permiſtum egerit: Huic pur-
„ gato capite pharmacum dato potui, quod pituitam ſurſum
„ expurget „ Hanc verò pituitæ ſurſum, ſeu per vomitum expurgationem bili etiam referri cenſeo ab Hippocrate, qui nempe bilem in hoc morbo, ob contractum in inteſtinis *lentorem*, quodammodo *pituiteſcere* ait, ut ibidem idem Duretus annotat.

Quæ emetica penès modernos in uſu ſint ad dyſenteriam, præcipuè bi-

XIII. Hippocraticæ Doctrinæ quotidiana ſuffragatur experientia, quâ nempe per ſpontaneos vomitus, aut per remedia excitatos, dyſenterias, in primis biliares, illico, tutóque deleri perſpicimus. Ita cultiori hoc ſæculo radix hipecacuanhæ

cuanhæ ſpecificum in dyſentericis bilioſis fluxibus celebre præſidium eſt, quæ quidem non ſolùm vomitum promovendo opitulatur, ſed non opitulatur ſi ingeſta parum, aut nullimodè vomitum promoveat (Hîc autem intelligo, remedium hujusmodi ab excitando vomitu ſponte abſtinere: Nam ſi per artem illam, Præclariſſimo Helvetio tam benè perſpectam, omnis quidem emetici violentia, non virtus ab hac radice tollatur; ut hinc quæ per vomitum revulſionis gratiâ excutienda ab eadem fuerant, præcipitata per ſedes, eandem adhuc rationem, cum placidiori tamen motu, majorique hinc ęgri commodo retineant, quis inficiabitur, vomitum fuiſſe quidem ſuppreſſum, ſed omnem vomitus ſupereſſe utilitatem? Interea Medentes quamplurimi non tantùm hujuſmodi dyſenterias profligant, vomitu per hipecacuanham inducto, ſed per alia inſuper vulgariora emetica, ut per radicem aſari, per vinum ipſum emeticum, aut aquam benedictam Rul. &c. Dixi radicem hipecacuanhę bilioſis dyſenteriis directè præſidio eſſe. En ſanè quibus pluries repetitis obſervationibus ſuffultus hoc mihi in animum firmare valui. Hipecacuanha non prodeſt, cùm ſincerus cruor per dyſenteriam excernitur; neque cùm alvinus fluxus merè mucoſus eſt citra ſanguinem, quicunque ſit inteſtinorum dolor, irritatio, deſidendi difficultas, ardor, & frequentia. Multùm autem poteſt in dyſentericis excretionibus, mucoſis ſimul & ramentoſo-ſanguineis. Quòd ſi muci hujuſmodi dyſenterici flavi ulteriùs ſint, ſeu manifeſtè bilioſi, impenſiùs proficua eſt, quàm ſi cum miſtura ſanguinis ſimul perlucidi, albidique ſint, ſeu cum bile non manifeſtè commixti. Ob hanc potiorem ad bilis ſedandas ametrias hipecacuanhæ poteſtatem, eandem calidâ tempeſtate adhibitam animadvertimus valentiorem, quàm frigidiori: Juvat igitur magis æſtate, quàm hyeme, magisque calidiori æſtate, quàm tepidiori. Major autem hujusmodi radicis curativa facultas in biliari, quàm pituitoſa dyſenteria (quam ideo poſtremam debellare

lioſam, profligandam: Propriæque Authoris circa ſeleſtius ejuſcemodi emeticum obſervationes.

plerumque non valet) primę, non autem alterius, criticam indolem, atque rationem confirmat. Et ſanè quocunque tempore in non biliari dyſenteria craſſiuſculæ, ſeu aliquomodo ſubactæ, & concoctæ bilis dejectio ſuperveniat, illico mitescit morbus, atque ad judicationem diſponitur: Et plures dyſenterię ex turbatiſſimo ſtatu in ſalutarem extemplò componuntur, cùm ex pellucido fluxu, mucoque albeſcente, ſimulque per partes cruento, in flaveſcentem craſſiorem, ſanguineis ramentis non minùs immixtum, faceſſunt.

Curativa methodus in genere dyſenteriæ bilioſæ.

XIV. Itaque ad purgans, aut emeticum in dyſenteria adhibendum, aut rejiciendum, reſpicienda non eſt major, aut minor præſtita inteſtinorum turbatio, irritatio, abraſio, excoriatio, aut exulceratio, aut magis, minúſve cruentata dejectio, aut ſęvior, mitiorque cruciatus, aut egeſtio varia, ſed unicè cauſa dyſenteriam efficiens: Quippe quòd, ſi à totius ſanguinis labe ſuam hæc obtineat originem affectio, neque vomendum, neque purgandum; ſed aliâ, inferiùs memorandâ methodo inſiſtendum eſt. Quòd ſi à bile, jam in hepate, ceu ſuo naturali colo, ſecreta, atque ab eodem in inteſtinalem fiſtulam vel criticè vel quaſi criticè effuſâ; purgandum quidem, & vomendum; ſed variis præterea conſectantibus circumſtantiis conſulendum eſt. Nam ſi bilis ab hepate in inteſtinum expreſſa, ut ut redundans, citra notabile diſcrimen uberiùs deturbetur, cur remediis extimulanda, aut fermentanda? Cur non potiùs initæ ſpontaneę eruptioni aliquandiu relinquenda? Hoc pręcipuè de febrili bile, in ſubitum dyſenteriæ modum ad inteſtina non infrequenter depoſitâ intelligendum volo. Sed ſi turgens dyſenterica bilis ſit, eâdem horâ per catharſim dejicienda. Si autem nimiùm acris, mordicans, & convellens deprehendatur, ante purgationem clyſteribus, fotibus, aliiſque ſimilibus cicuranda. Huic uſui ſupra aliud remedium quodlibet mirè confert amygdalinum oleum, aut lini, aut ex melonum ſeminibus extractum,

lar-

largéque propinatum ; ſæpiúsque repetitum; cujus ideo opera in biliofis diarrhœis efficaciſſima pariter eſt. (ut inferiùs ex cl. Guidetti Animadverſionibus videri poterit) Fervidior bilis diluentibus , atque etiam refrigerantibus per longas potiones , clyſteres , & fotus contemperanda. Tandem ſi craſſior, viſcidiorque extet, incidentibus, deterſivis , ſeu ſaponariis præſidiis extenuanda ; ſed præcipuè quàm citiùs eliminanda per catharſim , & vomitionem ; quæ quidem præſtantiſſima hujus morbi remedia ſunt ; cætera verò adminicula.

Curativa methodus in ſpecie dyſenteriæ bilioſæ.

XV. Ut verò in his dyſenteriis , quæ quidem frequentiores ſunt , ſeu neque acutiores , neque vehementiores , ſpecialis curationis ſpecimen Tironum in normam proponam: Ex quo ad inviſendum dyſentericum ex bile hominem accitus ſum , primùm Phlebotomiæ indicationem (inferiùs attingendam) perpendo , cui quidem , ſi præſens ſit , ſtatim proſpicio : Hinc modicum paregoricum ex diaſcordio , aut philonio romano , cum hyacinthina aut ſimili confectione , aut ex guttis aliquot liquidi laudani cum aqua violarum , aut camæmelina, aut cardiaca aliqua, ad bilis attemperandum morſum , noctu uſurpandum præſcribo : Huic tamen clyſterem præmitto ex lacte , interdum chalybeato , cum vitellis ovorum , & veteri roſarum conſerva. Manè catharticam potionem , aut bolum impero ex pulp. tamarind. diaprun. ſimpl. aut ſolut. cum rhabarbaro , interdum cum ſyrupo roſarum ſolutivo &c. Quod quidem maximi momenti præſidium frequenter , imo alternis quandoque diebus repetere , intermixtis per majorem , aut minorem frequentiam , majoremque , aut minorem doſim , juxta circumſtantias varias , paregoricis , in uſu habeo. Temperata cardiaca , precipuè ex teſtaceis elicita plerumque non omittimus. Quâque die memoratum enema ut plurimùm uſurpamus , cui non rarò Theriacæ Andromachi convenientem doſim ſuperaddimus. Si alvi profluvium nature vires exſuperet , adhibitâ

ſufficienti catharſi, uſtum indè rhabarbarum purgantibus aliis præferimus; Quem interdum gelatinæ variæ ex c. c. raſurâ eboris, extremitatibus vitulorum &c. comitari ſolent. Serò, & rariſſimè ad validiora adſtringentia confugimus: Namque conſtanti hâc methodo ſublatas brevi dierum intervallo hujusmodi dyſenterias perſpicimus; quas quidem, ſi contumaces ſint, poſt decem, aut duodecim dies tutò, citóque per hipecacuanham debellamus. Potum ordinarium conſtituit decoctio c. c. cum radic. byſtort. aut tormentill. aut ſemin. acetos., interdum cum vitulorum pedibus, quandoque per candentis ferri extinctiones alterata. Tandem in fervidioribus dyſenteriis, *ſub cane, & ante canem* debacchantibus, illo quem D. Butler memorat apud Sydenhamium, modo, quo *liquoris diluvio ſubmerguntur Dyſenteriæ*, optimo cum eventu quandoque uſus ſum.

De ſanguinis miſſione in dyſenteria.

XVI. In Diarrhœis, aut dyſenteriis bilioſis non habere locum videtur phlebotomia, niſi hujuſmodi excretiones in acutiori febre ita infrugiferè ſuperveniant, ut neque parem morbo criſim deſpondeant; neque idcirco febris ab iisdem miteſcat; aut his vigentibus, inteſtinorum, aliorumque finitimorum viſcerum imminens inflammationis diſcrimen, aut præſtita jam inflammatio dignoſcatur. Interea in his caſibus aut hirudinum applicationem ſedalibus venis cum liberali ſanguinis detractione, aut dextræ ſalvatellæ ſectionem aliis quibuslibet phlebotomiis lubenter præferrem; niſi univerſalioris evacuationis urgentius indicans eluceret. Epidemica maligna dyſenteria, quæ ab improba aëris conſtitutione progenita, inflammatorias ſanguinis in viſceribus ſtaſes ſecum plerumque conducit, neque quidem ex una bile, ſed ex omnibus corporis impensè alteratis humoribus ortum obtinet, ſæpè Phlebotomiam inter initia depoſtulat. Ita habet Duretus ad *Coacas* fol. 344., in epidemica illa maligna dyſenteria, quæ in hominum vitam invaſit *Lutetiæ Pariſiorum* ann. 1578. detractionem ſanguinis ex majoribus venis multis ingen-

ingenti auxilio fuiſſe. Imò tametſi Dyſenteria maligna non ſit, ſed duntaxat epidemica, videtur principio phlebotomiam exigere, ad revellendum quendam humorum impetum, ab ipſa conſtitutionis communi cauſa versùs inteſtina concitatum. Ita Sydenhamius in epidemica quatuor annorum dyſenteria, quò primùm arceſſebatur, tundendam cubiti venam ſuadebat. Vide cap. III. ſect. IV. *Obſervat. medic. circa acut. morb. hiſt. & curat.*

XVII. Verùm alterius generis memorata in diſquiſitionis limine dyſenteria, quæ potiùs ab univerſali colliquatione ſanguinis, ad inteſtinalia indè incernicula ſe manifeſtante, quàm à critica biliaris ſubſtantiæ per hepaticam ſecretionem expurgatione, proficiſcitur, neque emeticis, neque catharticis, ut ut levioribus, neque quibuslibet aliis extimulantibus præſidiis tentanda eſt, ut ipſe Hippocrates admonet, ſed ſolis ſubadſtringentibus, & poſtmodum etiam abſolutè adſtringentibus, traumaticis, balſamicis, edulcorantibus, incraſſantibus, interdum & anodinis; iiſque demùm remediis omnibus, quæ in liquamine, ac ſolutione ſanguinis, tum in *Hæmoptyſi*, aliisque inveteratis hæmorrhagiis, utilia deprehenduntur. Conveniunt itaque clyſteres prædictis facultatibus prædìti, præcipuè ſi per iteratas candentis ferri immerſiones, atque extinctiones adſtringenti facultate magis adhuc muniantur. Serum caprillum, aut vaccinum vulnerariis, aliisque convenientibus remediis alteratum. Denique lac ipſum cum probo regimine uſurpatur. Verum tamen eſt, in manifeſta impurorum ſuccorum, per inteſtina redundantium colluvie blanda admitti Cathartica, quæ inſimul adſtringentia ſint, ſimulque inteſtinorum tonum firmantia; ut Myrobalani, rhabarbarum benè toſtum, Rhaponticum &c. Pilulas de cato, poſt univerſaliora remedia, non tantùm ad alvinum fluxum, ſed inſuper ad inteſtinorum & ſanguinis laxiorem ſtringendam compaginem multum ſemper in hoc dyſenteriæ genere ſubvenire comperimus. Cautè, ſobriéque

Curativa methodus ſymptomatica dyſenteria.

in colliquativa, & maligna dyſenteria opiata adhibeto. Interea vegetale bezoarticum pluries in hoc morbo bene, fauſtéque conducens experti ſumus.

Curatoria methodus in mixta, ex critica & ſymptomatica, dyſenteria.

XVIII. Interdum mixta ex ambabus prolatis cauſſis dyſenteria obverſatur: Quæ ideò, ut alterutra præpolleat, atque inſuper juxta ætatis, ſexus, virium, climatis, habitus corporis, atque imprimis tempeſtatis diſcrimina, nunc primam, nunc alteram ex deſcriptis curatoriam methodum, nunc mixtim, nunc interpolatè ſuſcipiendam depoſtulat. Hujusmodi dyſenteriarum indoles quemadmodum arduo illo Celſi monito innititur: *Contraria facere, & interquieſcere* (quod quidem in obſcurioribus morbis prudentiſſimum conſilium eſt) ita clinicum judicio, ſimulque experientiâ refertum exigit.

Omnes in genere veluti per epilogum modi, ab Hippocrate eliciti, quibus delinquentis bilis oppugnationem aggredi medentes queant.

XIX. Bina adhuc, eademq; à Præceptore deſſumpta, monere liceat ad hujus diſputationis de bilari dyſenteria coronidem; quę quidem præterea cuilibet alteri curando bilioſo morbo accomodari poſſunt: Alterum quod in peccante, atque efferatâ bile conducendâ in genere verſatur: Alterum verò, quod in victus regimine pro bilioſis hiſce morbis ſitum eſt. Itaque quò ad primum: Nobiliſſimus Textus ab Hippocrate *lib. de Priſca Medicina* poſterorum memoriæ traditur, quem alibi pariter (quæ ejusdem dignitas eſt) per noſtram hanc hiſtoriam memorabimus " Si amarus humor aliquis, quem „ bilem flavam nuncupare ſolemus, effuſus fuerit, quænam „ anxietates, æſtus, & impotentiæ detinent? Quibus inter- „ dum liberati vel ſpontaneâ purgatione, vel medicamento, „ ſi quid horum tempeſtivè contingat, doloribus planè & ca- „ lore defunguntur. At quandiu iſta ſublata, incocta, & „ minimè contemperata fuerint, nullâ arte neque dolores, „ neque febres finientur. Et quibus quidem acuti, acres, „ & æruginoſi humores inſtant, quinam furores, & viſ- „ cerum ac thoracis lancinationes, animique abjectio indè „ oriuntur? Neque priùs hęc quieſcunt, quàm emaciati, deje-

„ dejecti, & aliis permiſti fuerint. Multis autem, variiſque „ modis concoqui, permutari, tenuari, & in humorum na„ turam craſſeſcere poſſunt „ In hoc quidem textu illi omnes recolliguntur per epilogum modi, quibus Medica Facultas delinquentis bilis oppugnationem moliri queat. Præcipuè verò poſtremis particulis in hoc loco attendendum eſt. Quippe ſi vitiata bilis *ſpontaneâ purgatione*, *vel medicamento dejici* non poſſit, diligenter concoquenda, & contemperanda eſt: Quod quidem opus abſolvitur, ſi quidquid in bile hærens eſt, & craſſeſcens (quę quidem primaria eſt in dyſenterico affectu aliisque morbis bilis culpa) ſolvatur, & in naturalem fluorem redigatur, ſeu *humores emacientur*, atque *tenuentur*: Aut quod tenuitatem nimiam induere valuit, in craſſitudinem revocetur (ut in cholera morbo præſtandum eſt) ſeu *in humorum naturam craſſeſcere poſſit.* Quòd ſi tam facilis inducendæ concoctioni locus non ſit, Tertium ſupereſt Hippocraticum præceptum. *Permutare*, atque *aliis humoribus permiſcere.* Addit enim: *Quieſcunt ſi aliis permixti fuerint*; atque hujus rationem inferiùs proponit: *Quæ in homine inſunt quò pluribus permiſcentur, eò mitiora, & meliora evadunt.. Nihilque in eo exiſtit, quòd propriâ facultate præpolleat.* Ita graviſſimum in aliis locis ejusdem monitum eſt: *Miſce, atque inconſpicuum redde.* Hoc autem miſcendi delinquentem bilem, atque inconſpicuam reddendi præclarum opus in variis febribus, aliiſque ab eadem productis morbis præcipuè Peruviani corticis uſu perſæpe obtinemus; ut in Febrifugi tractatu palàm fiet. Neque ſupervacaneum interdum eſt in biliosa legitima dyſenteria, quæ contumaciam affectat, atque diutiùs protrahitur, hujuſmodi præſidii genus.

XX. Qui verò ad victus rationem in bilioſa hujuſmodi, aliiſque inſuper ab eadem cauſſa affectionibus refertur Hippocratis locus, is quidem à lib. IV. *de Morbis* elicitur: *Quæ eduntur, & bibuntur alia aliorum ſunt medicamenta. Ubi* *Victus ratio ab Hippocrate inſtituta in bilioſa dyſenteria, aliiſq.*

verò

que bilaribus morbis. *verò ex his, quæ in ventriculum illabuntur alia bilis corpori acceſſerit, indè morbus oritur.* Quo quidem præcipua bilariorum morborum remedia in recto victus regimine ſita eſſe Legislator noſter decernit: Præcipitque hoc pacto ne à bilioſo homine, & bilis ametriis obnoxio alimenta ingerantur bilioſa; ſeu quæ prævìæ, vitiatæque bilis acuendæ intemperiei, aut augendæ copiæ, aut utrique præſtando ſe paria per propriam indolem præbeant. Ita in bilioſis morbis cibus in genere quâcunque acrimoniâ, ſalſedine, & aciditate, In calidis verò, omni in primis pingui, aut aromaticâ habitudine careat, omniſque ad frigidum declinet. In vacuatione febris, morboque in chronicum vergente, veſcendum eſt carnibus animalium potiùs ſylveſtrium, quàm domeſticorum, & potiùs volatilium, quàm quadrupedum, ut turturum, perdicum, turdorum, leporum, capreolorum &c. *Carnibus verò voluctium* ait Hippocrates de vict. rat. lib. III., *utatur aſſis, palumbis quidem, & columbæ elixis, perdicum verò, & gallorum aſſatis ſine condimento. Leporinis verò in aqua coctis, & ferinis omnibus.* Utiles ſunt ovorum vitelli, quos facilè in bilem faceſſere vana eſt aliquorum ſententia. Prętant juscula hordeacea, avenacea, & ſimilia, lac amigdalarum dulcium cum aqua carnis elicitum &c. Quod verò in ſpecie ad victitandi rationem attinet in bilioſa dyſenteria, cibi illi ſeligendi ſunt, qui glutine quodam, emplaſticâ inſuper, atque humorum acrimoniam obtundente facultate pollent; quales fiunt ex oryza, amylo, extremitatibus vitulorum, aut vervecum, gelatinis &c. Proficuum inſuper interdum vaccinum lac eſt, ſi febris abſit, & nihil ejus uſum prohibeat. Optimum ſanè ad hujuſmodi dyſenteriam remedium diæta in genere tenuior eſt, non verò *biduana* Avicennæ *Fames*. In fervidiori dyſenteria bilioſa, præcipuè in juvene firmis atq; valentibus viſceribus prædito, à copioſo frigidæ potu (veluti in calidis aliis bilioſis morbis contingit) multum ſolaminis impetratur.

HISTORIA BILIOSÆ DYSENTERIÆ

A Bile viridi è Cyſti manante, unde Ilei, & Coli corruptio.

„ ERat Fœmina 40. annorum, pinguis, & optimi cor-
„ poris habitus; quę 20. Auguſti Dyſenterica obiit
„ Amſtelodami: Hæc ante très ſeptimanas inciderat in flu-
„ xum dyſentericum, qui tum temporis epidemicus erat:
„ quæ rejiciebat in principio morbi erant nigra, ſubſequen-
„ te tempore rubeſcere incipiebant, aliquâ tamen intermi-
„ ſtâ albedine: dolebat ventrem, diverſo tamen modo,
„ nam vel dolor ad umbilicum hærebat, tuncque deprime-
„ batur venter: vel ſi hic attolleretur, cinguli inſtar circa
„ umbilicum movebatur: Sitis ipſam urgebat intolerabilis,
„ quam quocunque volebat potu ſedabat, ſpiritus vini, &
„ aquę vitæ uſu nunquam intermiſſo: Medicamentorum ni-
„ hil ſumere volebat præter decoctum aliquod alterans, &
„ pillulas de Laudano Amſtelodamenſium, ex quorum aſ-
„ ſumptione dolor ſedebatur, & ſomnus, qui aliàs abe-
„ rat, obrepebat. Cùm dejiceret, ſentiebat dolorem circa
„ anum inſignem: Purgata fuit aliquoties tempore morbi,
„ partim pulvere Rhabarbari ſolo, à quo nihil aut parum,
„ ſine levamine movebatur: partim cum rad. Jalappæ mix-
„ to, à quo multum cum euphoria dejiciebat: Clyſter eti-
„ am injectus eſt, à quo peſſimè habuit, neque etiam ferre
„ poterat inunctiones, undè poſtmodum horum uſus inter-
„ miſſus eſt: Tempore morbi ter ſedatus fuit fluxus cum
„ optima ſpe; ſed cùm peſſimo uteretur victus regimine, re-
„ cidivam paſſa tandem fatis conceſſit. Cadaver apertum

Bbbb hęcce

„ hæccè dabat obſervanda, I. omentum juſtę quidem erat magnitudinis, ſed ſphacelatum, colore atro-lividum, 2. Inteſtinum Duodenum, & Jejunum repletiſſima erant bile, undè ſitis intolerabilis cauſa derivari poterat, 3. Ileon, quo ad Cæcum tendit, cubiti unius longitudine corruptum, & ſphacelatum erat. 4. Colon quatuor tranſverſos digitos à Cæco ſanum erat, pòſt ad 8. digitos corruptum, 5. Folliculus fellis maximus erat, & bile repletiſſimus: Bilis, quæ in eo reperiebatur, viridis erat ſicut gramen: Cætera optimè erant conſtituta: In Inteſtino Recto nihil notari poterat, nec in aliis viſceribus: Hepar, Lien, Pancreas ſaniſſima erant. *Alardus Hermannus Cummenus in Miſcellaneis curioſis anni* 1672. *Obſervat.* 116.

DE BILIOSO TENESMO.

Canones Practici.

Deſcriptio Teneſmi billioſi.

I. QUandoquidem dyſenteriam, precipuè *bilarem*, *Teineſmos*, latinè Teneſmus comitari plerumque ſoleat, quædam idcirco de hoc morbo ad calcem dyſenteriæ delibare liceat. Deſcribi igitur poteſt billioſus Teneſmus: Urgens, & ferè aſſiduum excernendi per alvum deſiderium, cum dolore, præcipuè in extremo ano, & pauca interea, neque excitato deſidendi conatui reſpondente excretione, quæ cæterùm mucoſa eſt, ſubcruenta, interdum & purulenta; ortum ducens à reliquiis acrioris per inteſtinum effluxæ bilis, recto inteſtino, ejuſque ſphinctæri præſertim hærentibus, & impactis, proindéque exulcerantibus. Interdum verò exulceratio recto non inſidet, ſed ex eo potiùs calamitoſa hujuſmodi, aſſiduaque ad hunc locum irritatio excitata eſt,

eſt, quòd inteſtina priùs à bilis irruptione laceſſita, quibus gradibus vires reſumpſerint, iiſdem etiam morbificas has omnes quisquilias, per criticum veluti impetum, deturbaverint in rectum; quod quidem hoc pacto indeſinenter proritatum, mucoſam illam materiam, quâ ex ſumma providentia inteſtina duplicantur, elidit.

II. Signa, & curationem hujus morbi profert Hippocrates lib. de *affect.* " cùm crebra, & inanis egerendi voluntas „ prehenderit (tineſmum dicunt) ſanguis, & mucus per alvum ſecedunt, dolorque in inferiore alvo oritur, idque „ præcipuè, ubi ad ſeceſſum devenerit. Huic alvum madefacere, pinguem reddere, ac levigare convenit, quæ intus ſunt ſubducere, & calidâ, excepto capite, lavare. Hic „ autem morbus plures cibos inſumere conſuevit (*quaſi quod ex aſſiduo ad deſidendum ſtimulo veluti levitatem inteſtinorum ſecum ducat*) vacuato enim ventre à ſanguine, & muco „ tranſeunte, dum ad inteſtina illabuntur, tormina fiunt. „ Intus autem exiſtentibus cibis, minorem morſum inteſtino exhibent (*ſeu acribus extimulantibus ſuccis ab alimentitia ſubſtantia implicatis, atque irretitis*,) Ac ex iiſdem quidem, „ ex quibus etiam inteſtinorum difficultas contingit, & imbecillior tamen, & brevis, miniméque lethalis.

Diagnoſis, Prognoſis, & Curatio Tineſmi, ab Hippocratis textu elicita.

III. Galenus 3. de *ſymptomat. cauſis* cap. 2. poſt explicatas dyſenterias, ab hepaticis præcipuè vitiis productas, deſcendit in teneſmi ſymptomata, quorum quidem præcipuum adducit, ſeu urinarum ſuppreſſionem, aut malam vacuationem, quæ quidem alterutra, aut etiam viciſſim utraque, ob recti inteſtini, ejuſque ſphincteris cum veſicæ cervice connexionem, & continuitatem produci in medium facilè poſſunt. En Galeni textus " Eſt autem ex eodem, quo jam dicta dyſenteria genere, & qui tinesmos dicitur, cùm ulcus „ in recto inteſtino eſt factum. Is cætera quidem ſymptomata infert dyſenteriæ ſimilia, nixus tamen multò vehementiores. Urinarum autem tum ſuppreſſio, tum mala

Aliqua proponuntur ſingularia Teneſmi ſymptomata, & quædam utiliora remedia.

„ vacuatio, ventris excrementorum retentioni, & alienæ „ à natura expulſioni, ad proportionem ſe habent. Retinen- „ tur enim, veſicâ vel excernere non valente, vel ejus collo „ occluſo „ Cæterùm biliaris tenesmus diſpares à biliaris dyſenteriæ indicationibus curandi ſcopos plerumque non videtur proferre. Interea ſi valde urgeat tenesmi cruciatus, & veluti intolerandus reddatur, mirè prodeſt potus diſtillati liquoris verbasci, magiſque ſeſſio in ejusdem herbæ decoctione; tum ſi frequenter anus cum eadem abſtergatur: Prętерea ſuffumigatio ex Terebinthina, ardentibus prunis injecta; & ſimilia alia curationi multùm tribuunt: Licèt Fotus, Inſeſſus, Suffumigia, Clyſteres, Suppoſitoria, aliaque topica, qualiacunque fuerint, inutilia eſſe in hoc morbo, à plurimis decantentur, veluti, cùm alienum quid ſint, affectæ parti applicata, contactu moleſto, debilitatem magis adferant, quàm robur, atque hinc, diſcuſſoriam morbi vim ſubminiſtrare non valeant.

HiſtoriaIllioſi Teneſmi Critici.

D. Hyacinthus Bertonus Venetus Vitriarius inter elapſæ hyemis initia Taurini legitimâ Tertianâ correptus ad quartum paroxyſmum ab uſu Peruviani corticis liberabatur. Superiori Maio revertebatur febris, ſed duplex tertiana; hæcque, efflagitante Ægro, per febrifugum iterum comprimebatur. Jamque ferocior poſt 12. aut 15. dies recrudeſcebat, cum vomitibus, & ſedibus bilioſis uberrimis. Morbus longâ alterantium, atque purgantium epicraſi oppugnabatur; ut cedere tandem, non advocato febrifugo, abſumptoque aliquando radicitùs fomite, & penitùs deleri videretur. Sed vetus adhuc birioſum delituit ignitabulum. Vix 15. aut 20. ſuperatis diebus redit ipſa duplex tertiana febris; novęque ſe prębent biliares eruptiones: Novo epicraſis opere plurimæ adhuc viſcidę ſaturatæque biliares copię ſubducebantur; ſed diu

diu vigebat febris, frigidulis quotidie ad veſperas ingreſſibus excepta; manè mitior, & placida. Tandem biliaris teneſmus ſpontè, ſubitéque ſupervenit, ſeu aſſiduus dejiciendi, urgensque ſtimulus cum dolore ad ſolum anum infixo, excretione paucâ, ſed creberrimâ, in qua crocea bilis, atque ab eadem ſolutus inteſtinalis mucus diſcernebantur: iis quidem nihil cruentum intermixtum vidimus: quod tamen teneſmi rationem non immutabat. Ab hoc biliari teneſmo, quatuor, aut quinque dies vigente, morbus integrè judicabatur. Adeò liquet, bilem quò diutiùs comprimitur, eò tandem efferatiorem è latibulis erumpere, atque interdum (ut ſuperiùs indicavimus) totam præcedentium morborum vim critico penè modo in rectum inteſtinum, ad procreandam teneſmi rationem, decumbere.

DE BILIOSA COLICA AFFECTIONE.

Canones Practici.

I. NOn de ſolius inteſtini coli dolore cum excrementorum alvi ſuppreſſione, gravibuſque interdum ſupervenientibus vomitibus, intelligi volumus, quum de biliari colico affectu inpræſentiarum loquuturi ſumus; ſed latiùs de inteſtinorum, aut tenuium, aut craſſorum, aut omnium dolore; cùm in utroque caſu colici morbi, nomen uſurpari ſoleat: Tùm illam duntaxat examinandam colicam paſſionem amplectemur, quæ à bilis vitio procedit, indéque bilioſa dicitur. Alias igitur colicæ affectionis ſpecies, nimirum vel humoroſas alias, ut pituitoſam, mucoſam, aut ſtercorariam; vel flatuoſam, vel convulſivam &c. (quæ quidem idiopathicæ omnes ſunt) vel nephriticam, hernioſam,

Colicæ affectionis nomen ſtrictè ad ſolum colon inteſtinum, latè verò ad inteſtina omnia arrogatur. Variæ affectionis colicæ ſpecies.

hyſtericam, [quæ quidem ſympathicæ] vel ab internis cauſis ingenitam, vel ab aſſumptorum vitiis adventitiam, vel ſtabilem, vel fortuitam &c. in hac diſquiſitione prætermittemus.

Biliosæ Colicæ graphica deſcriptio.

II. Sed Nobiliſſimum Anglorum expertiſſimorum Scriptorum Par nuperis temporibus accuratas adeò de biliosa colica paſſione obſervationes memoriæ mandavit, ut ab altero, ſive â Preclariſſimo *Musgravio* hujus morbi ætiologiam, ab altero verò, ſive à famigeratiſſimo *Sydenhamio*, diagnoſim, & curationem elicere, & in hunc locum inſerere conſultum duxerimus: En itaque, quam Primus diſſert. de *Arthritide Symptomatica cap.* X. apponit, graphicam hujuſce morbi deſcriptionem "Alia igitur Colica à materia peccante biliosa dicitur, & ei, qui proclives ſunt ætate adultâ, maximè verò ſi naturâ viſcerum malâ conſtitutione ſunt præditi, & cœli æſtus, aut iniqua victus ratio præceſſit, torminibus primùm, deinde nauſeâ, ſapore ingrato, amaro, & vomitione poſtmodùm *cholericâ* premuntur. Alvus his diebus aſtricta, at incommodè. Urina ruffa; faciei, ſed oculorum præcipuè, quod album eſſe debuerat, fit luteum. In bilis per os ejectione peculiare aliquid notandum, quod in ſcrupulis poſitum nonnumquam ægrum malè habet. A ſumpto quippe Emetico, niſus, & conatus inter robuſtiſſimos, bilis ſæpè ne hilum ejicitur, quæ tamen prompta aliàs, & abſque ſtimulo liberè ſolet exterminari. Bilis hæc incerta per os emiſſio, ejus in duodenum, vel ſaltem in ventriculum impulſo flumini, ſimiliter incerto videtur reſpondere. Quum inteſtinis inhærendo ea diu laceſſivit, ab alvi duritie ſuppreſſa, & retenta, ſanguinem redux per Lacteas ſubintrat, cumque tam incendit, ut hoc tempore febriculam, eſtu, ſitique immodicâ, urinâ ictericâ ex luteo rubenti, cute aridâ, & densâ, pulſu frequenti, & elato, manifeſtam liceat obſervare. Per ſanguinem materia ad caput uſitatè fertur, & ce-

„ & cerebrum atrociſſimè impetens, aut ægrum apoplexiâ „ perculſum derepentè interimit, aut in nervos ſe inſinuans, „ eos reſolvit „ Hucuſque Muſgravius. Adjicit in *Colicæ disquiſit.* Ettmullerus " Colicam lethalem eſſe ubi abeſt bilis; „ aut ſi bilioſa obſervetur colica, à bile porracea, ſeu æruginoſa originem eandem habere: acorem bilioſum in ſubjecto plus minùs viſcido hærere; indéque elevari flatus, humoroſas colicas inferri „

III. Quod verò præterea in Muſgravii obſervationibus memorato capiti inſertis inſigne memorandumque reperimus, biliaris Colicæ in arthritidem converſio eſt, biliari ipsâ causâ ab inteſtinis in artus translatâ, ut ex adverſo in affini de *Arthritide Anomala* ſive *Interna* tractatu cap. III. eleganter deſcribit idem Author Colicam cum nauſea, & *materiæ plerumque bilioſæ vomitu*, à repulſa, atque intromiſſa arthritide inductam. Hujuſmodi ab inteſtino ad artus, & viciſſim, tranſlationes compertæ jam fuerant Hippocrati; Quorum quidem exemplum innuit in VI. Epidem: *Cui inteſtinum in dextra parte dolebat, is quum articulari morbo laborabat, leviùs ſe habebat; poſtquàm autem hic curatus fuit, magis dolebat.* Nec rarò hujuſmodi phænomena obſervantur in Praxi. Muſgravius igitur cit. Loco deſcriptis bilaris colicæ moribus, eique ſuperveniente febriculâ, hæc adjicit " Aliquoties, certè plus „ ſemel notavi, poſt iſtiuſmodi, quam modò dixi, dierum „ aliquot febriculam, dolere, tumereque, interdum etiam „ ardere partium extremarum articulos; idque ſignorum, ſi„ve complexum ponderibus ſuis, ſive ordinem examinemus, „ more prorſus *Arthritico.* Quâ verò proportione fulget, ef„ferturque hæc Arthritis, ſe ad rectæ Arthritidis normam „ per artus, & articulos extollens, eâdem planè caput de„fenditur: ut ea quàm fauſtè, quantâque ægri cum utili„tate oriatur illis ſolùm innoteſcit, qui ex hac parte Ar„thritidis mala, tametſi gravia, tolerabilia tamen; ex „ illa verò bilis caput invadentis ſævitiam; ab eaque hujus peri-

Facilis biliaris Colicæ in Arthritidem converſio. Quinam faciliùs in hujuſmodi converſionem incidant; atque in hoc caſu quibusnam præſidiis iſti ſint excipiendi.

„ periculum intimè perſpectum habeant ; qui, inquam, hæc
„ cum illis oppoſita conferant, æquáque lance perpendant.
„ Quin etiam de capite conſervato, quæ à nobis traduntur,
„ de inteſtinis item proponi poterunt ; eatenus certè, ut,
„ quemadmodum materiam peccantem Artus ſuſcipiant, ad
„ eundem modum eâ liberentur inteſtina ; & ex eadem
„ translata, & pro ejus menſura levetur *Colica*; quóque plus
„ ægri dolent Articulis, eò minùs Interaneis. *Colicæ bilioſæ*
„ cùm adnaſcitur Arthritis, in eo medicam locari decet
„ operam, eam præferri indicationem, quâ externis quibus-
„ cunque materia foras electetur. Quæ ad hanc rem auxi-
„ lia, noſtris hominibus explorata profuêre, per ea, to-
„ ties hoc Scripto paſſim memorata, non eſt hoc tempore
„ ut percurram. Sed, quæ hujus curationis quædam proprietas
„ eſt, cardiaca interna, ut ut aliis curationibus ad paroxyſ-
„ mum conciliandum idonea, hîc loci vel prorſus omitti,
„ vel cautè admodum uſurpari par eſt; ne, incitatâ febre,
„ & mutatâ ſimul inclinatione materiæ, confertim ea in ce-
„ rebrum impellatur. Quem utique impulſum eò magis per-
„ horreſcas, quòd huic affectui primario (*colicæ nempè bi-*
„ *lioſæ*) jure quodam avito proprius eſſe reperiatur, tum
„ quòd iſtius materiæ in artus expreſſio non ita familiaris
„ ſit, aut morborum ordini tam conveniens, imò potiùs
„ fortuitu facta, & facillimè abſcindenda „ Superiùs autem
docuerat, quinam faciliùs ex colica in arthritidem faceſſant:
ii nempè, quibus *colica diuturna eſt, alvo plerumque durâ creberrimis interdum dejectiunculis ſolutâ, dolore potiùs conſtanti, & obtuſo, quàm acri, & acuto ſignatâ : Iique, quibus inteſtinalis fiſtula muco parum oblita ; vel quibus illius fibræ tenuiores : Quique huic morbo homines à natura proni ſunt ex pravo victu, frigore, vel difficili concoctione.* Addi poſſent, & qui frigidis, imò adhibitâ glacie gelidis nimiùm, potibus abutuntur : Quos quidem, ſaltem ſub noſtro cœlo, non tantùm in bilares colicas, coactâ, impactâque nimiùm bile, ſed

& in

& in choleram morbum, aut, ſi lentior inducatur impreſſio, in contumaciſſimos icteros frequenter delabi, quotidie animadvertimus.

IV. Diagnoſis igitur bilioſæ Colicæ paſſionis comparari poterit ab his omnibus, quæ ſolertiſſimus Musgravius expoſuit, tum ab aliis, quæ expertiſſimus Sydenhamius ſect. IV. cap. VII. *de Colica Bilioſa* ann. 1670: 71: 72: evulgavit; tum etiam ab his, quæ nos pluries in hoc morbo obſervavimus. Hæc itaque tradit cit. loc. Sydenhamius " animadverti morbum huncce eadem planè præceſſiſſe ſymptomata febrilia, quæ *Dyſenteriam* per illa tempora regnantem præcedere ſolebant; atque eundem etiam aliquando [quod ſupra notavi] *dyſenteriam*, quæ poſt diuturnos cruciatus ægro tandem valedixiſſe videretur, fuiſſe inſecutum. Ubi *dyſenteriam* diutinam non excipiebat, plerumque à febre ordiebatur, quæ per horas aliquot tantùm affligens, in hunc morbum ſolebat deſinere. Juvenes ut plurimùm temperamento calido, ac bilioſo præditos, æſtate præſertim adoritur. Inteſtinorum dolor atrociſſimus eſt, & præ cæteris omnibus, quibuscum mortalium calamitoſiſſimi committuntur, maximè intolerabilis. Inteſtina nonnunquam quaſi injectâ faſciâ conſtringit, nunc in punctum contractus quaſi terebello perforat. Subinde remittitur dolor, mox recrudeſcit Paroxyſmus, quem æger preſentiens, vultu miſerabili, atque ejulatu, ceu præſentem exhorret, & averſatur. Sub initio hujus morbi non ita certò ad unum aliquod punctum determinatur dolor atque in ejuſdem progreſſu; neque tam crebra eſt vomituritio, neque alvus ita pertinaciter Catharticorum vim eludit; quò autem magis augetur dolor, eò obſtinatiùs in puncto figitur; vomituritio ſuccedit frequentior, & major alvi adſtrictio; donec tandem ab ineluctabili horum ſymptomatum vi totalis periſtaltici inteſtinorum motus inverſio (niſi maturiùs quis tulerit ſuppetias) atque

Diagnoſis bilioſæ Colicæ.

„ iliaca paſſio procurantur ; in quo morbo cathartica me„ dicamenta omnia in emetica ſtatim tranſeunt : Enemata „ enim injecta unà cum alvi fecibus per omnem inteſtino„ rum ductum ſursùm lata , vomitu ejiciuntur. Quæ hoc „ modo excernitur materia, ſincera ſi fuerit, viridis aliquando, „ aliquando etiam flava , aut inſoliti cujusdam coloris ſpe- ctatur „ Hactenus Sydenhamius, Cujus diagnoſi hæc addimus. In bilioſa Colica habitus excitatur icterius, qui ſanè ſi morbo hujuſmodi non illico ſe comitem addit, huic facilè , præcipuè non benè judicatæ , paulatim ſuccedit , Ardor in toto abdomine ; ingens oris amaror , cum lingua flavis , & viſcidis perpetuò imbuta : Enorme ciborum , carnium præcipuè , & juſculorum faſtidium : Virium enormis *proſtratio*, *mens* interea , ut cum Hippocrate loquar , *audacior* : Bilis, quæ per vomitum excernitur , amariſſima , vitellina plerumque , aut glaſtea , aut fuſca. Dolor bilioſæ colicæ perterebrans , & rodens eſt. Spiratio ſectatur frequentior, atque *acervatim attracta*.

Bilioſa Colica ab hyſterica diſcrimen: & quomodo hyſterica remediis ſit excipienda ; præcipuè icterus eidem frequenter ſuperveniens.

V. Laudatus cl. Sydenham in *Proceſſibus ad morbos ferè omnes curandos* , atque in cit. *bilioſæ colicæ* loco admonet hyſtericam in fœminis Colicam bilioſæ vultum interdum induere , quamquàm ut utriuſque diſſimilis cauſa eſt , ita diſpar curandi methodus. Quamobrem non inutile putabo textum hîc authoris referre , atque indè ſpecialem remediorum adminiſtrationem ; ut nempe tum colicæ hujusmodi Hyſtericæ natura , tum ejusdem à bilioſa colica diſcrimen aperiatur " Fœminarum nonnullas (*ait igitur Sydenham cit. colicæ* „ *loco*) vexat affectus hyſterici ſpecies quædam , *colicam bi-* „ *lioſam* ita ad unguem referens , tàm doloris acerbitate , „ quàm ſitu , tum etiam humoribus coloris flavi , viridiſ„ que vomitu rejectis , ut mihi obiter tractanda veniat , „ ne à quopiam pro jam dicto morbo hæc habeatur. Quæ „ habitu corporis laxo , crudoque ſunt mulieres cum hoc „ malo præ cæteris conflictantur , queque alio aliquo af-

fectu

„ fectu hyſterico jam pridem laboravere ; aut (quod ſæpe-
„ numerò fieri ſolet) quæ à partu difficili ac laborioſo ob
„ natum infantem Grandiuſculum , qui vires , & natu-
„ ram maternas nimis exhauſit , vix evaſêre. Regionem
„ ventriculi , nonnunquam , & paulò inferiorem , dolor
„ haud mitior quàm in paſſione colica , iliacave primùm
„ obſidet , quem vomitiones ſequuntur enormes , nunc vi-
„ ridis materiæ , nunc verò flavæ. His accedit (quod ſę-
„ pè obſervavi) major animi dejectio deſperatioque , quàm
„ in morbo alio quocunque : Poſt diem unum, alterumve
„ faceſſit dolor , qui poſt paucas ſeptimanas revertitur , ni-
„ hilo leniùs ſæviens , quàm antequàm ſolveretur Paroxyſ-
„ mus ; Icterum quandoque ſatis ſpectabilem comitem ſibi
„ adſciſcit intra dies pauculos ſpontè evaneſcentem. Ceſ-
„ ſantibus jam ſymptomatis omnibus , ubi Ægra ſibi ſatis va-
„ lere videatur , leviſſima animi commotio , ſive ab ira ,
„ ſive à dolore ea fuerit excitata (quibus hoc in caſu prom-
„ ptiſſimè afficiuntur Fœminæ) dolorem ferè revocat ; quod
„ etiam , & de ambulatione , & de alio exercitio , quolibet
„ præmaturè nimis ſuſcepto dicendum eſt ; cùm ab hujuſ-
„ modi cauſis eleventur vapores in habitu corporis laxo ,
„ atque imbecilliori. Vapores cum vulgo dico , cùm ſive
„ iſtiuſmodi ſint , ſive convulſiones particularum partium ,
„ utrovis pariter modo ſolventur. Hi vapores , ſive con-
„ vulſiones hę , ubi hanc , illamve corporis regionem in-
„ vaſerint , pariunt ſymptomata , ei , quam invaſêre , parti
„ accomoda ; ac proinde licèt unum , atque eundem ubi-
„ que morbum faciant , pleroſque tamen , quibus miſeri
„ crucientur affabre ſimulant ; quod vel ex hoc liquet affe-
„ ctu , qui cùm partes *colo* adjacentes inſederit , *colicam bi-*
„ *lioſam* ad amuſſim imitatur „ Hęc Sydenhamius , aliaque,
quę omittimus , de hyſterica Colica , *bilioſam* mentiente , In
qua quidem aliter , ac in *bilioſa* Colica , ſi vitioſorum hu-
morum colluvies in ventriculo ſtabuletur , magnâ quantitate

liquoris poſſetici vomitionem ciet; hinc *anodynis uterinis*, & præcipuè *narcoticis* largè, diuque utitur. In ſanguinea conſtitutione cum valentibus viribus, præcipuè in ejus orgasmi diſcrimine ſanguinem primùm è brachio detrahit: cæterùm venæ ſectionem, repetitas purgationes, tum ipſa enemata, quæ utique *in colica biliosâ incipiente apertiſſimè*, ut ait, *indicantur*, vix hîc locum habere oſtendit: aliiſque tandem, & in primis chalybeatis præſidiis, clavum hunc hyſtericum delere ſtudet. Supervenientem huic colicæ ſæpiſſimè icterum vix catharticis aggreditur, *ne à catharſi novi tumultus cieantur, ac proinde ſymptomata omnia poſtliminio occurrant.* Vix rhabarbarum, vel mollius aliud ſolutivum concedit. Quòd ſi hujuſmodi Icterus brevi temporis ſpatio non evaneſcat, ut ferè aſſolet, ſed longas nectat moras, confugit ad apozemata amara, & aperitiva, ex radic. rub. tinctor. & curcumæ, ex foliis Chelidon. maj. cum toto, & ſummitat. Centaur. min. coctis in vino Rhenano, & aqua fontis, ſolutóque in colatura ſyrup. de quinque radicibus &c. diù, manè, & ſerò ſumenda. Tandem ad ferreas aquas.

Bilioſæ Colicæ à nephritica colica, atque à convulſiva diſcrimen; tum ab aliâ quâlibet, ſympathicâ, aut idiopathicâ, legitimâ, aut ſpuriâ.

VI. Diſcriminatur Colicus bilioſus dolor à nephritico Colico; quòd in hoc ultimo, primò vomitus plerumque bilioſus non ſit, ſed ingeſtæ cujuslibet indiſcriminatim ſubſtantiæ, aut in hujus defectu, vix tenuis ſeri per ſolam ſpaſmoticam expreſſionem eliciti. Secundò, in eodem nulla plerumque febris, nulla ſitis, nulla conſtans nauſea, aut ciborum faſtidium; nulla, uno verbo, ſe produnt delinquentis bilis indicia. Ita à paſtu Colicus bilioſus dolor augetur, ob morbidam bilem acriùs à cibariis commotam: minùs verò nephriticus. Tertiò, renalis dolor ad renum alterutrum aut etiam utroſque, determinatus & fixus eſt, ſtabilis, immotus, diſtendens, & veluti diſrumpens, ad teſtem, ut plurimùm, ſecundùm longitudinem ureteris exporrectus: interea magis adhuc quàm in bilari colica periodicus; magis inſuper poſticus cum majori flectendi, atque erigendi corporis

poris impotentia ; interdum cum ſtupore femoris affecti lateris: Virga plus minùs dolorem compatitur, aut ejus apex moleſtè, cum teſte affecti lateris retrahitur, aut prurigine, aut aliis modis afficitur, aut ſaltem à trajiciente urina, per propriam naturam, aut per contenta, acriori, fervidiorive redditâ, mordetur, & laceſſitur. Sed bilioſa Colica vaga eſt, aut in medio abdomine, aut ſupra, aut infra renes aut ad totum abdominis ambitum, cinguli inſtar, exſpatiatur. Quartò, etſi libera alvus evadat, & profluat in nephritide, adhuc tamen deſævit dolor, donec impacta reni, aut vreteri noxia ſubſtantia ad veſicam deturbetur. At in bilioſa colica ut alvus adſtrictior eſt, ita vel leviùs aperta ſublevat. Quintò, urinæ, in nephritici doloris principio ſunt inſigniter tenues, perſpicuę, percrudæ, aqueæ, atque ut dicitur, percolatæ, & parcæ vel etiam nullæ; Longo verò morbi progreſſu interdum craſſiſſimę, valde opacæ, ſummè ſaturatę, ſubjugales, lateritię, lividæ, & non raro nigræ, ſine febre, aut alio univerſali affectu; cùm nempè arenulæ, muci, ſanguis, aliave extranea corpora eiſdem intermixta, rubedinem, aliasve tincturas, variumque conſiſtentię gradum largita, unà à corpore deturbantur; in bilioſa verò Colica quæ inter initia craſſiores urinæ excernuntur, in eodem conſtanter ſtatu perſeverant. Tum præcipuè quòd nephriticum dolorem indicia alia renalis morbi, in urinis, aliiſque circumſtantiis conſpicua ſectantur, quæ quidem in bilioſa colica non occurrunt. Diſtinguitur verò bilioſa inteſtinorum paſſio à ſpaſmotica colica, quòd iſta ſiccus ſit morbus; nullę in hâc bilioſæ vomituritiones, aut dejectiones appareant; intereà crebriores, ſed plerumque inanes vomitus: minor æſtuatio viſcerum, imò, & frequentiùs algores, qui in primis in lumbari regione, meſenterici nervei plexus principio, centroque correſpondente, perſentiuntur; ubi etiam acerbior cruciatus cum tremulo ſpaſmo percipitur. Inſuper in convulſiva colica aſtrictio alvi

pertinacior eſt, quæ etiamſi liberetur, parum exinde commodi aſſequuntur ægri; ſecùs in humoroſa. Pulſus in convulſiva depreſſior, & obſcurior eſt, inæqualis inſuper, interdum & intermittens ſine magno ægri diſcrimine, plerumque haudquaquàm febrilis. Tormina contorquentia ſunt, veluti lacerantia, lacinantia, & abdomen ſubinde contrahentia, nunc in duritiem tendentia, nunc vaga, nunc quodam in loco crebriùs fixa &c. Sed de hujuſmodi colicarum paſſionum differentiis conſuli poterunt Williſius, Sylvius, Aliique, fusè de convulſiva Colica, cæteriſque hujus morbi ſpeciebus ſcribentes. ut ex his pariter per propria ſingulis argumenta, bilioſa affectio ab alia qualibet humorali, pituitosâ, mucosâ, ſtercorariâ, tum flatuosâ, herniosâ &c. diſparari facilè poterit: Dolores abdominis, bilioſam legitimam Colicam indiciis omnibus mentientes, intereà in apertis cadaveribus, vel à jecore in ſcirrhum indurato, vel ab hujus viſceris inflammatione, & gangræna, vel ab ejuſdem lobo, poſteriori ventriculi orificio, diaphragmati, & circumſitis partibus affixo, vel à cavæ ejusdem partis abſceſſu, vel ab eodem adeò magno, ut infra umbilicum deſcenderet, totamque anteriorem hypogaſtrii partem occuparet; vel tandem à meatus cyſtici coalitu, ac bilis in cyſtide cohibitione, aut ab eadem cyſtide lapillis referta, procreati viſi, legi poterunt in Boneti *Sepulchreto*, ſeu *Anatom. Pract.* lib. III. ſect. XIV. A Riolano, Thom. Bartholino, Platero, Blaſio, Joh. Frid. Huldenreichio, aliiſque deſcripti; ubi etiam ſigna plurima, ſpurias hujuſmodi colicas à veris dirimentia, ex iisdem Authoribus exſcribuntur.

Bilaris Colicæ Prognoſis. Perfecta, imperfecta, peſſimaque hujus morbi judicatio exhibetur. Hiſtoria bi-

VII. Ut modò ad biliaris Colicę prognoſim deſcendamus: Hic morbus, qui interdum epidemius extat, perfectè judicatur; ſi citiùs craſſa bilis, eaque flava, non viridis, aut fuſca, per inferiora dejiciatur, parum inclinatis viribus, deleto vomitu, atque imminutis doloribus, qui cęterùm conſtantes non ſint, neque uno loco pertinaciter hęrentes; imper-

imperfectè verò, cùm in dorſi dolores mutatur, vel in icterum, vel in omnium artuum paralyſin, ex obſervatione Car. Drelincurtii, aliorumque; quam quidem paralyſim cæteris ab alia cauſa productis ſanabiliorem eſſe, tradit cum aliis authoribus Ægineta, vel in articulares dolores, juxta Hipp. & Muſgravium. Peſſimè tandem judicatur, ſi in epilepſiam faceſſat, ex quo quidem ſuccreſcente morbo pleroſque periiſſe idem Ægineta teſtatur: Peſſimè inſuper, ſi æger ex Colica in Iliacam paſſionem delabatur; quo quidem caſu æger conclamatus eſt, ut in Praxi non rarò deprehendimus. fit autem iliaca affectio, cùm ex nimia biliari irritatione contorquetur inteſtinum, & ſursùm (ut ait Duretus) revellitur; aut adeò inflammatur, ut ejus intercipiatur trajectio. Pravus eſt colicus hic dolor, ubi crebrior, ac difficilior ſit vomitus, potus retineri nequeat; nihil vel parum infra excernatur, multa febris, cum debili pulſu, modicoque ad extremitates calore. Lethalis verò, ſi dolor acerbiſſimus ſit, uno loco fixus, perpetuus, & conſtans, cum omnimoda alvi ſuppreſſione & retracto podice, enormi vomitu, contumaci vigiliâ, ſuperveniente ſingultu, *delirio*, raucedine, extremorum frigiditate, ſudore frigido, & ſyncope. Colica Bilioſa nonnunquam in inteſtini, aut etiam meſenterii abſceſſum degenerat. Menſe Septembris anni 1720. D. Carbonerius Cherienſis, atrabilaris conſtitutionis, ætat. ſuæ annorum 40. poſt malam victus rationem, immodicum fructuum horariorum eſum, & longum in primis per totam æſtatem abuſum vini, vitium quodpiam in dolio paſſi, in graviſſimam bilioſam colicam incidebat. Febris aderat principio validior, cum bilioſo vomitu, linguâ ſiccâ, nauſeâ continuâ, forti inteſtini cruciatu, ventris tenſione, & tumore, aſtrictâque alvo. Clyſterum, fotuum, emollientium, demulcentium, oleoſorum, & paregoricorum remediorum auxilio remitti omnia videbantur. Jamque alvus bilioſa plurima viſcida, ſaturataque excernebat, præcipuè

lioſæ Colicæ, in inteſtinorum, & meſenterii abſceſſus degenerata.

cipuè à forti inter tertiam, & quartam diem uſurpato cathartico, inſtitutâque deinceps epicraſis ſpecie. Poſt ſeptimam diem febris cum dolore exacerbeſcebat, & reddebatur homotona. Venter tumidior, atque inſtar tympani extenſus; Miſſione ſanguinis ſubortę inteſtinorum inflammationis ſuſpicioni proſpiciebamus. Cætera, ut ſuprà adhibita præſidia ſunt, propriis intermixtis Cardiacis. Reſpondebat votis alvina dejectio, cruda tamen, & ſincera febris continuò vehemens cum ſubdelirio nocturno, vigiliæ perpetuæ. Superatâ undecimâ morbi die, & inſuper decimâ quartâ, improvisò remitti febris cum liberiori mente viſa eſt (peracta enim fuerat ſuppuratio) atque vix ſenſu doloris ſuperſtite abdomen molleſcere. Sed pulſus inſigniter intermittens reddebatur, cum cordis ingenti palpitatione; conflictiſque adeò viribus, ut neque in lectulo moveri æger poſſet. Accedebant ad decimam nonam ſingultus frequentes, Leipothymiæ, animique defectus ſine cauſa manifeſta cum reſpiratione graviſſima; & protinus livida, & hippocratica evadebat facies: hinc Asphyxia: ad vigeſimam venter in ſubitum denuò tumorem attollebatur cum vagis doloribus. Horâ ſeptimâ pomeridianâ æger quandam in ventre veluti exploſionem percepit, (ruptionem abſceſſus) cum elatiori ventris tumefactione, quæ tamen brevì ad priſtinam reducebatur menſuram; atque ab inteſtini exolutione quædam adhuc bilioſa dejecit, [ut etiam ante necem in ſphacelatis iliacis contingit] hinc brevis rigor: horâ nonâ, amiſſâ viſus functione, firmâ intereà voce, conſtantique animo miſellus fruens, forti ſyncope correptus, frigidoque ſudore perfuſus ſubitò animam efflabat. In aperto Cadavere præter Ileon inteſtinum ad intervalla ſphacelo percitum, plurimi diverſæ magnitudinis ſe ſe folliculati abſceſſus obtulêre, quorum aliqui craſſa, & tenuia indiſcriminatim inteſtina tenuerant, alii verò crepidinem Meſerei & Meſocoli, eadem inteſtina nectentem. Ex his poſtremis grandior quidam abruptus fuerat,

fuerat, ex eoque uberrimum fetidiſſimumque; & alicubi vireſcens pus, per ventris indè caveam, extimaſque inteſtinorum facies effuſum eruperat; unde ſyncopes, ſubitaque mors repetenda. mecum affuit hujus morbi curationi, denatique hominis ſpectaculo, ornatiſſimus D. Pacchiaudus R. C. Regis Matris Medicus à Cubiculo, & Conſiliarius. Similem propè caſum, pręter quàm alii authores, refert Guilhelmus Fabricius Hildanus Cent. II. Obſerv. LXXIV. In quo ruptio abſceſſus ad inteſtini cavitatem præſtita eſt, ut indè non parum puris per alvum efflueret. Quod ſupereſt ad prognoſim: Bilioſa Colica, ut & alia humoralis quęlibet, mitior convulſivâ videtur, præcipuè quæ diuturnior evadit; eâque faciliùs curatur, ſi tempeſtivè diſcerni à Clinico, propriiſque debellari pręſidiis queat.

De bilioſæ Colicæ, præcipuè diuturnioris, non rarâ per lividas, aut nigras urinas judicatione. Atque obiter de nigris opacis urinis, ſecundùm varias morborum, atque ægrotantium habitudines, nunc bonis, nunc malis, nunc lethalibus. Tum de viridibus urinis obſervatio ſuperadditur.

VIII. Inviſum medentibus non eſt, bilioſas Colicas pręcipuè diutinas & chronicas, tum quę in primis in hypochondriacis, & confirmatis ictericis eveniunt, per lividas, aut nigras per criticam rationem copiosè ejectas urinas fęliciter judicari: Quod quidem in aliquibus authoribus legere, & ſemel, iterumque animadvertere in Praxi mihi datum eſt. An fortè æruginoſa, an atra ipſa Bilis in cenſum cauſæ morbi, fauſtè à natura ſubactæ, ſubductæque advocanda erit? Revera frequentem atrę ipſius bilis in morbidis hominibus pręſentiam negare nemo poterit, qui conſcius ſit, in pluribus morbis nigram bilem in ipſo fellis folliculo frequenter reperiri. Id certum non minùs eſt, in longis, diuque contumacibus viſcerum hypochondriorum, & præcipuè lienis obſtructionibus, nigras has, ſumméque craſſas urinas optimis ęgrotantium auſpiciis quandoque profluere; Quas quidem ſi Veteres noſtri à Liene per tranſmiſſionem in renalia parenchymata, proximè ejectas prędicabant, à Modernis medentibus propriæ ſuccenturiatorum renum excretioni imputari, non ſemel in medicis ad ęgrorum lectulos conſultationibus audivi. Utri rem acu tetigerint,

rint, lectores viderint. Contumax interdum icterus per craſſas, turbidas, nigraſque urinas criticè ſolvitur. Vide Schenckium lib. III. *Obſervat.* alioſque. Pleuritidem in ſeptuagenaria muliere cum graviſſimis ſymptomatibus per lotium, colore ſcriptorium atramentum referens, judicatam habet Petrus Rommelius in Obſervat. XIII. *Ephemerid. nat. carioſ.* ann. IV. Interdum nigra ex ingeſtis urina redditur. Ita idem Rommelius Obſervatione aliâ, quæ memoratam ſequitur, refert, urinam in vetula à coctis, & comeſtis damaſcenis prunis ſemper nigerrimam fuiſſe redditam. Hoëferus in *Hercul. Medic.* pag. 142. memorat icterum nigrum, in quo ex uſu lapidis Bezoar urina nigra, & inſtar atramenti fuit excreta. Adeò incertum eſt nigrarum urinarum judicium. Addite urinas nigras, quæ à menſtruorum, aut puerperiorum ſuppreſſione redduntur in acutis morbis, nihil mali portendere, ſed contrà prodeſſe ſic ipſas reddi. Criticam hanc nos plumbeæ, turbidiſſimæque urinæ excretionem vidimus olim in Domina *Iſaia* à *Camerano*, atque non ita pridem in viro quodam Judęo. Sed poſt nigras hujuſmodi, craſſas, ſummèque opacas, deturbatas urinas, niſi iſtæ in ſtatu, ſeu maturitate morborum, atque inter criticos naturæ conatus contingant, pauciſſimos ægrotantium evadere, omnibus etiam compertum eſt; cùm in cruditate morborum ſymptomatica hujuſmodi urina, aut ſummam bilis, aliorumque humorum aduſtionem, & veluti cinefactionem, aut partium, undè profluunt exolutionem, atque ad necroſim proclivem habitudinem oſtendat (ut de livido pariter, nigroque ſputo in maligna, & lethali pleuritide cum principio necroſis pulmonum aliàs indiximus) Ita perſpeximus ante hos decem annos in robuſto homine acutâ, & malignâ febre correpto, in ædibus amiciſſimi D. *Rex* decumbente; ita in Dom. de *Courtenais*, aliiſque: Ita in lib. I. *Epidem.* Hipp Philiſcus acutâ febre correptus, tertiâ, quartâ, &quintâ minxit nigrum, ſextâ obiit. Interea in ardentis, &acutæ

febris

febris principio cum orgaſmo ſanguinis, ejuſque ad pectus, ſimulque & ad caput raptu, urinas ſummè nigras, opacisſimas, craſſiſſimaſque vidi ante hos 18. annos in Domino *Baſſecourt* Belga, Pannorum opificiis præfecto, robuſtiſſimo viro, qui poſt decimam quartam diem à morbo evaſit; mecumque vidit, in curationis operam ſimul accitus, Illuſtriſſimus, omnique medicarum facultatum genere ſpectatiſſimus, optiméque de me meritus D. Joſeph Antonius Manzini S. R. M. Medicus, & Conſiliarius. Carolus Piſo de *Morbis à ſeroſa proluvie*, *Obſerv. CI.* affert, vidiſſe in binis mulieribus, nephritide valde ſemper exercitis, ichorum bilioſorum, & praſſinorum magnam vim urinæ adeò immixtam, ut ipſa craſſeſceret; & inſigni virore tota ſplendeſceret. Neque interea hanc modicam de atris, imò & viridibus urinis digreſſionem curioſis Lectoribus ingratam fore arbitrabor.

IX. Atque ut poſtremò cum eodem Sydenhamio, ſive potiùs cum ipſa genuina naturæ lege, bilioſam colicam expediamus: Duplex in hoc morbo curativa princeps indicatio eliciendam, ſe præbet, quarum altera humorem in ſanguiferis vaſis *antecedentem*, tum in viſceribus concluſum, ſeu *continentem* dictum, evacuandum proſpicit; altera ad compeſcendum anodynorum uſu humorum eò tendentium impetum, atque immaniſſimum demulcendum dolorem apprimè dirigitur. Quò ad primam, vel potiùs indiſcriminatim ad utramque: Si febris, & ardor urgeant, & vaſorum adſit plenitudo, neque prava bilis minitetur orgaſmum, ſanguis mittendus erit, è brachio. Poſt horas aliquot à phlebotomia, anodynum exhibet Sydenhamius: poſtero die catharticum quodpiam lenitivum præſcribit, atque juxta delinquentis humoris copiam, aut indolem, bis aut ter diebus alternis repetit. Interdum turgentibus ventriculi quiſquiliis, priùs eundem eluit. In doloris vehementia, & vomituritione validius catharticum adhibet; quod quidem per obſiſtentes inteſti-

Colica bilioſa curativa methodus, duplici quidem indicatione ſuffulta, quomodo ſit explenda juxta Sydenhamii Methodum.

norum canales efficaciter ſibi viam aperiat : cæteriſque ejuſcemodi purgantibus antefert potionem ex infuſione tamarind. folior. ſennę, & rhei, cum diſſolutione mannæ, & ſyrupi roſacei ſol. Vomitu potionis trajectui obluctante pilulas in ſubſidium advocat, inter quas *cochias*. In nimia ventriculi debilitate, aut contumaci vomituritione, ut nec pilulę, aut ejuſcemodi ſolida cathartica retineri queant, remedium primò anodynum imperat, deinde catharticum, eô tamen utrique interjecto temporis ſpatio, quô vis narcotici facultatem purgantis non infirmet; dum aſſumpto alvus ægriùs reſpondere, atque non niſi operoſiùs ſolvi videatur. " Cùm autem hîc (ait idem Sydenhamius) uti in aliis pleriſque morbis, in quibus indicantur *Narcotica*, *Catharticum* ſemper dolorem intendat (ſaltem finitâ jam operatione, quâ quidem vigente mitiùs nonnunquam cum ęgro agitur) ideo ſolenne mihi eſt *Anodynum* ingerere, ubi primùm expiravit cathartici operatio. Quale quidem manè etiam, & ſerò quotidie hauriendum impero, ſpatio ſcilicet omni inter purgationes medio, quò certiùs dolorem conſopiam, donec catharſis debitè fuerit celebrata," Quamobrem ſatis elicito catharticorum opere, ad alteram confugere indicationem contendit nobiliſſimus Scriptor, compeſcendo extimulantium ſuccorum turbas, inductoſque dolores, atque ſolidorum tenſiones, anodyno bis, interdum ſæpiùs per diem, largiúſque uſurpato; eo nihilominùs interjecto temporis ſpatio, ut compertum ſit, quid à præcedenti doſi ſperari debeat, antequàm altera ſuperaddatur. Familiare illius (ut nobis omnibus) paregoricum eſt Laudanum liquidum, in aqua cardiaca, aut etiam anodyna ſolutum. Carminantia cæterùm repudiat enemata; cùm non quidem, (ipſo judice) humores acres exterminent, ſed irritent, & concitato eorum tumultu diuturniorem reddant morbum. Sępe intereà, pręcipuè in imbecillioribus, aut ob prægreſſam ægritudinem aliquam copioſiores anteà evacuationes

cuationes paſſis, aliiſque in caſibus, omiſſâ phlebotomiâ, & catharſi, à paregoricis curationem orditur, iiſque tantummodò proſequitur. Neque tunc ſolùm, ſed quum in biliosa Colica *hectica* viget (ut ait Hippocrates) *inteſtinorum intemperies*, ſeu nimiùm adauctum in iiſdem fibrarum momentum, aut ſolemnis ariditas inducta eſt, à quocunque cathartico remedio abſolutè cavendum præcipit. Deleto morbo, hunc, qui revera non difficilè recidivum ſe præbet, pręcavere jubet Vir cl. anodyno bis quotidie ad dies aliquot propinato.

X. Portò, cùm idem ſemper non ſit bilis Colicam inducentis ingenium, expedit interdum, ſecundùm circumſtantias varias, declinatâ nonnihil Sydenhamianâ Methodo, ad alias remediorum adminiſtrationes tranſire. Ita ſi morbifica bilis non tantùm acriorem, ſed tenacem nimiùm, aridamque manifeſtiùs ſe prodat, pręſtabit ſummoperè, eandem priùs copioſis tepidulis diluentibus, atque emollientibus hauſtibus ex longo, inſulſoque jure carnis, aut pulli, cum emollientibus herbis alterato, oleoſis inſuper, præcipuè hydroleo, aut pinguibus juſculis, tum cremore lactis, aut etiam recenti butyro, copioſè, horiſque præſertim matutinis ingeſto, cicurare, & abluere. Fotibus preterea, cùm externis, toti ventri impoſitis, tùm internis, ſeu emollientibus, atque lotoriis, iiſque ſæpiùs repetitis anodynis Clyſteribus: Quibus poſtea, ſi ſatis infractam fuiſſe bilis acrimoniam dignoſcatur, carminantes, & diſcutientes, quinimo fortiſſimis purgantibus, atque emeticis aculeati, ſubiogari opportunè poterunt. In forti, ſimulque pertinaciori dolore valde proderit ſemicupium aquæ dulcis cum ebull. malvæ, altheæ, betæ, mercurialis &c. ſem. lin. fænugr &c. In pertinaciſſimo, olei balneum, aut frequenter repetita omenti vervecum recens mactatorum, oleo imbibiti, applicatio conducit. Quòd ſi tenuior Bilis, & impensè ferociens, orgasmum affectans his omnibus compesci non queat, atque

Alia bilioſam Colicam, ſecundùm varias ejus circumſtantias, & morbidæ bilis indolem, curandi Methodus.

ulteriores ex propria accenſione calamitates minitetur, hinc ſitis ingens deſæviat cum aſſidua oris amaritie, urinæ ardor accedat, febris, icterus calidus, aliaque incandeſcentis bilis ſymptomata; tranſeundum eſt non ſolùm ad liquidorum propriè refrigerantium, ſed frigidæ ipſius aquę potum, docente Galeno lib. XII. Meth. cap. VII. atque docente Ægineta lib. III. cap. XLIII; Cujus quidem excellentem uſum, ſubitumque illatum auxilium, ut non ſemel Amatus Luſitanus, Foreſtus, Septalius, Th. Bartholinus, aliique Practici, ita & nos ſæpenumerò ſuſpeximus. Neque minùs idcirco in hoc caſu ſubveniunt frigida Epithemata ex ſuccis endiv. ſemperviv. cichor. ſonch. lactuc. acet. roſac. &c. frigidæque aquæ fotus, aut lintea eâdem imbuta, ventrique ſępiùs admota. Temperatâ his præſidiis furente bile, ejuſque retuſis aculeis, denſatâ tenuitate, atque exaltatione depreſsâ, nonnulli eliminare illam contendunt per largas, & repetitas doſes amygdalini olei addito Hispanico vino, Cretenſi, aut generoſo alio malvatico, interdum etiam & ſpermate Ceti. Plerique verò remediis propriè catharticis hoc opus moliuntur: Quod utique obtinetur commodiùs per longas, atque iteratò exhibitas mediocrium purgantium, ut ſyrup. roſat. aut ſolut. de cich. S. mann. aut meri rhabarbari, ſolutiones, tincturas, & expreſſiones, quàm per fortiorum modicam doſim, ſiccamque, aut ſolidiorem adminiſtrationem. Ita raro utimur pilulis, extractis panchimagogis, aut extracto rhabarbari, agarici &c. rariùs adhuc mercurio dulci cum diagridio: Quę tamen remedia à Plurimis ſummoperè in hoc morbo commendantur. Balnea, vel in ipſa hujus colicæ declinatione valere interdum poterunt. Paregorica ex ſeminibus frigidis, & papav. alb. ex viola, ſempervivo, nymphæâ, portulacâ, lactucâ, pomis redolentibus, lacte amygdalino, mucilaginibus ſeminum variis, gelatinis, teſtaceis, aliisque ſimilibus parata, tum ipſa opiata, ſæviente impenſiùs dolore, remediis aliis intermiſcenda ſunt. Ad efferatiorem calidiorem-

lidioremque in Colico morbo infringendam bilem, deprimendam, denſandam multum tribuendum eſt acidis variis, fortioribus, aut mitioribus, mineralibus, aut vegetabilibus, ut ſpiritibus ſulphuris, aut vitrioli, ſuccis granatorum, berberis, limonum, acetoſæ; aceto, omphacio &c. Tandem miteſcente morbo ea omnia in uſum vocanda, quæ excretoriis reſerandis viis, atque bilis proventui minuendo apta nata ſunt. Minerales aquæ acidulæ, aut vitriolatæ ad ſolvendas morboſæ bilis reliquias, atque per urinam pellendas multùm quandoque poſſunt. Specificorum quorundam, & veluti ſecretorum ad arcendum hunc morbum, quæ plurimi decantant authores, nondum nobis perſpecta facultas eſt. Arcet revera bona methodus, quâ nec nimis bilem acuamus, calefaciendo; neque nimiùm figamus, refrigerando.

Victus ratio in colica bilioſa paſſione.

,, X I. Dietam (adjicit laudatus Sydenhamius) ſi junior ,, fuerit æger, & calidioris temperamenti, refrigerantem at- ,, que incraſſantem impero, putà hordei cremorem, Pana- ,, tellam &c. & tertio quoque die, ſi latret adhuc ſtoma- ,, chus, pullum teneriorem, merulamve, piſcem coctum. ,, Potum non alium concedo, quàm cereviſiam tenuem, ,, mitemque, vel lac cum aqua coctum... Porrò ut in morbi ,, curatione, ita etiam eodem jam depulſo, dieta tenuis ad- ,, huc aliquandiù eſt obſervanda. Cùm enim morbus hic ,, recidivam præ aliis omnibus affectet, atque inſuper ſedem ,, ſibi delegerit, præcipua coctionis inſtrumenta (viſcera in- ,, telligo jam ab eodem infirmata) vel leviſſimus hujus ge- ,, neris error malum non leve confeſtim apportabit. Quo- ,, circa tam in hoc, quàm in cæteris omnibus viſcerum af- ,, fectibus, eâ tantùm ſumendi quantitate cibi ſunt, quæ ad ,, vitam ſuſtinendam posſit ſufficere... Neque ulteriùs quid- ,, quam indulgeo, niſi equitatio ad redintegrandam ſanita- ,, tem neceſſaria, pleniorem victum, & generoſiorem poſtu-

let

„ let liquorem, quibus rependantur ſpirituum exercitio exhauriendorum damna. „

Cur exercitium, equo, vel vehente curru acriter habitum, ſanandæ pertinaci bilioſæ Colicæ admodùm poſſit. Atque de aliis in hoc morbo præſidiis, prophylacticis, aut curativis.

XII. Reverà in bilioſa valdè pertinaci aut ſæpiùs recrudeſcente Colica, quemadmodùm à vino abſtinentia cæteris omnibus præſidiis pręſtat, ut plures ſolo hoc regimine ab hoc morbo evaſerint, relapſi autem ſint, cùm vini uſum reſumſerint; ita debitis vacuationibus, aliiſque incaſſùm tentatis, non invenitur, (authore eodem Sydenhamio, noſtrâque confirmante experientiâ) præſtantius reſtituendis ægris remedium, quàm exercitium, equo, vel ſaltem curru vehente factum, atque per dies aliquot, primùm ad ſtadia, deinde ad multa milliaria matutinis horis, & apricante cœlo inſtitutum. Hoc enim motu materia morbum committens in corporis habitum deducitur: Sanguis perpetuâ agitatione comminutus proprias depurationes meliùs aggreditur: roborantur ſuccuſſionibus inteſtina, aliaque abdominis ſecretoria viſcera, eorumque contractili adaucto momento impactæ morbi reliquiæ vividiùs preſſæ facilè, citóque excutiuntur. Ita hocce exercitii genus aliis etiam Chronicis morbis, ut obſtructioni, ictero frigido, menſium difficultati, febri albæ, cachexię, aſthmati, phthiſi ſpuriæ &c. egregiè prodeſſe, frequenter animadvertimus. Omittam plurima confirmatæ bilioſæ Colicę, facilèque idcirco revertentis prophylactica, aut chronicæ, & contumacioris curativa, ab authoribus non paucis decantata præſidia; ut caſtoreum, cinnab. nativ. aut antimon. Tincturam aut magiſterium ſuccini, oleum, aut ſyrup. cinnamom., aquam carminativam, ſpirit. nitri, aut tartar. aut cephalicum dictum, ex tinctura radic. valerian. & pœon., viſc. quercin. & ſuccin. cum vini ſpiritu elicitâ, aut extractum laudani aromaticum &c. Id quidem revocare adhuc in cenſum par eſt, quòd quemadmodùm bilioſa Colica hominem, probâ conſtitutione, firmiſque, ſed fervidis viſceribus præditum invadens, largô frigidę potu tutò, citóque debellatur; ita qualem, quantamque eidem opem conferre

valeat

valeat opportunè quandoque propinatum emeticum, ex illis, quæ mox adjicientur, Præclariſſimi D. Nottæ obſervationibus etiam, atque etiam liquebit.

HISTORIÆ ALIQUOT BILIOSÆ COLICÆ.

Hiſtoria ex Hippocrate Bilioſæ Colicæ, in Lethalem Iliacam paſſionem deſinentis; ſive Ægrotus IX. Lib. III. *Epidemic.*

„ MUlier, quæ decumbebat juxta Tiſamenum. Huic „ Volvuloſa moleſtè concitabantur, vomitibus mul„ tis torquebatur, potum continere non poterat, dolores „ aderant circa hypochondria, & in inferioribus ſecundùm ven„ triculum partibus dolores & tormina continuò affligebant, „ non erat ſiticuloſa; incaleſcebat. Extrema frigida uſque ad „ finem; faſtidioſa ſine ſomno. urinæ tenues, paucæ; non erat „ remedio locus. mortua eſt„ In hac Hiſtoria licèt Hippocrates non expoſuerit vomitus ſpeciem; cùm tamen ſpeciales indicet *circa hypochondria* dolores, conjiciendum eſt cum Interprete *Valleſio* hunc morbum ex vitio hepatis fuiſſe genitum, ideoque bilioſum Colicum, indéque volvuloſum. Reverà in ſincero volvulo nihil omninò ſolent Ægri per ſedem emittere: ſed hæc Mulier dejectiones habebat.

De fauſta Emeticorum, validiorumque Purgantium in bilioſa Colica adminiſtratione, Obſervationes, Authori à cl. amiciſſimoque D. Notta, apud Alexandrinos celebratiſſimo Profeſſore, communicatæ.

„ Nobilis vir, mediæ ætatis, laudabilis temperamenti,

 morbis

„ morbis haudquaquam obnoxius, poſt improbam totâ æſta-
„ te victus rationem, inceſſabili nauſeâ corripiebatur, cum
„ perpetua anxietate, variiſque excitatis excretionibus, præ-
„ cipuè per vomitum flavis, & amaris, cum ſummâ totius
„ abdominis, dextræque in primis regionis tenſione, feriſ-
„ que torminibus, conſtanti præterea intercedente teneſmo,
„ cum minima liquidarum fecum dejectione; urinæ aderat
„ difficultas. Pulſus parvus, durus, frequens, & identidem
„ intermittens: Acerrimo, ſiccisſimoque calore percita to-
„ ta corporis ſuperficies obverſabatur: Artus verò ex adver-
„ ſo frigebant. Acerbiſſimus capitis dolor, præcipuè ad an-
„ teriora: ut omnia, ad ſummam, imminentis necis indi-
„ cia ſe proderent. Ad tertiam morbi diem, quibuslibet
„ methodicis præſidiis, fotibus, plurium generum clyſteri-
„ bus, narcoticis, ſolutivis remediis, pilulis, pulveribus,
„ bolis incaſſum adhibitis, cochleare unum vini Emetici,
„ quaſi fortuitò propinatum, inſtar miraculi, placidiſſimum
„ illico ſomnum ad horam, & ulteriùs, conciliat: hinc bi-
„ nis, aut tribus accitis vomitionibus, Ægrum perfectè re-
„ ſtituit. Et tertius hic fuerat, novem, aut decem anno-
„ rum intervallo, in eundem morbum relapſus. Neque ul-
„ teriora ſuſpiciendæ reverſionis argumenta ad hanc uſque
„ diem paſſus ille eſt. Similem eventum in alio ſuſpexeram.
„ Idem in *Moſchenæ* Domûs Patritio, poſt innumera alia
„ uſurpata remedia, ab Emetici opere contingebat. Idem,
„ veluti per incantamentum, in Noſocomio, & Plebis ædi-
„ bus, tum in utriusque ſexus Cœnobiis millies mihi com-
„ pertum fuit. Cùm aliquando Capucinorum Fratrum *Vi-*
„ *carius* quidam omnem inutiliter medicinæ operam in pro-
„ priæ affectionis auxilium profudiſſet, demùm in ſola in-
„ fuſione *Algarot*, per vinum habitâ (quod licèt communi
„ emetico vino vehementius ſit, tutò tamen ſuas exerit vi-
„ res) ſanationem repererit, anſam dedit, ut modò Cœno-
„ bitæ omnes, præcipuè ſi biliosâ Colicâ, contumacibus

„ capi-

„ capitis doloribus, aut diuturnis aliis affectibus ſe conflictatos perſentiant, ad hocce remedii genus, veluti ad ſacram Anchoram, fauſtisſimis plerumque eventibus confugiant; quorum utique plurimi, febre non tentati, hocce remedio vel pluries utentes, ſacris adhuc conſuetis miniſteriis dant operam: ut in celebri concionatore P. *Odeſcalcho*, aliiſque obſervabam. Qui è converſo hujusmodi præſidii operam in his morbis declinabant, aut, translato in caput improbo humore delirantes, vel apoplectici, occidebant; ut nuper in quodam militum duce perſpicere licuit; aut in graviores morbos cum magis, minúsve præcipiti nece labebantur; ut ille Patritius, 22. annos natus, ex memorati generis Colica in ferum Hydropem ruens, ex quo, ut prædixeram, ante quadrageſimam à decubitu diem ſuffocatus cedebat fatis. Virgo, nunc probè valens, & vegeta, ante hos duodecim annos ſimili pasſione Colicâ affligebatur, quâ tamen ab inviſentibus medicis neglectâ, in tetrum, gravisſimumque hydropem degenerabat, ut, veluti ad cœlum iter jam propè factura, ſacris omnibus viaticis muniretur, meo intereà conſilio inſtitutâ paracenteſi, viginti plus libræ aquarum effluxêre: Doſim deinceps balſami noſtri *de Tartaro* propinabam: uberrimæ ventris, ac veſicæ dejectiones ſubſequutæ ſunt; ut vix alterâ oblatâ remedii doſi fœmina convaleſceret. Olitor juvenis, & fortis poſt aliquot dierum tertianam, ſimili Colicâ prehendebatur. Neglecto, quod fuerat præſcriptum, Emetico, in univerſalem hydropem, ut prænunciaveram, migravit, cum peſſima jecoris habitudine. Cùm me hominis miſereſceret, adhuc opem attuli. Sex *Tartari emetici* grana fauſtisſimo ſucceſſu exhibebam; poſtridie ſcrup. 2. rad. jalappæ cum ſale tartari: utrumque pharmacum ter alternis vicibus uſurpabat. firmè adeò revaluit, abſumptæque aquarum, noxiorumque humorum ſcaturigines ſunt, ut omni aliorum auxiliorum ablegato uſu, nunc poſt quatuor annos

„ à morbo robuſtiſſimus vivat. Plura adhuc ejuſmodi ſuppe-
„ terent exempla, quibus non niſi per validiora purgantia
„ primigeniâ in his Colicis dejectâ biliosâ morbi causâ, ſuc-
„ creſcentes, breviores, aut diuturniores morbos dele-
„ tos iri palàm fieret; ni hęc modò ſuffectura eſſe cen-
„ ſerem &c.

HISTORIA ARTHRITIDIS,

Quæ Bilioſæ Colicæ ſecundaria extitit, productæ ſcilicet à Colica Bile, ad artus translatâ; ex laudato Muſgravio.

„ FEmina quædam, conſtitutione poſt hominum memo-
„ riam maximè *Cholericâ*, nunquam fecunda præſtita, ſub
„ ætatis flexum Colicâ pertinaci biliosâ cum ingrato ſapore,
„ inappetentiâ, vomitu bilis frequenti, dejectionibus raris,
„ & parum coloratis, urinâ ruffâ, ore luteo, & lentâ quâ-
„ dam febriculâ premebatur. Horum autem malorum proca-
„ tarcticam habuit errorem in victu aſſiduum, utpotè craſ-
„ ſorum, & *dyſpeptorum*, ut dicitur, ſeu coctioni difficilium
„ eſtrix. ubi alvum inanientibus (præſentiſſimo illi remedio)
„ plus ſemel levaretur colica, ex bilis incremento, conſtan-
„ tiâque, & acrimoniâ, menſes poſt aliquot, iterùm, &
„ ſæpiùs recidiva eſt. Fugiente ſæculo ſuperiori, cùm affe-
„ ctui gravi tollendo tempus aliquod apud nos impenderet,
„ pręter *colicam* memoratam, pedum item orta eſt debilitas,
„ quæ primo aſpectu paralyſin, hujusmodi *colicæ* facilè ſuc-
„ cedentem, prædicere videretur. Quò per anum Bilis exu-
„ laret, neque ſe in nervos inſinuare permitteretur, cathar-
„ ticum adhibui. Iterum inſecutus eſt utriuſque (ſed potiſ-
„ ſimè dextri) pedis tumor, malleolum, & pedis conve-
„ xum, Hallucem autem pręcipuè diſtendens; quem comi-
tabatur

„ tabatur hujus majoris articuli teneritudo mirifica, dolor
„ pungens, rubor, ardor reverà *arthriticus.* Peræquâ verò
„ proportione increſcit *Arthritis*, quâ minuitur *Colica.* Cùm
„ de ſuis exinde interponerem, matre admodùm *cholericâ*, &
„ demùm *Arthriticâ* fuiſſe prognatam, veterique *Arthritico*
„ diutiùs junctam accepi; ſic, ut vitium partim hæreditarium,
„ partim contagioſum eſſe ſuſpicari liceat. Rectè ſe habent
„ muliebria, & copioſa ſunt. Ad medicinam morbi genio
„ accomodandam in eo fui, ut materiam, quo poſſim artifi-
„ cio, extrà dimoveam, ideoque internis eam protrudenti-
„ bus, externis eam invitantibus, diverſis ſcilicet diverſo mo-
„ do idem operantibus, inſiſto, ut & toti malleolo, & dex-
„ tri pedis ſummitati, *Epiſpaſticum* imponi, ſiniſtrum pedem
„ laneis involvi, calidéque veſtiri: & paulò poſteà ſoccos ex
„ cerato illo viridi, quô fiunt Petaſothecæ, perpetuò geſta-
„ ri jubeo. Undè exſudavit humor, nec inutiliter: Quan-
„ diu enim perduravit iſte fluxus, receſſit uſque Colica &
„ viſa eſt declinare. Erat autem iſta, per articulos, criſis imperfec-
„ ta: Quod reliquum erat materiæ, finitâ re *Arthriticâ*, &
„ ejus ſpe fallente omni, avitos intra limites ſe recepit, mo-
„ reque proprio agens, Caput eſt adortum: Ideoque de hujus
„ Ægrotæ malo non eſt quod ampliùs addam: unum iſtud
„ volui; *ex Colica bilioſa poſſe Arthritidem* exoriri. „

HISTORIA ALIA

Bilioſæ Colicæ annuatim revertentis, & demùm in Arthritidem converſæ; ex Greulichio *diſſert. de Bile.*

„ VOcabar ad uxorem viri cujuſdam litterati, quæ jam
„ tunc per quatuor ſeptimanas pro Hyſterica tractata
„ fuit, omnibus remediorum formulis in auxilium vocatis.
Ego,

„ Ego, hiſtoriâ morbi perceptâ, Colicam à bile eſſe, ita „ teſtantibus ſignis pathognomonicis, pronuntiavi. Quapropter eductâ, quâ datâ portâ, bile flavâ, reſtituitur Ægra. „ hinc elapſo anno, eodem, ut priùs, menſe revertitur Colica, quæ annuâ periodo novies reverſa, ſemper exoneratâ bile, ſuperata fuit. Interdum adeò ferociebat bilis, „ ut ante evacuationem, alterantibus demulceri debuerit. „ Anno decimo ſilebat Colica; ſed poſt aliquod temporis *Arthritica* in infimum pedem, ejuſque calcem præcipuè, „ contendebat defluxio. Arguere licuit, eam à bile fuiſſe „ inductam alterationem, ut à cauſa *Colicæ* tranſierit illa in „ cauſam *Arthritidis*. „

HISTORIA

Bilioſæ Colicæ Periodicæ, in Artuum Paralyſin interdum converſæ: ex dictatis cl. *Caroli Drelincurtii.*

„ NIhil certè verius Fernelii doctrinâ de febribus intermittentibus, quæ degenerant in Colicam, ad febris „ typum periodicè recurrentem. Imo ſtupore quodam me „ percutit immanis ille cruciatus, ſponte converſus in omnium „ artuum paralyſin indolentem, & hanc aliquoties aquarum Borbonenſium potu, & embroche miratus ſum vegetè ſanatam; verùm unus ex iis febrientibus Colicæ tormento exenteratus eſt, & morte mihi ſubductus præviâ paralyſi nullâ; & tunc certè laudatiſſimus mihi fuit Citeſius *de Colica Puerorum*. Ejus quippe ductu inteſtina reperi hîc, & illîc per areas quaſdam bile ſuffuſa, & per „ modum tincturæ ſparſim vel flaventia, vel viridantia, „ vel atrata; prout ſcilicet Bilis multiplicis aculei ſe ſe tunicis

„ nicis intimiùs infixerant. Bilem enim inteſtinis impactam „ ſedulus obſervavi, hîc vitellinam, hîc verò porraceam, „ hîc demùm atram; & ab ipſa ſpiculis hamata dolores il- „ li ſuſcitabantur rabidi, ne quidem vel Homerico *Nepen-* „ *the*, vel ipſius Phœbi paregoricis ullis placabiles.„

HISTORIA ALIA,

Bilioſæ Colicæ, in Paralyſin degenerantis: ex *Volchero Coitero Lib. Obſervat. Anatom. & Chirurg.*

„ VIdi juvenem mulierem, quæ primò ex hepatis, & „ veſicæ bilis obſtructione in Tertianam notham, dein- „ de in Colicam paſſionem incidit; paulò pòſt Paralytica „ reddita, integrum annum vixit: Quæ tamen uſu therma- „ rum aliquâ ex parte ſublevata, ad extremum delirio, ac „ epilepſiâ correpta, occubuit. Paralyſis à principio occu- „ pavit brachiorum ſuperiores partes, ſenſim ad extremita- „ tes manuum, ultimò ad crura deſcendit. Ægra atrophiâ „ contabeſcebat: De ventriculi ardore, ſiti, appetitus eden- „ di proſtratione, alvi difficultate, & dolore ſiniſtri ilii ten- „ ſivo, gravique (ſentire enim ſe ſe inquiebat in illo loco „ pondus aliquod grave, tanquam plumbi maſſam) conque- „ rebatur. Hanc mulierem aperui, & reperi jecur pro „ corporis ratione nimis magnum, obſtructioneque mini- „ mè vacans; veſicam bilis bile craſſâ, ac nigrâ turgi- „ dam: Ventriculum humore plenum viridi, atque ex- „ tenſum.

DE COLICA PICTONUM,

Appendicula.

QUæ igitur in his binis ultimò poſitis Hiſtoriis Paralytica affectio , Colicæ bilioſæ ſuccedens , deſcribitur , genuinam illam colicæ ſpeciem adducit in medium , à Riolano *Pictonum* , *Pictonicam* , aut *Pictavienſem* dictam , quòd fortè in Pictavia familiarior hæc fuerit affectio. *Eſt enim* , ait in Proceſſibus integr. in Morb. ómn. Cur. Sydenhamius, *ſpecies quædam Colicæ* , *quæ degenerare ſolet in* Paralyſin , *& motus omnimodam manuum* , *ac pedum depravationem* : *Apud inſulas Caribum notiſſima* , *utpote quæ magnam vim hominum infeſtat.* Riverius *Prax. med. Lib.* I. *Cap. de Paralyſi* affert *Pictonum Colicam ab humore Bilioſo produci apud omnes in confeſſo eſſe* ; Idcircò lib. X. ejuſdem *Praxeos* cap. I. eandem ſat graphicè deſcribit " Eſt alia Colicæ ſpecies , *ait* , quæ in Paralyſin degenerat , Veteribus parum nota, quæ fit ab humore bilioſo, non in Colon inteſtinum , quemadmodùm prædicta , ſed in abdominis membranas repentè effuſo , qui eò transfertur à cyſtide fellea , vel meſenterio in criſi diuturna febrium , aut à vehementi iracundiâ , aliâque causâ externâ, quando propter obſtructiones ad vias communes effundi non poteſt , ſed motu præpoſtero ad prædictas abdominis membranas repentè excutitur. Hinc dolor exoritur crudeliſſimus , colicum imitatus , qui tamen neque clyſteribus, neque fomentis , neque aliis remediis cedit , ad plures menſes perſeverans. Hinc corpus contabeſcit , febris interdum , alicujus ex intermittentibus typum referens , moleſtat ; eſtque interdum , idque ſæpiùs , continua , ac lenta ; ac tandem doloribus remittentibus *paralyſis* ſuccedit, humore illo per abdominis membranas in ſpinam dorſi ſenſim

„ ſim irrepente. Illa tamen Paralyſis partes ſuperiores magis occupat. Crura verò & tibiæ plerumque dolent, in „ paucis reſolvuntur omnino, bile ſcilicet ob levitatem ſuperiora petente. Imò verò interdum in ipſum cerebrum „ irrumpit, & convulſiones epilepticas producit, undè mors „ utplurimùm ſolet ſuccedere „ Hactenus Riverius: Cui idcircò ſuffragans Lucas Tozzius *Pract. Part.* II. *de Colic. affect.* Colicos hujuſmodi dolores, quos cum Fernelio Nothos, cum Riolano Pictonicos nominat, peritonęum potiùs, omentum, cæteraſque membranas, quæ abdominis, ventrisque partibus obtenduntur, obſidere, atque excruciare declarat. Cæterùm huic Colicę affinis eſſe illa videtur, quam per univerſam Italiam fuiſſe aliquando vagatam P. Ægineta meminit; tum illa, quam ex validiorum, neque bene defæcatorum vinorum abuſu endemicam in Moravia, Auſtria, Franconia, ſe addere, Sennertus memorat. Ad inſtituendam colicæ Pictonum curationem paucis ſe expedit laudatus Sydenhamius cit. ſuperiùs Loco: *Hunc dolorem*, addit, *atrociſſimum ſanat Balſamum Peruvianum frequenter, ac in magna doſi exhibitum, nempe ſi ejus guttæ XX. XXX. vel XL. Sacchar. albiſſ. cochl.* I. *inſtillentur, & bis vel ter in die dentur.* Succreſcentem verò Paralyſin huic remedio non cedere ingenuè fatetur. Tozzius in hac Colica *diuretica, & ſudorifera, optima eſſe*, in genere aſſeverat; neque ulteriora excutit. Riverius *cit. loc.* remediis locupletiorem ſe porrigit. Alvo variis clyſteribus, præcipuè ex lacte paratis, cum additione caſſiæ ol. violac. & lilior. ſolutâ, primiſque viis cathartico apertis, demitti ægrum jubet in tepidum balneum, ex decocto emollientium paratum bis, ter, quater, quinquies quâque die, ut acrimonia humoris temperetur, ac pori membranarum aperiantur: Hinc catharticum repetit, hinc balneum; atque ita alternè ſe gerit, donec expurgatis humoribus, ſedatoque dolore, æger in tuto ſit. In uſu clyſterum toto decurſu morbi perſeverat: unctiones ex oleoſis, & butyraceis abdomini imponit. Ab ipſo

morbi principio phlebotomiam purgationi præmittit; & iterat, ſi ſanguis inflammatus ſit, aut dolor rheumatismi particeps eſſe videatur. In fine morbi ad ſeri lactis, & acidularum uſum confugit. In ejuſdem pertinacia, aliiſque omnibus doloris vehementiâ obluctante, potionem ex ſyrupo fimi equini, aliove ſimili remedio cum aqua papaveris rhead; & ſpir. vin. confectam propinat (cui tamen ſelectiora opiata ſubrogari commodiùs poſſunt) affectu demum in paralyſin vergente, præter galbanetum Paracelſi, ſpinam dorſi, parteſque paralyticas lenit reſolventibus balſamis, oleiſque nervos roborantibus cum lana ſuccida &c. Idemque Author lib. I. ſuæ Praxeos cap. V. meminit Pauli, qui lib. III. cap. XXVIII. & XLIII. proponit Paralyſin ex bilioſa colica, cui refrigerantia maximè conferunt: Additque exemplum, à lib. X. *Obſervat.* Foreſti deſumptum, cujuſdam adoleſcentis, cum partium extenuatione, & atrophia: Qui cùm calefacientium, & exſiccantium medicamentorum uſu ab aliis Medicis præſcriptorum, in pejus continuò rueret; tandem ſolis humectantibus aſſumptis, & admotis, ab eo reſtitutus eſt. In Riverio verò reformato commendantur ad hujus morbi curationem, præter attenuantia, reſolventia & ſudorifica, ſpirituoſa pariter, & volatilia, valida præterea purgantia, atque in primis generoſa vomitoria in potionibus, & clyſteribus, minùs verò narcotica, niſi vergat in convulſionem affectio: Tum miſſiones ſanguinis præſertim imperantur. Neque (cùm utique brevitati ſtudeam) cæterorum ſuper hac curatione Scriptorum ſententiam inducam; cùm revera in practicos memoratos ſcopos collineare hi omnes videantur. Id certum eſt, Pictavienſem hanc colicam dictam morbum eſſe graviſſimum, pertinacem, diuturnum, atque curatu difficillimum, præcipuè ſi nervoſum genus, ejuſque inprimis caudices, & meditullia cerebri in affectionis partem abrepta jam fuerint. Conf. Franc. Citeſius Pictavienſis in Diatriba de *novo, & populari apud Pictones, Dolore colico bilioſo.*

DE

DE CHOLERA MORBO.

Canones Practici.

Cholericæ Paſſio, humidaque præcipuè, bilioſis morbis arroganda eſt. Quid ſit hæc in genere.

I. QUamquàm Trallianus, aliique rerum medicarum Scriptores, Cholericæ paſſionis nomen ab affecto inteſtino, & fortè potiſſimùm à *Colo* deducere annitantur; nos inter genuinos à bile morbos cum Hippocrate, Galeno, Celſo, Cælio Aureliano, & Cnidiis Magiſtris hujuſmodi affectum annumerabimus; qui nempe, præcipuè ſi humidus ſit, non ſine enormi bilis vitio contingit. Cholera morbus in genere eſt ſubita cibarii totius tubi contentio, atque indignatio, cum dolore acerrimo, inflatione ac diſtentione, & violentis eruptionibus cum maxima difficultate, & anguſtia, ventriculi morſu, virium proſtrationibus, depreſſo, parvo, celeri quandoque intermittenti pulſu, interdum convulſionibus. gravioraque preterea ducunt ſymptomata deteriores Choleræ (veluti epidemicæ ſunt, quæ obſervantibus Williſio, Sydenhamio, Riverio, aliiſque, ſemper plus minùs extant malignæ, hinc theriacalibus, ſudoriferis, & malignitati reſiſtentibus remediis expugnandæ) ut ingentem præcordiorum anxietatem, extremorum refrigerationes, crebras lipothymias, inextinguibilem ſitim, intolerabilia cumprimis inteſtini tormina, & convulſivos ad ventriculum ſingultus, aliaſque feras, vehementeſque utriuſque partis paſſiones. In hoc ſiquidem affectu æquè ſtomachus, atque inteſtina laceſſiri, ac perturbari videntur; ut ſurſum deorſumque, ſive per os, & podicem, eruptiones fiant. Hinc Celſus Lib. IV. Cap. XI. tradidit: *Cholera inter inteſtina, ſtomachumque verſatur, ita ut cujus potiſſimum partis ſit, non facilè dici queat.*

Duplex Cholera in genere, humida, & ſicca. Vtriuſque Definitio, & ſymptomata: Vnde Diagnoſis.

II. Cholera, docente Hippocrate, duplex eſt, altera humida, alteraque ſicca. Primam, ſeu humidam ſæpiùs in popularibus morbis Senex deſcripſit: ut in Ægrotante LXXVIII. lib. V. ſect. VII. *Eutychides ex Cholera morbo in cruribus nervorum diſtentionem ſenſit cum inferna alvi dejectione. Bilem abundè ſaturatam, multam, & vehementer rubram ad tres dies, noctesque vomitione rejecit cum corporis imbecillitate, & incontinenti jactatione. Nihil verò continere poterat, neque cibi, neque potionis quicquam &c.* Inſuper in illo *Athenis degente*; in *Biante*, in *Chartade*, in Lariſſæ *Oneſidemi* famula &c. alteram, ſeu ſiccam explicat lib. de victus rat. in morb. acut. versùs finem: *In Cholera ſicca venter inflatur, & ſtrepitus inſunt, & laterum, ac lumborum dolor, nihilque infra dejicit alvus, ſed adſtringitur.* Deſignat itaque Galenus I. Progn. 1. 25. Choleram primi generis, ſive humidam, quę quidem vehemens eſt efferi, indomitique bilioſi humoris, aliorumque ſupra, infraque excretio cum gravi cibarii tubi cruciatu: *Cholera eſt acutus affectus cum vomitibus bilioſis multis, alvique dejectionibus, ſuris quoque ſe contrahentibus, ac frigeſcentibus extremitatibus. Fiunt in his ægris & pulſus minores obſcurioreſque*, quin etiam ore ventriculi humoris acrimoniâ demorſo, nervis conſentione laborantibus, aut reſiccatis, velut etiam redditâ æruginoſâ bile Choleticis adeſſe convulſiones ſcribit idem Galenus comment. ad Aphor. 1. lib. V. ſigna alia adjicit Celſus cit. lib. IV. cap. XI. quibus quidem hujus morbi gravitatem indicat. *Præter ea verò, quæ ſupra comprehenſa ſunt, ſæpè etiam crura, manuſque contrahuntur; urget ſitis, anima deficit. Quibus concurrentibus, non mirum eſt, ſi ſubitò quis moritur. Neque tamen ulli morbo minori momento ſuccurritur.* Reverà nauſeæ, cardialgiæ cum clamoſa ſiti, atque animi deliquia plerumque comitantur hunc morbum, cum ęſtu, & jactatione perpetua: Pulſus parvus eſt, celer, frequens, inæqualis, qui, ſi extrema perfrigerentur, veluti formicans evadit. Ita Galenus, ut lib. *de art. curat. ad Glauc.* Cholerâ

morbo

morbo affectos ſæpe animo deficere prædicat; ita de *præſag. ex pulſ.* lib. II. cap. IX. ſcribit, vermicularem pulſum huic morbo ſuccedere ſolere. febris interdum abeſt: ſæpiùs excitatur; aliquando acuta; imò & non rarò maligna. ſudor interdum diaphoreticus ut dicitur (præcipuè ſi algeant exteriora) cum crurum, atque brachiorum contractura: Quæ quidem poſtrema ſi contingant, æger ſub 24. horarum ſpatio utplurimùm jugulatur. Alterius generis Cholera, ſeu ſicca, in qua ſcilicet acrium duntaxat flatuum non humorum, aut fecum, dolorifica, & laborioſa ſurſum, deorſumque eruptio eſt, cum febris plerumque vacuatione, ſed atrociori ventris dolore, tenſione, & duritie, quę quidem magis ad latera, atque ad coli ſpeciatim regionem percipiuntur, ex allata Hippocratis definitione ſuam ſatis ſuperque diagnoſim aperit.

III. Utraque Cholera in ſuas rurſus ſpecies dividitur. Atque quò ad humidam choleram, hæc duplex à Practicis recognoſcitur: Altera enim quę legitima dicitur; altera verò, quæ ſpuria. Prima, quæ à genuino bilioſo humore, per ſævas graveſque externas, aut internas cauſas adeò depravato, ut furibundus ſupra, infraque erumpens, non minùs labem arguat viſceris undè manat, quàm partibus ipſis, quà fertur, calamitoſus ſit. Hanc graphicè depingit Hippocrates in V. Epidem. *Athenis virum cholera corripuit, vomebatque, & deorſum dejiciebat & dolebat, & neque vomitus, neque dejectio ſiſti poterat; & oculi caliginoſi, & cavi erant. & convulſiones detinebant, ab alvo, & inteſtino profectæ, & ſingultus; dejectio autem multò major erat, quàm vomitus... frigidus factus eſt, & lavatus eſt multâ valde calidâ à pudendis infernè, donec ſuperiores partes incaleſcerent.* Altera, quæ quidem memoratâ remiſſior eſt, ortum habet ab eſculentis, aut in ventriculo ob cauſas internas, externaſve per accidens vitiatis; aut ex ſe vitioſis, qualia ſunt pinguia, oleoſa, mellita; tum coctu difficilia, ut ſuillę carnes, aliæque: aut nitroſa, aliter-

Vtriuſque Choleræ ſpecies variæ. Cholera humida alia vera eſt, alia ſpuria: Vera, ſeu legitima rurſus quadruplex; nempe flava ſimpliciter, porracea, æruginoſa, & nigra. Ita Cholera ſicca alia gravior eſt, alia levior.

aliterve ſalina, ut ervum, porrum, braſſica, bellaria, dulciaria &c. aut corruptioni obnoxia, ut fungi, vel nimiùm humidi fructus, fugaces, præcoces, horarii; Pepo, ficus, perſica, cucumer; Lac: Demùm exurentia, aut enormiter fermentantia; ut ova barbi, aromata, muſtum, vinum meracum, generoſum, aut non ritè defæcatum, aut Ponticum &c. Quæ quidem omnia, corruptâ naturali digeſtione, in bilioſum nidorem degenerare poſſunt &c. Hęc omnia, & alia inſuper recolligit Hippocrates textu illo epidem. lib. VII. ſect. VII. „ Cholera morbus contrahitur ex carnis eſu, maximè verò ſuillæ crudioris, & ex cicere, & ebrietate vini odorati veteris, & inſolatione, & uſu ſepiæ, locuſtarum, & gammarorum, olerum, maximè porri, & cæparum, verùm etiam lactucarum coctarum, & braſſicæ, & lapati crudioris, & à placentis, & mellitis libis, & à fructibus horariis, & cucumere, pepone, & potione paratâ ex vini, & lactis mixtione, & orobis, & polenta recenti. Æſtate pręcipuè Cholera morbus, & febres intermittentes graſſantur, & hæ quibus horrores ſuperveniunt, ſed cavere oportet. Tales autem morbos pręcipuè quinta, ſeptima, & nona judicant; meliùs eſt verò ad decimam quartam uſque obſervare. „ Hæc itaque ſpuriam Choleram reſpiciunt, cui ortum præbent in genere *alimentorum humidorum cruditas, & acrimoniam quandam habentium corruptio*, ut ſcribit Galenus *comm. in lib. de rat. vict. in morb. acut.* Confirmatque Aretæus: Nam legitima Cholera non tam diu protrahitur. Hæc autem rurſus eſt multiplex ſecundùm varios bilioſæ depravationis gradus. Nos commodè eandem dividimus in Choleram ſimpliciter flavam, in porraceam, in æruginoſam, & tandem nigram. Flava, ut cęteris frequentior eſt, ita mitior; quæ quidem ad auctæ cum vomitu bilioſæ diarrhoeæ malitiam non videtur tranſcendere. Deterior autem fit, imò utplurimùm lethalis, ſi cum ſanguinis ejectione copuletur. Ita *Chartades* in VII. *Epidem.*

cùm

cùm bilis vomitui, & per alvum dejectioni recentis ſanguinis excretio ſupervenerit, eâdem die mortuus eſt. Porraceæ, æruginoſæ, aut nigræ Choleræ omnium deterrimę ſunt, atque ut plurimùm, lethales, & ab externis, iiſque ingeſtis vel inflictis, aut etiam (ut appoſitè ſatis loquebantur antiqui) intus genitis venenis, bilem à naturali ſtatu enormiter removentibus, originem ducentes: Quarum quidem ſingularum exempla inferiùs attexemus. Denique Cholera ſicca duplicem non minùs in claſſem diſcriminatur: alia enim levior eſt, flatuum (ut ait Menjotius diſſert. *de Cholera*) è materia miti, incocta, ac pituitoſa, à languido calore ſuſcitatorum ſoboles; alia acerbior, cujus flatus non modò, ut illi, tenſivum ſuâ copiâ cient dolorem, ſed acredine inſuper partes ſenſibiles mordicant; fiuntque vel ab alimentis, vel à flammea ventriculi diſpoſitione vel ab ejus, atque adjacentium viſcerum cruditatibus.

Cauſſæ utriuſque Cholerici morbi leviter, & quantum ad praxim ſuppetat, attinguntur.

IV. Revera quemadmodùm alimenta plurima in flatus ſuopte ingenio abeuntia, ut ova frixa, cæpæ &c. ſiccæ Cholerę foventem, conjunctamque cauſam procreare poſſunt; Ita calidæ viſcerum intemperies, & phlogoſes cibos vel ipſos laudabiles, aut etiam hærentes veteres, vel recentes, cruditates expandere in mordaces, & nidoroſas particulas, interno indè aëri innatantes, ſive in morbidiores flatus permutare valent, atque *ut igne lebetibus ſubdito*, inquit Hippocrates lib. de flatibus, *copioſus vapor ab aqua ebulliente evellitur, ſic corpore concalefacto ſpiritus inſtar turbinis convolutus, & vi quadam ſurſum latus per os erumpit.* Tum fervidi quoque humores acrium flatuum materiam ſuggerunt: Ipſam enim bilem in flatuoſam attolli habitudinem monſtrant bilioſæ dejectiones, quibus flos ſpumeus innatat. Et ſicuti ſi calci vivæ aqua, aut cretæ, variiſve teſtaceis acetum, aut ſali tartari ſpiritus vitrioli affundatur, ab hoſtili contrariorum congreſſu, vel, ut aliis placet, à ſubito motu ſimilium ad ſe invicem, fortis ebullitio excitatur, rareſcunt efferveſcentes ſubſtantiæ,

ſtantiæ, atque in vapores tam citò dilatantur, ut ſæpe continentia vaſa diſrumpi contingat ; Ita ſi ſimiles internis activioribus ſuccis effervefcentiæ, totaque ſubtilioribus eorum particulis, ulteriùs rarefactis, ad agminatim evolandum, ſubitéque diſplodendum, indatur conditio, cauſas mente aſſequemur ſicciorum illorum flatuum, qui in ſicca Cholera, præcipuè fortiori, à liquidis acriter excandeſcentibus, veluti per torrefactionem erumpunt. De bilis vitio in Cholera humida legitima, ſeu propriè bilioſa, jam plura ſuperiùs protulimus in II. Partis Cap. VI. §. III, præcipuè autem eam eſſe biliaris tincturæ efficaciam, ut pauca vitiati, efferique hujus humoris quantitas, plurimos alios diſſimiles ſuccos, in ſecretionis, atque expreſſionis partem adactos, proprio colore inquinare valeat, hique poſtmodum ſub eadem bilis Perſona excreti, veluti homogenum enormis copiæ bilioſum corpus aſtantium oculis obverſentur ; tum hujus morbi primigeniam cauſam bilem ipſam accenſendam eſſe, ex ſtatu bilis in felleo folliculo denatorum ab hoc morbo, manifeſtè compertum eſſe ; & quidem quò ad primum : neminem latet ab humoribus fœdis, in aliqua determinata ſede latentibus, probos ſuccos, quibus illi commiſcentur, vel ex univerſo corpore advocatos facilè contaminari. Ita venena aſſumpta, mochlica cathartica, aut deteriora alimenta non modò ventriculum, atque inteſtina laceſſendo, ac recrementorum colluviem violenter alliciendo, ſed alibiles quoque ſuccos potiſſimùm corrumpendo, eóſque cum incitata pariter bile confundendo, Choleram frequenter inferunt, ut breviſſimo temporis intervallo multæ, meracæque bilis libræ ſurſum, deorſumque ingenti cum impetu erumpere videantur : undè etiam ratio videtur petenda procacis Choleræ recurſus ; nempe à malè avulſa, è viſceribus primigeniæ Cacochimiæ ſegete, oblitoque veluti fermento, puriores poſtmodum humores labefactante, cujus quidem actio ad uſque totam ſanguineam maſſam diffunditur;

funditur ; quam quidem utplurimùm eliquat, atque in cholericam ejuſcemodi colluviem pervertit. Ita animadvertit Galenus lib. VII. *meth. med.* Cap. XI. hunc morbum non ſolùm quibuſdam accidere certis intervallis, omnemque corporis redundantiam educere, ſed unà cum vitioſis humoribus magnam quoque bonorum partem evacuare. Quò ad alterum verò: non ſolùm in hoc morbo interemptis fellea cyſtis easdem prę ſe fert contentæ bilis habitudines, reſpectu ad colorem, conſiſtentiam, aliaque omnia, quæ in eadem, ſupra, infraque priùs erupta, viſa ſunt ; ſed inſuper in iis, qui cholerâ paſſione, præcipuè legitimâ, extincti ſunt, fellea veſicula multâ bilis copiâ præternaturaliter ſatura deprehenſa eſt. Ita in cholericâ affectione intra quatuor dies (ideoque legitimâ) denatis turgentem valdè hujuſmodi folliculum, ac dilatatum bilarium porum vidiſſe refert Riolanus *Anthropogr. lib. II. cap. XX.* Ita etiam Diemerbroeckius *Anat.* lib. 1. cap. V., & in Sepulchreto Theophilus Bonetus, aliique: Aut ex adverſo in horumce hominum ab hoc affectu extinctorum cadaveribus mala ſe protulit bilariorum ductuum conformatio ; qui nempe, vel nimis prope ventriculum ſe exonerarent, ad eundem facilè pro hujus morbi geneſi exundandum, ut ex obſervatione Anat. VI. Barthol. Cabrolii ; vel adeò extarent anguſti, ut bilis ad regurgitandum, ut dicitur, denſoque aliquando agmine in inteſtinalem tubum irrumpendum adigeretur ; ut ex Th. Bartholino *cent.* II. *Hiſtor.* VIII. Pręceps cæterùm, & ferè ſubita choleræ invaſio, tum perniciſſimus in hac, ſimulque furibundus bilis per inteſtina, & ventriculum trajectus evincunt ſatis, humorem hunc ad hujuſmodi inducendam affectionem inſigniter ſolvi, ſimulque ingentem acredinem inducere. Ita aſſert Sylvius lib. I. cap. VII. §. XXXXVI. fluidam, vel fluxilem ultra naturalem ſtatum, aut etiam turgentem bilem autorem eſſe cholerę, & diarrhoeæ, qualem etiam per purgantia fortiora gigni, & expelli conſtat; at-

que alibi *volatiſatam*, & tanquam *ſpiritualiſatam*. Hoc pacto cholerico huic humori dyſenterica deeſt conditio; videlicet tanta tenacitas, per quam hærens inteſtinorum faciebus, eaſdem exulceret. licèt quæcunque ſit ejuſdem tenuitas, adhuc tamen inteſtini cellulis, muciſque irretiri poteſt, ut ejuſdem proritandis ſuperficiebus, atque hinc uberibus ſuccorum promovendis expreſſionibus non imparem fore, in II. Parte dixerimus. Quâ verò ratione Bilis hæc, aut in ſanguine, aut in hepatis promptuario, aut etiam in inteſtino, ex depravatorum alimentorum permiſtione, aut veneni ingeſti aut intus geniti malitia, morſu, ſtimuliſque ſæviſſima evadat, ex aliis hujus Hiſtoriæ locis elucidari poteſt. Vult. Galenus lib. *de opt. ſect. cap.* XXIII. Choleram, & arquatum ab eadem cauſa procedere; at verò aſtrictum hunc eſſe morbum, illum verò fluxilem; hinc ſimilem ferè curationem poſtulare.

Prognoſis humidæ, & ſiccæ Choleræ.

V. *Bilis ſi ſuâ ſponte aut infra, aut ſupra proruperit, difficiliùs ſedatur.* Hippocrates *de locis in* homine. Hic textus ingens Cholericæ paſſionis diſcrimen patefacit. Revera Choleram in genere peracutum, & celerrimum morbum eſſe, eumque periculoſæ plenum aleæ, Hippocratis, Galeni, omniumque medentium ſententia eſt: in ſpecie verò *legitimam, acutiſſimam pariter, & periculoſiſſimam eſſe, plerumque primo quaternario finire, rariſſimè ſuperare ſeptimanam, ac fortaſſe nunquam.* ex iiſdem oraculis, & praxi, Valleſius in *comment.* affirmat. Plurima ſunt deterioris choleræ indicia, quæ ab epidemiis Hippocratis elici abundè poſſunt. Virium magnus, præcepsque lapſus, ut arbitrarii motus impotentia ſequatur: Vocis inſuper defectus: Caligo, atque excavatio oculorum: extremorum frigus: convulſiones, ſingultus cum aſſidua anxietate, nec non urinæ ſuppreſſione: acuta febris. Quòd ſi ſanguinis pariter ejectio ſuperveniat, aut ephidroſis cum ſyncope, aut animi frequenti deliquio; aut ardens febris, aut vigiliæ cum ſpirandi anguſtia, & fre-

frequentiā, mentis alienatione, & delirio, linguâ aſperâ, ſiccâ, aut nigrâ; vehementiori jactatione: Præcipuè verò ſi ſtrepitus deſcendentis potus circa pectus, & ventriculum obaudiatur; vermicularis pulſus ſe præbeat, aut intermittens, aut ſolummodò inæqualis: ſi cum interceptione pulſus frigidum ſudaverit; tum quæ evacuantur, pejora fiant: Conclamatus ſanè æger eſt, ruitque ad citiſſimam necem. Ita *Chartades*, in quo plurimorum hujuſmodi ſymptomatum congreſſus extitit, prçcipuè verò *ſtrepitus deſcendentis potus circa pectus & ventriculum* (quod quidem ſymptoma Hippocrates *peſſimi* nomine ab aliis diſtinguit) ſub uno die mortuus eſt. Cholerica paſſio à flava ſimpliciter bile ortum ducens, minùs in genere periculoſa eſt porraceâ: Hâc verò deterior eſt æruginoſa: Livida tandem & nigra omnium peſſimæ, atque ut plurimùm lethales. Peſſima inſuper, quæ in maligna febre, & peſtilenti contingit; quæ à veneno profecta eſt; illaque ulteriùs, quæ loturę carnis ſimile quidpiam excernit. Cholera humida non niſi in Lypiria biliari critica, & ſalutaris dignoſcitur, quam quidem exolvit, ut inferiùs videre erit, cùm hujuſmodi febrem excutiemus; atque ad ſolum hunc caſum quadrat Aphor. II. ſect. I.: *in perturbationibus ventris, & vomitibus, quæ ſponte ſiunt, ſi qualia oportet purgentur, confert*: de cætero, ſemper toto genere ſymptomatica dejectio eſt, atque à vehementi irritatione progenita ſurſum, deorſumque humoris concitatio hujusmodi, atque commotio. Sed ſicca Cholera ex ſe minùs, quàm humida, diſcriminis habet, cùm tanta ab erumpentibus ſus deque flatibus, quanta à crebra per alvum, & ventriculum dejectione, non immineat calamitas: atque cùm primigenius plerumque hic morbus non ſit, at prævios alios pro cauſa morbos recognoſcat, id certè omne quod erit in hoc morbo metuendum, à primariæ affectionis ratione æſtimari continget.

Curativæ, mixtæque indicationes in genere Choleræ humidæ legitimæ ſimplicis. In ſpecie verò Curatio ex Hippocr. per emetica, aſtringentibus intermixta, calidoſque fotus.

VI. In hoc igitur morbo, per quem ſimul evertitur ſupernus, & infernus venter, neque continere ſe poſſunt ægroti, quin ſimul dejiciant, & vomant, fruſtrà, neque ſine magno periculo tentatur aſtrictio, antequàm copia excrementi vacuata ſit. Quum ergo, *ut ait Valleſius*, evacuationes videntur proceſſiſſe ſatis copiosè, & vires non adhuc labaſcunt plurimùm, neque cohibendum, neque provocandum eſt, ſed occurrendum ſolùm aliis ſymptomatis: Sin autem jam videtur proceſſiſſe pluſquàm pro excrementorum in corpore abundantia, aut pluſquàm pro virium robore; ſiſtendum: Sin autem irritatio, dolor, & anxietas ſit major, quàm pro magnitudine evacuationis, & evacuatio minor quàm pro multitudine excrementorum; expurgandum eſt; ut copiâ affatim vacuatâ valeas occurrere ſymptomati, quod in nimia expulſione eſt. Verùm quia ſymptoma vel à principio urget, & irritatio nunquam per hunc morbum omninò tollitur; neque cùm expurgamus ſymptoma negligere, neque cùm cohibemus irritantis ſucci oblivíſci debemus. Idcirco mixta ſemper eſt hujuſmodi morbi curativa indicatio, quæ ſcilicet expurgantibus, & extergentibus, ſimulque cohibentibus, tum delinquentis ſucci ſubtilitatem incraſſantibus, mordacitatem hebetantibus innitatur. Quamobrem Hippocrates ad pernicioſiſſimum hunc morbum, quò ad febrem, æſtuationes, dolores, convulſiones, ſingultus, perfrigerationes, virium læſiones, & præcipuè vomitus, & alvi fluxus majores, vel minores, in diverſis ægris diſpari ſymptomatum conditione ſtipatum, imò in iiſdem ægrotantibus non raro antipraxiis obnoxium, præcipuè juxta varia anni tempora, varium medelæ genus adhibuit. Ita cùm in viro Athenis cholerâ prehenſo dejectio multò major eſſet quàm vomitus, inteſtinaque magis eſſent affecta quàm ventriculus, ratione revulſionis emeticum ex elleboro propinabat; nitens hoc pacto præter copioſam, ſubitamque peccantium ſuccorum ejectionem, ut per magis affectam partem corpus non expurgaretur, miſcuit verò elleborum

borum cum ſucco lentium, ut expurgans adſtrictorium faceret; qui nempè ſuccus, docentibus Dioſcoride, & Galeno, adſtringendi vi pollet, valdeque ad choleram, & dyſenteriam præſtat. Idcirco maximam, expletâ vomitione, hujus ſucci epotandam copiam exhibuit; undè ambæ excretiones ſedatæ ſunt. Cùm autem ægrotans frigidus fieret, & convulſiones deſinerent, uſus eſt multo aquæ valde calidæ fotu à pudendis infernè, donec ſuperiores partes incaleſcerent; & ſervatus eſt. Partium autem inferiorum ex aqua calida fotus non quidem ad balneum referendus eſt, cujus uſum immodicum hoc in morbo Aſclepiades, atque Praxagoras uſurpabant; ſed refrigeratarum, & contractarum partium remedium accommodatum eſt, citra ullum, quod fortè à balneo gliſcere poſſet, diſcrimen. Quòd ſi balneum adhibendum ſit, hoc certè poſt integram duntaxat expurgationem utendum, juxta illud Galeni *Iſagog.* fol. 56. *Remedio contractionibus ſunt perfuſiones calidæ: in iis, quæ contrahuntur, balneum poſt expurgationem.*

Curatio Choleræ humidæ legitimæ cum exulceratione cibarii tubi, atque indè effuſione ſanguinis ſurſum, & deorſum, per potum aquæ frigidæ, atque omnigenum ſummè refrigerantium uſum.

VII. Quòd ſi in Cholerica paſſione tantus accedat bilis fervor, & acredo bilioſo ſucco, ut hic inteſtina exulcerare valeat, undè ſurſum, & deorſum prodire cum eodem ſanguis videatur; prẹſtantius nullum remedium invenit Senex copioſiſſimo aquæ frigidæ potu, & inſuper refrigerantibus & frigidis ſuccis, per os, atque clyſteres uſurpatis.
„ Lariſſæ Oneſidemi famulæ, *affert ille V. Epidem.* exulcera-
„ tus eſt venter, & inteſtinum à bile ſpontè commota; &
„ bilis, ſanguiſque ſurſum, & deorſum prodibant, fe-
„ briſque detinebat. Huic debili datum eſt in potu medi-
„ camentum deorſum purgans, debile, aquoſum, & pau-
„ cum, ex quo multum vomuit, & plura prodierunt per
„ inferna, & veſperi redierunt. Poſtridie verò febris ade-
„ rat, ſed debilis. venter autem exulcerabatur, eademque
„ adhuc egerebat. Tertiâ autem die mortua eſt ſub veſpe-
„ ram, febre admodùm vehementi correpta. Hæc autem

 „ vi-

„ videbatur omninò moritura, minimè verò quandiu epotâ „ aquâ frigidâ vomitus detinuit. Poſtquàm autem refrigeratus „ eſt venter ſuperior, & aquâ perpurgatus, ſuccus frigidus pro- „ pinatus eſt, idemque per Clyſterem infuſus „ Hæc Hippocrates. Ubi animadvertendum eſt, in hoc inſigni venenorum, quæ in noſtris corporibus ſponte gigni ſolent, exemplo, in quo nempe ob deleteriam bilis indolem tanta repentè exulceratio facta eſt, Divinum Senem digitum intendere potiſſimùm ad potus aquæ frigidæ utilitatem. nam cùm afferat *Tertiâ die mortuam eſſe hanc famulam ſub veſperam, febre admodum vehementi correptam.* Addit *Hæc autem videbatur omninò moritura, minimè verò quandiu epotâ aquâ frigidâ vomitus detinuit.* Id eſt morbus hic erat inſuperabilis, quoniam non ob frigidę, & omninò refrigerantium uſum, qui accommodatiſſimus extitit, ægra vitâ defuncta eſt, imò verò hâc fuiſſet ſervata, ſi ſervari potuiſſet. Verum fecit humor morbum incurabilem, antequam repugnare poſſet ars medica. Ita tam ardens bilis refrigerari non potuit, atque fœmina vel *detento* ab aqua frigida *vomitu*, à febre, ejuſque tertio vehementiſſimo acceſſu jugulabatur. fuit enim febris tertiana continua, quæ primâ die eam tenuit, poſtridie debilior aderat, tertiâ autem rurſus vehemens, communem idcircò bilis conditionem ſequuta. Interea curatum eſt, antequàm peccantis ſucci qualitati ſuccurreretur, ejusdem copiam minuere, aſſumpto pharmaco deorſum purgante; Pharmaco verò *debili*, cùm ægra eſſet debilis; non *ſolido*, ne fortè partibus hæreret, ſed *potabili*, & *aquoſo*, hoc eſt multâ in aqua diſſoluto, ut facilè elaberetur; *Pauco* autem, quòd multum, non videretur poſſe ſuſtinere. Ut jam eluceat, quàm diverſa Magiſtro fuerit ratio curandi hanc *famulam Oneſidemi*, atque illum ſuperiùs adductum virùm *Athenis degentem*; cùm hi eodem quidem morbo, ſed diverſis accidentibus ſtipato laborarent. Annotandum tamen venit,

venit, febrem, Choleræ morbo adjectam, frigidæ potionis uſui per plurium Interpretum ſententiam adverſari, ut ſolùm hoc affectu citra febrem laborantes reſpicere videatur Galeni conſilium *lib. de remed. parat. facil.* frigidæ potum prębendi: Qui inſuper author (ſuppoſitâ ſemper vacuatione febris) optimè addit eodem loco: *Si is, qui affligitur, quadrato ſit habitu, in frigidum inducito lavacrum in quo diutiùs permaneat.* Ut hinc inferendum ſit, Hippocratem ideo in memorata ægrotante frigidæ, & ſummè refrigerantium uſum fuiſſe amplexum, quòd tantum pernicioſæ bilis fervorem, & impetum alio remedio quolibet oppugnari non poſſe cenſeret: ſeu in raræ vehementię morbo raro quoque medelæ genere fuiſſe uſum; Quo quidem tam ardentis bilis occurſui æquali refrigeratione itum eſt. In hypercatharſi acerrimæ bilis cum febre, ventri multâ frigidâ affusâ alvi fluxum ſedabat in gravida muliere Hippocrates; cujus hiſtoria inferiùs habebitur ſub tit. Hiſtoriæ V.

VIII. Celeberrimus inter modernos practicus Thomas Sydenham animadvertens, æquè in genere periculoſum eſſe, principio Choleræ morbi acres, ſimulque crudos humores catharticis perturbare, novos eorum, ac concitatiores excitare tumultus, atque omnia, ſus deque vertere, quàm ex adverſo medicamentis narcoticis, aut aſtringentibus in ipſo limine humorum impetum compeſcendo, noxium, invitumque humorem detinere, ſicque intimiùs viſceribus affigere; nec non ex advena planè inquilinum reddere; intermediam viam, tutiorem idcirco, expeditioremque, amplexus eſt, ſolemnem videlicet totius cibarii tubi ablutionem; quâ quidem hoſtilis humor partim blandè, tutóque evacuatur; partim etiam diluitur, ſimulque à viſcerum implexu verritur, atque abſtergitur. Longum tenerioris pulli juſculum præparat, hujuſque (vel defectu ejus, liquoris poſſetici) Capaciores aliquot cyathos ut æger tepidè exhauriat, jubet; eodemque tempore bonâ ejuſdem quan-

Curatio hujuſmodi Choleræ morbi per largam eluvionem, & paregorica.

quantitate pro concinnandis *enematis* ſucceſſivè injiciendis uti docet ; donec quà per ſuperiora, quà per inferiora, tandem omne juſculum abſumptum, ac denuò rejectum fuerit. Hiſce hauſtibus pariter, ac clyſteribus interdum, violam, lactucam, portulacam, & ſimilia intermiſcet. Ita ventriculo inſigni liquoris quantitate ſæpiùs onerato, & veluti ſubverſo, ac reiteratâ enematum injectione, humores acres, virulentoſque, vel foras eliminari, vel retusâ acrimoniâ ad debitam temperiem revocari pollicetur expertiſſimus Author. Revera quemadmodum viſcerum hujuſmodi in Cholera morbo abluvium fuiſſe Antiquis comprobatum teſtatur illud Hippocratis lib. II. de morb. vulgar. *vomitum ſedat Calida in potu adhibita, & vomitione reddita*; ita largâ, atque creberrimè reiteratâ calidæ, ſeu potiùs tepidæ epotatione, vel citra aliud remedii genus, ferociſſimas cholericas paſſiones comprimi non rarò conſpeximus. Ne tamen interea viſceribus noxa fortè aliqua ab aquæ cruditate induci queat, hoſce ipſe morbos jure pulli per nympheæ, & altheæ radices alterato abluere conſueſco. Pergit indè, cl. Sydenhamius per novum, idque efficaciſſimum remedii genus Choleræ curam abſolvere: exantlato enim eluvionis hoc penſo (quod tres vel quatuor horas ſibi vendicat) medicamento aliquo paregorico pręcipuè Laudano liquido, ſecundùm ſymptomatum, præcipuè doloris, vomitus, & dejectionis vehementiam variis doſibus, tum crebriùs, aut rariùs per debitum vehiculum exhibito, curationi coronidem imponit.
„ At verò, *Addit vir accuratiſſimus*, diligenter eſt animad-
„ vertendum, quòd ſi non acceſſerit medicus, niſi poſt-
„ quàm æger, vomitu, ac dejectionibus ad horas aliquot
„ protractis, exhauſtus fuerit, & jam frigeſcant extrema
„ membrorum; hoc, inquam, caſu, omiſſis aliis quibuſ-
„ cumque auxiliis, recto curſu ad ſacram hujus morbi an-
„ choram, *laudanum* intelligo, confugiendum eſt; quod non
„ tantùm exhibendum eſt urgentibus ſymptomatis, ſed
„etiam

„ etiam ceſſantibus vomitibus, ac diarrhœâ manè, & ſe-
„ rò quotidie repetendum, donec priſtinas vires æger, ac ſa-
„ nitatem tandem receperit „ & demùm annotat, hujuſmodi Choleram morbum legitimum, ſi epidemicus ſit (qualem reverà per ann. 1669. ipſe deſcribit) rariſſimè Auguſti menſis, quo primùm cœpit, terminos excedere: Qui autem Epidemicus non ſit, & præcipuè ab ingluvie, crapula, horariis fructibus &c. excitatus affectus, nullo temporis diſcrimine accedere; at verò propriis phænomenis ſatis ab alio diſtingui.

IX. Ex his itaque omnibus tota effulgere poterit humidæ, legitimeque Cholericæ affectionis exquiſitior curatio, ut omittenda cenſeam remedia varia, quæ pro ſpecificis in hoc morbo, ab authoribus plurimis decantantur: Qualia ſunt ſerum lactis ad efferum diluendum humorem: tinctura roſarum, aut conſerva roſar. rubr. vitriolata ad attemperandum: Tinctura corall. bolus armenus, Terra Lemnia, aliaque fixa alcalica, aut etiam teſtacea, pro indomitâ bile edulcorandâ: Aqua mulſa pro ciendo vomitu: Decoctiones myrobalanorum ad aſtringendum, atque inſuper gelatinæ eboris, C. C. & ſimilium: Acida varia ad palantes figendos ſuccos, ut quæ per expreſſiones, ſyrupos &c. parari poſſunt è limonibus, citriis malis, cidoniis, meſpillis, granatis, agreſta, ribibus, berberis & cumprimis oxycratum &c. inſuper ad eundem ſcopum ſantali, cryſtallus, Trochiſci de thure, aut charabe, tum in vacuatione febris mentha in vino ſumpta, ſummoperè à Galeno commendata, præſente verò febre ejuſdem ſuccus: Ad refrigerandum aqua aut ſuccus portulacæ, acetoſæ, plantaginis, acetoſellæ &c. Denique ad purgandum aloë; ad purgandum, ſimulque adſtringendum rhabarbarum toſtum, aut etiam crudum. Id tamen hîc loci opportunè de rhabarbaro memorandum cenſeo; remedium hujuſmodi, in calidioribus bilis morbis, calidâ precipuè, ſiccâque hepatis intemperie comite, valdè

Plura ab Authoribus in hoc morbo pro ſpecificis habita.

Hhhh noxium

noxium deprehendi. Ita Hollerius de morb. intern. lib. I. cap. XXXVIII. de oppilat. Hepat. in ſchol. *Rhabarbarum aiunt hepatis vitam eſſe. Calidiore tamen, & ſicciore hepate, mors potiùs dici debet.* Quod quidem effatum aſſidua praxis confirmat. In Cholera igitur morbo cum ſimili jecoris affectu erit ab hoc remedio prorsùs abſtinendum.

Victus ratio in Cholera humida. X. In Cholera morbo tenui victu utendum eſt, non vigente ſolùm, ſed quieſcente morbo. Ita vir ille ex Hippocrate Athenis Cholerâ correptus, cùm jam à morbo evaderet poſtridie tenuem adhuc polentam bibebat, ſeu aquam, in qua pauca farina ſoluta fuerat. Et ſanè cùm in hoc morbo ſummè, ſubitóque ab enormibus ejectionibus atterantur vires, & ſtomachi præcipuè functio exolvatur, & concidat, aut à noxii humoris irruptione, atque exundatione impediatur, tenuis, & exiguus cibus à debili etiam facultate commutari poteſt, plenus verò eandem obruere. Lentus inſuper, & dulcis: monente Valleſio, adhibendus eſt cibus, ut lentore hæreat, retineaturque, aliaque retineri faciat; & ſi quid recluſum, aut excoriatum maneret, obturet, & obliniat: dulcedine verò, ſi quid ſupereſſet irritans, obtundat. Ita macris juribus ad alendos ejuſcemodi ægrotantes, exiguis quidem, ſed frequentibus utimur. Vix amyla, ſeu ſuccos carnium, præcipuè aſſatarum, aut pullorum, aut hordei cremorem, ad reficiendas ſuaviter vires, interdum intermiſcemus. Vinum angue pejus fugiendum eſt, præterquàm in forti, & contumaci deliquio, aut imminente ſyncope. Somnus in hoc affectu valde proficuus eſt, ut temperatus aër.

Curatio Choleræ humidæ ſpuriæ, ex Hippocrate. XI. Choleræ humidæ ſpuriæ, ſeu à comeſſatione, ebrietate, aliiſve ciborum erratis progenitæ curationem ipſe deſcribit Hippocrates *lib. de affectionibus*: quam ideò referre operæ pretium arbitror, " cùm ex vino, aut comeſſatione Cholera ,, prehenderit, aut alvi profluvium, ad alvi quidem pro- ,, fluvium jejunium confert, & ſi ſitis detineat, vinum dul-

dulce exhibendum (*intelligit ut puto Hippocrates deeſſe febrem, ut revera in nothâ hâc Cholerâ plerumque non micat*) aut „ uvarum dulcium retrimenta. Sub veſperam autem eadem danda, quæ à medicamento purgatis dantur. Quòd „ ſi non ſedetur, ſedare autem velis, vomitum poſt cibum „ aut lenticulæ decoctum excitato, confeſtimque per inferiora ſeceſſus ſurſum revellitur, ſique lentium, aut cicerum cremore eliceris, ſic quoque quodammodo ſedabitur. „ Ad Choleram autem confert, ſiquidem dolor detinet, ea „ dare, quæ in medicamentorum tractatione dolorem ſedare, ſcripta ſunt. Venter autem tum ſuperior, tum inferior potionibus madefacientibus curandus, corpuſque, „ excepto capite, balneis calidis emolliendum, ſicque facilior vomitus contingit; & ſi quid humidi ſubierit, quæ „ moleſta ſunt ſurſum revomuntur, & per inferiora ſeceſſus magis prodit. Quòd ſi vacuus fuerit, cum vi evomuntur, & violentiùs ſecedunt. Sub veſperam autem etiam ei exhibeto, quæ ei, qui medicamento purgante uſus „ eſt, exhiberi ſolent. At verò dolores, qui ex vini potione, aut comeſſatione contingunt, oriuntur cùm cibi, „ & potus ſolito copioſiores in ventriculum ſubierint, quæque foris corpus ſupra modum calefacere ſolent, bilem, & „ pituitam agitant. „

XII. Denique Preceptor, Cholerę citra ventris fluorem, & vomitum, ſeu à flatuoſo duntaxat ſupra, & infra erumpente acerrimo ſpiritu productę (quam ſiccam dicimus) curationem inſtituit *IV. de rat. vict. in morb. acut.* " Ita affe- „ ctus, *ait poſtquam allatam ſuperiùs hujus morbi deſcriptionem* „ *attulerit*, ne vomat videto, verùm ut alvus ſubducatur. „ Infuſo igitur per Clyſterem calido, & perquàm pingui „ quàm citiſſimè utitor, perunctumque in calidam quamplurimam in ſolio collocatum, calidâ ſenſim affusâ demittit. Et ſi cùm calefactus fuerit, alvus ſubducatur, morbus ſolutus eſt. Huic etiam dormire confert, & vinum

Curatio Cholera ſiccæ, ex eodem Hippocrate.

„ tenue, vetus, ac meracius bibere. Oleum quoque exhi-„ beto, ut quieſcat, & alvus ſubeat, ac ſolvitur morbus. „ Ac cibis, atque omnibus aliis abſtineat. Quòd ſi dolor „ minimè remiſerit, lac aſininum, donec purgatus fuerit, „ propinato. At ſi alvus liquida fuerit, & bilis ſubduca-„ tur, torminaque vexent, vomitiones, & ſuffocationes, „ iis optimum eſt quieſcere, aquam mulſam bibere, ac „ minimè vomere „ Hæc Hippocrates. Plurima adjici hîc poſ-ſent circa rationem curandæ febris, quæ interdum hunc morbum ſectatur (quam etiam tradit Galenus VIII. *meth. med. cap.* V.) tum circa ſpecifica remedia flatus diſcutien-tia, atque educentia, uſumque præcipuè paregoricorum, quæ quidem in hoc morbo non minùs proficua deprehen-duntur. Sed nos humidam, legitimamque, ſeu biliarem præcipuè Choleram, deſcribere aggreſſi fuimus.

HISTORIÆ

Cujuslibet Cholerici morbi Speciei.

HISTORIA I.

Legitimam ex flava, ſed coloratiori Bile, Cholericam paſſionem exhibens, ex Hippocrate V. Epidem.

„ EUtychidem ex Cholera morbo diſtentio nervo-„ rum in cruribus corripuit cum inferna alvi de-„ jectione. Bilem impensè coloratam, multam, & valde „ rubram per tres dies, noctesque evomuit, & impotens erat, „ & anxius. Nec quicquam ex potu, aut cibo continere „ poterat, & urinæ multa aderat ſuppreſſio, & meatus in-„ ferioris. Per vomitum fex mollis prodiit, & deorſum „ erupit. „

HIS-

HISTORIA II.

Cholera morbus porraceæ Bilis, à veneno progenitus, & à nobis feliciter curatus.

JUvenis mercator Judęus ad finem Julii 1723. noctu ſitiens, multam aquæ, loco ſacchari, ſeptem circiter drachmis arſenici per errorem in tenebris ſaturatæ, copiam potabat. cito viſcerum torminibus, intenſoque ardore cum ſiti, & enormi vomitu conflictabatur. Vomebat acria, & amara. Atque uberrimis aquę hauſtibus ventriculum abluvendo, opportunos indè, ad ingeſti veneni expulſionem, vomitus fortè fortunâ per totum noctis reliquum provocabat. Manè ipſe accerſitus Cholericâ paſſione, ſeu creberrimis viridiſſimæ bilis per vomitus, & ſedes dejectionibus, cum intenſo ventris cruciatu, acerrimâ ſiti, cardialgiâ, febre, depreſſo pulſu, ſimulque celerrimo, nec non ſenſibili extremorum perfrigeratione correptum Juvenem deprehendebam. Jamque diluculo largiſſimam olei amygdalarum dulcium, lactiſque quantitatem alternatim aſſumpſerat, ſimulque per vomitum rejecerat; tum gelatinam quandam à Pharmacopęo exhibitam ingeſſerat, quam pariter vomitu reddiderat. novam amygdalini olei quammaximam doſim, lactiſque Caprilli ſimilem impero: Cryſtalli ſyrupum, ſpecificum, huic veneno præſidium, mente volvebam uſurpandum; cùm Illuſtriſſimus, expertiſſimuſque D. Petrus Paulus Richa S. M. Conſiliarius, & Primarius medicus in conſilium pariter accitus, in hujus remedii celerem, frequentemque indè uſum urgebat. Clyſteres inditi ſunt ex vitulorum inteſtinis, aliiſque pinguibus, atque emollientibus compoſiti, qui alvum bilioſis excretionibus abundè madentem facilè ulteriùs ducebant. Dolebant Epigaſtrium, & Caput: ſuf-

fuſi oculi : ardentiſſima ſitis : Lingua rubicundiſſima , inflammata , & quaquaverſùm æqualiter dura : Ingens gutturis ardor. Cholericæ porraceæ ſaturatæ bilis per vomitum , ac ſedem ingentes ejectiones primâ , alterâque die inceſſanter ſæviebant. Copioſis diluentibus , ac lubricantibus crebrò alcalica ex pul. margarit. & ocul. c. pp. intermiſcebantur. Ad finem ſecundæ , graviter habuit : exteriora enim omnia perfrigerata impenſiùs ſunt , uſque ad quartam non ampliùs recaleſcentia : Interna verò urebantur cum vehementiſſima febre. Vigilabat; Clamosè ſitiebat ; nihil alimentorum præter ovorum vitellos retinebat. Tumebat venter , & dolebat acerbiùs. Quædam liquidi laudani Doſis aliquoties repetita pacare omnia extemplò videbatur; Dormiebat ęger, Parùm vomebat, vixque dejiciebat : Tormina veluti per incantamentum comprimebantur : emollitus venter eſt ; lingua mollior minúsque rubra ; Placidior ſitis ; febriſque ſat levior reddita. Ad finem tertiæ , porraceæ dejectiones, ejuſdemque generis vomitus recrudeſcebant: Omnia tamen quàm in principio tolerabiliora. Noctem interea laborioſè tranſegit. Quartâ , ad utrumque cibarii tubi extremum , ſeu ad guttur , & anum , infeſtiſſimus ardor erumpebat, manebatque , gravem inflammationem minitans , qui licèt topicis demulcentibus variis exceptus , contumax adhuc furebat , vigebatque ad uſque decimam quartam. Totus hujuſmodi cibariæ fiſtulę tractus , præcipuè epigaſtricus , internè , & externè ab epiceraſticis , & oleoſis leniebatur aſſiduè , ut ab hoc inflammationis , indéque fortaſſe necroſis diſcrimine removeri poſſet. Quintâ , ſextâ, ſeptimâ, & octavâ, tenſio, inflatio , & durities ventris , nunc majores , nunc minores occurrebant : Dolor interea ad ventriculum acerbior ; manebat febris , interdiu mitior , noctu vehementior : ſomni aliquot exigui , contumacibus vigiliis intermixti. Raro vomebat. Teneſmus aderat perpetuus , qui nunc clyſterum opere , nunc etiam ſpontè in profuſas evacuationes ſolvebatur.

batur. Neque virides his diebus quisquiliæ, ſed ſaturatè flavæ, ſinceræ per ſedes depulſæ, cibariis verò ſubſtantiis per vomitum intermixtæ, eæque ſatis copioſæ habebantur. Vulnerariæ potiones adhibitæ ſunt. Conſtans erat faucium, & podicis inflammatio. Modicæ per totum morbi curriculum urinæ. Nonâ dormiebat. excretiones modicæ: Remiſſior febris cum molliori ventre. Caſſiæ uberioris tincturâ ex lib. IV. ſeri lactis elicitâ ad decimam diem eluebantur ægrotantis ventriculus, & inteſtina. Venter, pulſus, febris, memoratique extremorum œſophagi, & recti inteſtini ardores, cæteraque omnia, copioſis accedentibus excretionibus, valdè meliùs habuerunt. Concoctas in primis urinas dedit, & multas. Undecimæ principium, calidiuſcula febris excepit, ut omnia nonnihil exacerbata viderentur; ſed finis placidus erat, atque tranquillus: minima ſitis: vix febricitabat: Bilioſa multa ſponte dejecta ſunt. urina pariter multa ſed tenuis, bonâ tamen hypoſtaſi inſtructa. Ani ardor ferè deletus erat, ſed gutturalis adhuc ſenſibilis. Duodecimâ ex caſſiæ ℥iß: ſeri lactis depurati lib. iß: nova eluvio inſtituebatur. Res optimè ceſſit. Decimâ tertiâ novę excretiones, hæque virides cum levamine apparebant. Decimâquartâ nocturna extabat febricula ſine ullis ſymptomatis. Decimâ quintâ ſerum lactis largè propinabatur. Decimâ ſextâ, pulſus ferè ad apyrexiam redactus erat; ſed adhuc fervidæ illæ ab oculis eruptiones vigebant, quæ ſimilibus ex utraque nare eruptionibus ſucceſſerant. Quippe, cùm in morbi vigore viderentur ægrotanti binæ igneæ columnæ è naribus per expirationem, ceu bina accenſæ interiùs fornacis ſpiracula, erumpere (tanta eſt arſenicalis ignis, vel in ipſiſmet viſcerum, & ſanguinis penetralibus, poteſtas) hoc ſymptoma ad decimam quartam ceſſerat, locumque dederat ſimili, ſed quidem mitiori, ad utrumque oculum veluti erumpentis igniculi ſenſationi. Ulcuſcula cæterùm ad os & ad linguam, quæ à die duodecimâ erupta fuerant, ſen-

ſenſim, diſſipabantur. Sed ad finem decimæ ſextæ è lecto diſſiliens ęgrotus, huc, illuc per conclavia juvenili permotus impatientiâ verſabatur adeò, ut per nimiam agitationem, novam quandam ſibi febris periodum compararet. Decimâ ſeptimâ virides adhuc, fervidaſque ſedes, ſumméque fetentes habebat. Caput plenum, grave (ut toto contigit decurſu morbi) atque admodùm infirmata viſio. Paucula adhuc febris. Decimâ octavâ purgabatur cum ſyrupo aureo roſat. ſolut. & ebul. Agarici. Plurima flavi, & concocti evacuatio. Deſinebat febris ad decimam nonam; Vigeſimâ tamen reſtitui aliquantulum videbatur. Per ſingulos hoſce dies ſerum caprilli lactis largè epotatum inteſtinalem mirè abſtergebat fiſtulam, crebraſque dejectiones, utplurimùm flavas, interdum adhuc viridiuſculas promovebat. Vigeſimâ primâ viridia adhuc dejecta ſunt; clariora verò ad vigeſimam ſecundam; quâ quidem die poſtrema catharſis ſubminiſtrata fuit: Ultra quod tempus æger à morbo jam ſatis expeditus, probo victus regimini traditus, paulatim revaluit. Notabilis igitur extitit ille veluti flammeæ exhalationis ſenſus, priùs è naribus, mox ex oculorum hiatibus. cùm enim arſenicalis ignis, gliſcens in ſanguinem, fervorem ſuum non minùs in liquida, quàm in perluta à liquidis ſolida propagare valuiſſet; Primùm exhalabat, & veluti diſplodebat accenſio ex ventriculo, & inteſtinis, quibus quidem prima indebatur impreſſio; fortaſſe etiam & à pulmonibus, in phlogoſis partem advocatis: ſecundò verò ex capite, ubi à perluente ſanguine altera præſtita fuit impreſſio. Revera poſtremum Symptoma, cæteriſque ſuperſtes extitit gravedo capitis plurima, cum viſu debili, tenebroſo &c. à quo non niſi poſt longum tempus evadebat. Imò quandam ulteriùs ſuper nervos, ipſoſque musculos fuiſſe inductam à veneno deleteriam pravitatem ex eo patet, quòd manus contrectando ſcriptorio calamo, aliiſque obeundis muniis vix diu pares ſe fecerint. Ille interea in morbi vigore

vigore ad utramque cibariæ fiſtulę extremitatem excitatus fervor intenſior, boni certè ominis fuit; Qui nempe criticam venefici ſtimuli ad exteriora inchoatam protruſionem indicabat: Veluti cùm criticus dyſenteriæ Teneſmus ſupervenit.

HISTORIA III.

Seu Obſervationes Choleræ Morbi ab Æruginoſa Bile.

„ ILla Bilis, quę in Cholera, & infantium multorum diar„ rhœis copioſa ejicitur, eſt acris, & plerumque ęru„ ginoſa, eaque talis in apertis hujusmodi ægrorum ca„ daveribus ſemper admodùm copioſa à me inventa fuit in „ folliculo fellis, & pauciſſima, vel nulla in ventriculo: „ Quod certum indicium eſt, eam efferveſcentem ex fol„ liculo erumpere in inteſtina, & ventriculum, non ve„ rò in hoc generari „ De Diemerbroeck *Anatom. Lib. I. Cap. V.*

HISTORIA IV.

Cholera Morbus ex Bile atra, Lethalis.

„ APpoſitè ex Hippocrate Cornelius Celſus: *& is con„ ſumitur, cui protinus in recenti morbo, Bilis atra vel „ infrà, vel ſuprà ſe ſe oſtendit.* Cujus effati veritatem de„ monſtrat, non quælibet ſucci melancholici excretio: ut„ potè quæ interdum ex uſu eſt. ſed potiſſimùm illa Bi„ lis atra, quam produxêre vel lienis atonia, ventriculi in„ temperies, vel inteſtina, ſive inflammata, ſive ſydera„ ta. Quæ autem à diſſoluto lienis tono, illa præſagit „ lentam, ut quæ ab inflammato inteſtino, citam mortem.

„ Auri fabrum Brabantinum, diu vexatum, à præcordio-
„ rum anguſtia, pancreatis obſtructione, liene indurato, &
„ noviſſimè ab effera atrę bilis ebullitione, invaſit tandem
„ tam impetuoſa, ejuſdem bilis ſupra, infraque excretio,
„ ut dejectis indè viribus, cogeretur ante menſem ſecun-
„ dum, vitam cum morte commutare. Effluebat autem hæc
„ bilis per utramque viam tam effusè, ut omnes mirare-
„ mur, hinc ejus copiam, illinc verò vires, tanto profluvio
„ pares. Erant quippe dejectiones hæ ſine ullâ fermè in-
„ termiſſione, & ita nigræ, ut atro ſanguini, ac lutoſo
„ paludis cœno forent ſimillimæ. Quibus tamen indeſinen-
„ ter, ut fluctus fluctum, ſe ſe trudentibus, exceſſit tan-
„ dem æger, haud invitus, è vita „ *Nic. Tulpii Obſervat. medicar. lib. II. cap. XXI.*

HISTORIA V.

Cholera mortifera Vitellinæ Bilis, ab Hypercatharſi in Gravida: Eſtque à V. Epidemiorum *Hippocratis deducta.*

„ UXor Antimachi Lariſſæ uterum geſtabat quinquagin-
„ ta circiter diebus, & reliquo tempore præ faſtidio
„ à cibo abſtinebat, & ſeptem diebus uteri, & oris ven-
„ triculi dolore afficiebatur, & febris eam corripuit; ex
„ quo tempore nihil dejiciebat. Huic propinatum eſt me-
„ dicamentum purgans, vehementius quàm opportuit; &
„ evomit bilem aduſtam propter cibi abſtinentiam, & fe-
„ brem; neque enim ullo utebatur potu; paucam autem,
„ & violenter vomuit, & grumoſam. Ac poſtquàm com-
„ mota eſt, eam dejiciebat, & debilitata videbatur, nec
„ epotâ aquâ voluit evomere. Poſtea autem ventrem infe-
„ riorem vehemens dolor corripiebat, exulceratus enim
fue-

„ fuerat à medicamento, & ſtatim poſt ſtercus ſubcruentum
„ quid ramento ſimile dejecit. ſemper autem augebatur &
„ debilitas, & anxietas, & uſque ad quinque cotylas ex-
„ purgata erat. Subſtitit autem alvus multâ aquâ ventri affu-
„ sâ, nihil quippe aliud poterat admittere. mortua eſt cir-
„ ca mediam noctem. vivere autem poſſe videbatur, ſi po-
„ tuiſſet aquam bibere, & ſtatim ante medicamentum epo-
„ tum vomere „

HISTORIA VI.

Humida Cholera, ſed ſpuria, Deſcripta ab Hippocrate *De morb. vulgar.* Lib. V. Sect. VII.

„ Blas pugil, ſuâpte naturâ vorax in Choleram morbum
„ incidit ex carnium eſu, præcipuéque ſuillarum cru-
„ diorum, & vini ſuavis ebrietate, ex bellariis, ac dulcia-
„ riis, cucumere, pepone, lacte, & polenta recenti „

HISTORIA VII.

Cholera Sicca.

VIr quidam hypochondriacus ſtudiis, ſimulque victus intemperantiis deditus, annum nunc agens quinquageſimum, æſtate, & autumno ſiccâ Cholerâ frequenter corripitur; præcipuè ſi ira, aut fervidus alius in animum affectus ingruat. Tumet illico abdomen, atque in enormem tenſionem quaquaverſum adigitur, cum cruciatibus maximis, præcipuè ad ilia, & epigaſtrium: Ad quemlibet vel leviſſimum tactum dolores adeò intenduntur, ut æger ad deliquium accedat. Collum veluti in thorace abſconditur,

atque immergitur : Oculorum radices ad interiora retrahi, & veluti laniari videntur. Idem ad linguam phenomenon eſt. nauſea, ſingultus, ſitis, ſuſpirioſa ſpiratio, ejuſque enormis anguſtia. Deglutitioni difficilis locus eſt. Ex flatuoſis ab ore, & ano vehementibus, longiſque, & ferè continuis eruptionibus, cum forti ſonitu diſplodentibus, viventem *æolipilam* diceres. Neque aliud pręter flatuoſum hunc ſpiritum ex his oſtiis egreditur. Sed erumpentes ejuſcemodi flatus acres adeò, calidique ſunt, ut ipſe ægrotus in tanto inſultu ignea ardentis veluti fornacis educi ſpiracula juraret. De præcipiti, ni ſuccurratur, ſuffocatione conqueritur. Palleſcit vultu, interdum & liveſcit. Invaſio ad aliquot horas protrahitur. Sed largâ lini, amygdalini, aut olivarum olei per os, quantum poſſibile, aſſumpti, ut per Clyſteres injecti copiâ, hinc multâ ingeſtâ paregoricorum doſi non difficilè ſublevatur. Proficit interdum aniſorum diſtillatum oleum cum chamæmellina, aut ſimili aquâ propinatum. Deleto inſultu per dies aliquot universè dolet. Flatulenti ambulonis ſpeciem eſſe decrevimus.

Hiſtoria Choleræ nigræ, ſeu ab atræ Bilis ſurſum, & deorſum ejectione, apud Rod. Fonſecam *lib. I. Conſ. LXXXIV.* legi poterit ; quam quidem hîc loci brevitatis gratiâ pretermittimus.

Choleram ſanguineam, qualem obſervaſſe refert Panarolus *Pent. I. Obſervat. XI.* difficilè in Choleræ morbi cenſum admittimus.

DE BI-

DE BILIOSA LIPYRIA.

Canones Practici.

PEracuta illa febris, ſeu inter acutas eximia, quâ quidem exteriora veluti marmoreâ frigedine, algidâque ſudatiunculâ percipiuntur ab Aſtantibus ſuffuſa, interiora verò uri ægrotantes perſentiunt; ſeu ardent viſcera cum alſioſis artubus, inſuper cum ſiti perpetuâ, ſiccâ, aridâ, aſperâque linguâ, interdum & nigrâ, cum pulſu perceleri, parvo, inęquali, minimo, interdùm vix ſenſili, faciei ſqualore, proſtratione virium, graviſſimoque decubitu, facitque homines, ut ait Duretus in Coacis fol. mihi 66, amarulentos, & mœſtos, faſtidio, & contumaciâ inſolentiſſimos, anxietudine miſerabiles, omnis figuræ, & loci impatientiſſimos, ſomni expertes, cum eliſa in faucibus reſpiratione, *ſeu reſpiratione offenſante, aſcenſu crebra, & valdè magna:* Nonnunquam etiam labrum inferius cietur, unáque manibus contremiſcunt; hæc inquam febris, Lipyria dicta, ab acerrimæ, teterrimæque bilis vitio non infrequentem ſortitur originem, quam imò ab hac Cauſâ ſemper exortam ſtatuit Duretus in Coac. fol. 66. *Quam facit bilis, morſu, & ſtimulis ſæviſſima ſtomacho, qui ſenſus acerrimi eſt. Nàm Lipyriæ materia bilioſa focum habet in alvo, undè prohibetur exitu à contumaci obſtructione, partiumque obſeſſarum languore.* Eandemque originem annuere videtur Hippocrates in Coac. lib. 1. *Febres Lipyriæ non niſi per choleram effusâ bile ſolvuntur.* Quem commentans Duretus; *Lipyria*, ait, *ſymptomatum plena graviſſimorum, propriâ humoris morbifici, & ſolâ excretione ſaneſcit, neque aliter curationem recipit.* haſce febres

Graphica Leipyriæ febris deſcriptio; quam quidem à bile potiſſimùm exoriri ex Hippocrate, atque interpretibus oſtenditur.

ex Bile ortum ducere præclariùs adhuc declarat Hippocr. Lib. de affect. ſect. apud Foëſ. V. fol. 518. *In febre ardente febris & ſitis vehemens detinet, lingua aſpera, & nigra, ſpiritus ſanè caliditate redditur, color aliquantulum bilioſus fit, & ſputa bilioſa. In ægro partes exteriores frigidæ ſunt, interiora verò admodùm Calent... Hic morbus oritur ex bile commota, ubi in aliquam interiorem Corporis partem incubuerit. Conſuevit etiam in pulmonis inflammationem tranſire.*

Lipyriæ in Iuvenibus, atque æſtatum fervoribus cum maximis efferatæ bilis indiciis plerumque debacchantur. Exemplum bilioſæ lethalis lipyriæ.

II. Ita fervente utplurimùm ętate adoriuntur Lipyriæ, atque inclementioribus æſtatibus; nec non in pleniori hujuſmodi tempeſtatis æſtu, ut ſub Cane, & ante Canem, crebriores ſunt, tum etiam cum plurimis efferatæ bilis indiciis invadere homines plerùmque ſolent. Robuſtus Iuvenis 18. annos agens, menſe julii ſuperioris anni duplici tertianâ continuâ cum ingenti, & aſſiduo Capitis dolore corripiebatur: Ad undecimam diem delirat. decimâ tertiâ Lipyria ſuccreſcit, quæ ſequenti die proſequitur, ad finem decimæ quartæ, atque in ingreſſu decimæ quintæ accedit univerſale bilioſum Eryſipelas cum ſubita, per totum corpus Epidermidis à cute ſeparatione, hinc vaſorum Cutis ſanguiducorum apices aperiuntur, ut univerſalis hęmorrhagia, plurimo flaveſcente ichore intermixta, ſuccederet. ad finem decimæ ſeptimæ vitam æger cum morte commutabat.

Et alia exempla bilioſarum Lipyriarum, dejectâ opportunè peccante bile curatarum; aut per calida exhibita remedia lethalium præſtitarum.

III. Auguſto fervidiſſimo menſe anni 1719. Quadragenarius per largam ſpontaneo vomitu eruptam bilioſam colluviem à forti Lipyriâ evadebat. Junior alter per validum propinatum emeticum, ſuperiùs, & inferiùs multam æruginoſam Bilem excrevit, ſimilique morbo judicatus eſt. Judęus ſenior aromaticis, calidiſque remediis potionatus, fatis cedebat. Moriebatur pariter fœmina ſimili morbo laborans, quæ cùm Hyſtericâ paſſione prehenſa, crederetur, caſtoreo, ſuccinatis, volatilibus urinoſis ſalibus, aliiſque excitantibus præſidiis infauſtè curata eſt.

IV. Bilis

IV. Bilis itaque, quæ propter tempeſtatis intemperiem, ſimulque improbum rerum non naturalium uſum, non tantùm acerrima evadat, ſed inſuper deperdito phlegmate, diſſipato ſubtiliori ſale, fluidiorique oleo, & amiſſâ hoc pacto blandâ illâ naturali, ſuavique ſaponariâ, ſive ſolvente facultate, turpem, infeſtiſſimamque ad internas Hepatis, Inteſtinorum, atque ventriculi ſuperficies adhęrentiam, fixioriſque ſtimuli malitiam induat, viſcidiſſima igitur reddita, & reſinoſo-auſtera, ſeu vitriolico-cauſtica, & ut dicebant Antiqui, atra, à flava ſuperaſſata bile producta, narcotici deleterii, ſive, juxta eorundem Antiquorum effatum, intus geniti veneni naturam induit. Hinc propriâ, enormique tenacitate non ſolùm in anguſtiis hepaticorum vaſorum, ſibi præſtito ad ſecretionem impedimento, profundè implicatur, ſed ulteriùs in univerſi ſanguinis particulis irretita, eaſque non minùs illaqueans, quemadmodum in viſcere graviſſimum ad tenſiones, & contorſiones vaſorum, fibrarumque irritamentum eſt, ut hinc adnexæ inteſtinales partes in obnormes pariter rapiantur conſenſus; Ita in ſanguinis alveo atrocia circuli impedimenta, invehit, & ſtaſibus anſam exhibet; ut hinc tùm ſanguinis fluxus, motuſque per vaſorum cutaneorum capillamenta, tùm indè ſalivariæ, aliæque aliæ plurimùm, aut penitùs, impediantur principales ſecretiones: undè repetenda ſunt memorata omnia hujuſmodi affectionis ſymptomata. Quamobrem decantata à pleriſque in Lipyria febri ventriculi inflammatio, pro ejuſdem potiſſima, foventéque cauſa æſtimanda non eſt, ſed Bilis utplurimùm tam perditus ſtimulus, ut partes Hepati affines ferociter laceſſens, in ſęviſſimas dyſcraſias, atque tenſiones tenue inteſtinum, nec non ventriculum inducat, quibus profectò inſtar aquæ ſtygiæ ſuffunditur. Reverà genuina ventriculi inflammatio ſingultu nunquam caret; Neque frequens eſt in Lipyriis hoc ſymptoma: Cùm autem comitatur hunc morbum, tunc quidem non diffiteor, ventriculum

Explicatur obiter modus depravationis bilis in hepate, & in ſanguine ad lipyriam febrem, ejuſque ſymptomata inducenda, atque atræ Antiquorum bilis conditionem induendam. Bilem, non verò ventriculi inflammationem, eſſe cauſam leipyriæ primigeniam per ipſosmet Antiquos oſtenditur.

culum vehementer à bilis morbo vaſtatum, atque convulſum poſſe in ſymptomaticam inflammationem faceſſere. Cæterùm Lipyriam febrem affabrè ſatis agnoverunt Antiqui, pro ejus cauſa ſupputantes *bilis curſum circa ſua emunctoria interceptum, ibidemque efferveſcentem, inductamque ex ea parte, quâ jecoris cavum propè fellis veſiculam reſpicitur, Eryſipelatoſam ventriculi inflammationem, jecinoris cavo, felleæ veſiculæ, atque etiam meſenterio communicatam; ut ex foco acris bilioſæ materiæ irritetur ventriculus acerrimi ſenſus viſcus; ob cujus irritationem frigeant exteriora, interiora urantur; Prohibeaturque bilis exitus à contumaci obſtructione, & languore partium obſeſſarum ab inflammatione.* videantur ſuper hac re Duretus in Coacis, Hollerius, aliique accuratiores Hippocraticæ doctrinæ Commentatores. Ex quibus igitur intelligendum eſt, hos omnes partium biliari emunctorio finitimarum affectus ex conſenſu fieri, ſive ex bile à propriis focis primùm delinquente.

Ingens inter ſiccam, ſeu inflammatoriam lipyriam, atque humidam ſeu bilioſam diſcrimen, in antecedentibus, adjunctis, & ſuccedentibus.

V. Nihilò tamen minùs cùm lipyria febris ſymptoma quandoque ſit Inteſtinorum, aut ventriculi Phlegmonis, aut etiam Eryſipelatis, ſeu morbus inflammationi ſuccreſcens; Jam igitur eſſentiales, & ſymptomaticæ lipyriæ medentibus internoſcendæ ſuperſunt. Inflammatoriam propriè lipyriam præcedit acuta, & aperta febris; acerrimus abdominis dolor, cum inſigni tenſione, & ardoris ſenſu, ſingultu, irritoque ad vomitum niſu comitatur; ardentiſſima inſuper, & clamoſa ſitis; & cùm externa perfrigeratio poſt aliquot dies ſuccedit, facies priùs accenſa, mortali ſtatim pallore, atque hippocratico, ut dicitur, ſqualore ſuffunditur; omniſque illico interni ardoris ſenſus amittitur. Siccus ſemper aridusque perſiſtit corporis habitus. In bilioſa verò lipyria, externa perfrigeratio è morbi limine accedit, pulſuſque immerſus, & abſconditus: Nullus ad ventrem præcedens, aut inhærens dolor, aut ſaltem obſcurus: minor interni ardoris ſenſus, interdum vix in ventre tenſionis apparen-

parentia: Rariſſimus ſingultus: Et ſi niſus ad vomitum excitetur, bilis facili, plenoque gurgite educitur: ſitis minùs ardens; neque facies tàm lurida, proſtrataque obverſatur; Tum ephydroſes, ſive leves ſudatiunculæ, morbum perpetuò comitantur. Præterea uſque ad judicationem morbi, interni ardoris ſenſus moleſtus eſt. Ita prima lipyria ſiccus videtur morbus, alter verò humidus. Hæc inſuper à manifeſtis cauſis, ab irâ, aliove acriori animi affectu, à nimio tempeſtatis æſtu, aut vehementiori exercitio ab horariorum fructuum edacitate, à muſtei vini bibacitate, aliiſque ſimilibus utplurimùm excitatur. Idcircò potiùs æſtate, aut autumno, quàm aliis temporibus contingit. At verò propriè inflammatoria ab occultâ causâ improvisè proficiſcitur; Hieme plerumque invadit; Nunquam in Choleram prorumpit, cùm revera ſemper lethalis extet, atque à viſceris alicujus abdominis, aut plurium, inflammatione, in necroſim vergente, ortum ducat: Hinc biliari lipyriâ multò brevior eſt, ægrum aliquot horis ante obitum in aſphyxiam conducens, atque indè mentis adhuc compotem jugulans. Lipyria interea biliaris, ſi mortifera ſit, non niſi cum mentis alienatione, formicantique pulſu ad extremum uſque perducto, miſellos de medio tollere conſueſcit.

Curatio biliaris Leipyriæ febris, quò ad phlebotomiam, & purgationem. Quomodo intelligendus ſit Hippocr. textus de Choleræ morbo, qui in Lipyria ſit criticus. Quæ ulteriùs in hoc morbo uſur-

VI. Venæ ſectio in lipyria biliari nunquam proficua eſt: neque in principio validâ purgatione utendum, ob inductam ventriculi & inteſtinorum ſpaſmodicam habitudinem, atque interdum inflammationem, niſi bilis valdè copioſa in his caveis exundet, & turgeat; In quo ſtatu intelligendus eſt ſuperiùs expoſitus Hippocratis Textus. Bile verò non exundante, ſed veluti in latibulis tenaciter coactâ, Hippocraticum oraculum morbi maturitatem, & ſtatum, habitamque jam bilis coctionem ſignificat. Quippè Hippocrates per illud *ſuperveniente Cholerâ exolvuntur*, non quidem intelligit ipſum, in propriâ naturâ conſtitutum, *Choleram* morbum, quem quidem ſuperiùs deſcripſimus; Quo caſu peracutus mor-

panda remedia ſint, quæ vitanda.

morbus ; alii non minùs acuto ſuccedens, & fœderatus, ægrum è vivis citò deleret, ſed bilis quidem vitiatæ, at verò per rectam naturæ contentionem è propriis latibulis dimotæ, & ſecretæ, prægrandi, citâque perturbatione alvi, ſurſum, deorſumque pariter æqualiterque citatam copiam; Hoc itaque pacto biliaris hujuſmodi in lipyriis excretio modum quidem morbi Choleræ refert, non verò genuinam naturam, quæ in turbatiſſimo, & promiſcuo quorumlibet humorum motu, non verò in perducto à naturâ conatu, propriâque morbifici humoris per alvi concutionem vacuatione, ſita eſt. Idcircò cautè, prudenterque intelligendum eſt Hollerii placitum, memorato Hippocratis monito ſuffultum; *Diarrhœam nempè ſemper conferre poſſe, imò brevì deſperatum iri ægros, niſi irritatâ naturâ promoveatur fluxus* : vomitus idcircò, & dejectiones arte vel naturâ provocari jubente hoc Authore. Quapropter bile haudquaquam manifeſtè turgente in lipyriæ principio imperare ſoleo largos, & repetitos hydrolei hauſtus, frequentes, tepidaſque potiones ex aquâ carnis, aut pulli cum adject. C. C. raſp. & raſur. ebor. atque ebull. Radic. nymph., & alth. ſonci, endiv. violar., & agrimon. cum floribus bellidis, hypericon. & tribus cordial. adjicimus emollientes, & lotorios clyſteres, pluries etiam quâque die injiciendos; emollientes frequentes fotus; temperata cordialia cum aquâ totius citri, ac violarum diluta. In progreſſu morbi ſerum lactis tamarindatum, aut etiam levi aliquo cathartico maritatum propinamus, ſi aliqua bilis ex urinarum, & linguæ inſpectione appareat concoctio; aut etiam longos ſolutæ recentis caſſiæ hauſtus; & tandem bilioſis ſuccis, & continentibus viſceribus per emollientia, & epiceraſtica laxatis, atque ad ineundos, aut concedendos exitus paratioribus redditis, in delinquente per inferiora, aut etiam ſuperiora, ſecundùm Coi Senis monitum, elutriando ſucco curam omnem impendimus. Vitanda ſunt fortiora Alexipharmaca, diuretica præ-

præcipuè, ac diaphoretica, quæ quidem morboſæ cauſæ indoli, ac motui imparia ſunt, fortaſſè & noxia. Ita ait Baglivius lib. I. Prax. medicæ. cap. 13. *Obſervavi lipyriam febrim ſuperveniente Cholerâ ſtatim ac prorsùs feliciter pluries ceſſiſſe; Non ita apparentibus ſudoribus, aut urinâ Cautè igitur procedendum cum diaphoreticis, & diureticis in tali febrium genere*: Hipp. lib. *de affect.* poſtquàm deſcripſerit hujus morbi ſpeciem (ut ſuprà attulimus) addit pro curatione: *Huic refrigerantia, & alvo, & exteriore corporis parte admovere convenit, & cautione adhibita, ut ne inhorreſcat*; (intellige non eſſe frigida, clyſteres, & balnea, *ne inhorreſcat*, uſurpanda) *Potiones quoque, & ſorbitiones crebræ, & paulatim quàm frigidiſſimæ exhibendæ.* (Per illud *paulatim quàm frigidiſſimæ*, intelligendum eſt non eſſe in principio, ſed morbo jam valde imminuto frigidas potiones propinandas.) *Alvus verò curanda; & ſi quidem quæ in ea continentur non ſubeant, ſubluenda, & per infuſa quàm frigidiſſima vel quotidie, vel tertio quoque die refrigeranda.* Victus ſummè tenuis in hoc morbo imperandus eſt: Vinum raro uſurpandum.

HISTORIA

Bilioſæ Legitimæ Leipyriæ.

„ INgentem Cyſtis Bilariæ intumeſcentiam à bile viridi „ ſaturati coloris vidi anno 1677. Menſe Auguſto in „ puero decenni, filio Dom. *Bruyere* mercatoris Lugdunenſis, „ quem extinxit febris leipyria ab inflammatione hepatis, „ cujus extremi lobi omninò nigricabant, præcedente Cholerâ morbo. Cyſtis fellea ovum gallinaceum magnitudine „ exęquabat, bile viridi coloris olivaris turgida, eâdem „ diſtenti cholidochi pori, quâ etiamnum oblita erat tota „ pars hepatis cava, præ viſciditate, & lentore ibi ſubſi-

 „ ſtens

ſtens. „ Theoph. Bonetus *Anat. Pract.* lib. III. ſect. IX. *De Cholera Morbo.*

HISTORIA

Bilioſæ ſpuriæ , ſeu imperfectæ Leipyriæ.

MErcator Antonius Oliverius 15. Julii 1723. ob nocturnum latronum invadendi tentamentum forti terrore perculſus, poſtridie in febrem incidebat, quæ duplicis, ſed intermittentis tertianæ indolem retulit, cum inſomnibus noctibus, virium proſtratione, oris amarore, nauſeâ, & bilioſo identidem vomitu. Sextâ die febris erat continua cum ſiti intenſa, linguâ bilioſo pigmento oblitâ, urinâque ictericâ. Propinato cathartico multa, ſaturatiſſimaque bilioſa dejiciebat, craſſa, atque in primis ſpumoſa. meliùs habuit. Ad finem ſeptimæ ingraveſcebat, cum urinis impensè croceis, ſimulque flammeis. Inter octavæ initia Phlebotomia inſtituebatur, cujus interea diei terminus turbatiſſimus extitit. Nonę principio exteriora omnia frigida facta ſunt, immerſus enormiter pulſus vix micare videbatur, celerrimus cæterùm, ſummè frequens, & inæqualis, cum lingua ſicca, nigraque, ſqualida facie, & opacis urinis. Accedebant profuſæ per alvum ſeri tenuis & crudi, ferè ſinceri, vix ſubflavi dejectiones : ſudavit frigidum, & lentum : mente non bene conſtabat : ſpiritus aderat gravis. Validiſſimæ ad totam cutem frictiones præſtabantur : Ad dorſum, ſcapulas, lumbos, & femora cucurbitularum, uberiùs indè atque profundiùs ſcarificatarum agmina affigebantur, fortiterque divellebantur. Valentiora propinabantur cardiaca, diaphoreticis alexipharmacis intermixta : diluentia multa ex ſcorſoneræ, ſcabioſæ, contrayervæ & ſimilium additione animata calidè epotabat ; Ut ad finem ejuſdem diei dilutâ

ſatis,

ſatis ; cicuratâque efferatâ , ſimulque in viſceribus concreſcente , eâdemque deleterio penè more laceſſente bile , redditâque ad corporis habitum æquiori ſanguinis undâ, extremitates corporis recaleſcerent, pulſus æqualior, vividiorque redditus elevaretur ; & facies naturali ſimilior evaderet. ſymptomaticæ dejectiones deſiſtebant. Decimâ dormiebat. Aperta vigebat febris : Jamque bilioſis craſſis , & ferè concoctis profluebat alvus. Undecimâ valida febris cum univerſali calore fervebat. Quædam ad dextrum Hypochondrium renitentia. Duodecimâ purgatus eſt. Multa dejecit partim à cathartici ſtimulo expreſſa , & cruda, partim verò concocta bilioſa. Decimâ tertiâ febris adhuc vehemens cum aſſidua ad alvum irritatione crudorum. ad decimæ quartæ principium pauca ſed concocta per alvum fluebant: Hinc critica univerſalis ſudatiuncula cum levamine videbatur ; ſomnoque identidem blandiſſimo perſeverabat febris uſque ad decimam nonam cum largis , concoctiſque bilioſis dejectionibus : Vigeſimâ tandem per opportunum catharticum coctis bilioſis uberrimè excretis , judicatus eſt. Ægrotantem hunc mecum aliquando inviſebat Cl. D. Pacchiaudus Regiæ Matris Conſiliarius & Medicus. Nunc expedit , ad reliqua Guidettianæ Diſſertationis loca reditum facere, atque in eadem Scholiis , noſtriſque Animadverſionibus adhuc exornanda ſedulò pergere. Hęc quidem , præcipuis hepatis , & bilis hactenus exaratis Morbis , eorumque interpoſitis in prolixam ſeriem diſputationibus locum dantes , longiſſimo certè omiſimus intervallo , ac ferè fuiſſe obliti , videri poſſemus. *Cortex Peruvianus quacumque formulâ adhibitus in hisce morbi ſtadiis nullius efficaciæ mihi ſemper viſus eſt , & ſæpe noxius ; ad quem è contrà veluti ad ſacram anchoram confugio , quoties poſt elutriatam bilis cacochymiam , cutis mollitiem ſuam , & perſpirabilitatem adhuc ſervat, & quando exquiſita magis , & mitior eſt Tertianæ indoles.*

Admonitio de febrifugo. Adhibendas in omnibus Bilioſis febribus, earumque diverſis temporibus cautiones in noſtro de occaſione febrifugorum Tractatu fuſiùs recenſebimus.

15. *Quamvis autem ſingulis ferè annis, ut diximus, febres haſce bilioſas æſtate, vel autumno remigrari videamus; aliquando tamen epidemicæ debacchantur, magis exitiales, ut obſervabam anno* 1711. *in oppido Sanbenigni. Febres tunc erant in quovis ſubjecto Tertianæ vel ſimplices à principio, & inde duplices, vel ab initio duplices remittentes, & inde continuæ. Stipabantur omnes ſymptomatibus jam recenſitis, ideſt anxietate, hypochondriorum moleſtiâ, lumborum gravitate ad dorſum propagatâ, capitis dolore pulſativo, nauſeâ, vel vomituritionibus, & ſimilibus. Et niſi in morbi primordiis per ſuperiora evocaretur bilioſa colluvies, tractu ægritudinis excitabantur diarrhϾ bilioſæ ægrè ſanabiles, ſæpè lethales, pacantium, & narcoticorum fræno reluctantes. Mirabile dictu, quantùm profuerit illis avertendis emeticum tempeſtivè datum; quotquot enim eo utebantur cum copiosâ bilioſorum expreſſione, paucis impoſterum egebant ad ſalutem, nec diarrhœis conflictabantur; vel ſi fortè urgebat ultrò febris, per ſectionem venæ malleoli, vel ſalvatellæ ut ſuprà innueram, vel per hirudines ano affixas, decocta amaricantia; cathartica cholagoga, & demùm per febrifuga tutò evadebant. Qui hoc ritu, præſertim emeticis tractari non patiebantur, ferè omnes peribant. Huc ideò non pertinet vulgatum illud Clinicorum axioma:* " emetica citiùs, cathartica verò tutiùs operantur. " *enim verò quum bilioſa cacochylia per æſtatem evocanda occurrit, non modò* " citiùs ", *ſed &* " tutiùs " *opitulantur vomitiones; nam per breviora ventriculi, & œſophagi itinera, accitis muſculorum comprimentium potentiis eliminantur vel è penitioribus viſcerum latebris recrementa hujuſmodi reſinoſa, quæ, ſi catharticis ad anum ducantur per longas, atque anfractuoſas inteſtinorum vias ſolâ actione, heu debiliori virtutis periſtalticæ, ut ut ſtimulis purgantibus*

tibus ſollicitatæ, elutriari difficillimè poterunt, vel non, niſi cum doloroſis tunicarum, plexuſque nervoſi irritationibus, ſpaſmis, atque ataxiis, quæ multa, eaque graviſſima inferunt præjudicia, à recenſitis diarrhœis indigitata.

SCHOLIUM I.

CAve, ne ſubcontinuæ febres, quæ in his conſtitutionibus, & poſt manifeſtas intermittentes irrepere conſueſcunt, tibi ſub perſonâ eſſentialium continuarum imponant, ut neque genuinam earundem naturam, & indicationes aſſequi, neque pretioſas febrifugi occaſiones amplecti valeas. Clar. noſter Guidettus hoc rectè animadvertit, proprioque periculo admonet per hæc ſequentia. *De ſubcontinuis ab eſſentialibus continuis diſtinguendis admonitio.*

16. *Inter has febres pullulabant nonnullæ accidentalem ſervantes anomaliam, quæ tamen eſſentialiter eandem redolebant bilioſarum naturam, iiſdemque virgis erant plectendæ. Per id temporis menſe ſcilicet Junio me quoque aggreſſa eſt hujus indolis Tertiana, quam in ipſis incunabulis ſuffocavi abſque ullâ phlebotomiâ; nam epoto ante tertium paroxyſmum emetico, adhibitis alterantibus hepaticis per biduum, exinde ell. lenit.* ℥x. *Rhab.* ℈ij. *crem. tart.* ʒi *in bolis, & demum febrifugo in fine quinti aſſumpto ſanus evaſi.*

Scriptor noſter obeſum habitum ducit, & pituitoſo-ſanguineam conſtitutionem exhibet; attamen de calore in volis manuum perenni queritur; à calidis, acribuſque alimentis in ſodam, ſeu flatulentam ſtomachi acredinem facilè adducitur; ut ipſe fatetur. *Admonitio de ſcriptore.*

17. *Vix autem ægrotorum lectulis reſtituebar, quum die 28. ejuſdem menſis cœpit febricitare frater meus Canonicus in Eccleſiâ abbatiali ejuſdem oppidi, ætatis ſuæ ſextum agens luſtrum, conſtitutionis ſanguineæ; cujus febris à vulgaribus abludere videbatur; nam licèt ad morem duplicis Tertianæ repeteret, paroxyſmos tamen non præcedebat rigor, non ſequebatur ſudor,*

ſudor, nulla urinæ intenſa rubedo, non capitis dolor [quem tamen inſtar cephalalgiæ paucis ante febrim diebus paſſus erat periodicum à primâ luce uſque ad meridiem quotidie repetentem, & à prandio evaneſcentem] non æſtuatio vehemens, bene tamen ſitis, anxietas, & laſſitudo cum calore ſicco, ſemelque ſudatiunculâ nocturnis horis poſt levem ſomnum. Jugum morboſum quatere ſatagebat, lecto abſtinebat, & aurâ liberiore fruebatur. Quartâ die oris amarore tentatus, hauſit propriâ ſponte ſyr. aur. roſ. ℥iij *cum aquâ cichor. quo ſeroſa tantùm pauca dejecit. Quintus reliquis gravior acceſſit paroxyſmus majorem præſeferens anxietatem, laſſitudinem, pulſus celeritatem, ſitim, vigilias &c.; quare coactus decumbere, medicam admiſit opem jam nimiùm craſtinatam. ſymptomatum feritate motus, adultam febrim chirurgico gladiolo feriendam duxi mane ſexti diei, extractusque ſanguis gelatinoſam referebat ſubſtantiam promiſcuè concretam ramentulis cruoroſis punctillatam citra ullum bilis veſtigium, quod raro in cæteris ægrotantibus dabatur, quorum eductus ſanguis utplurimùm floridus apparebat, aut flaveſcebat. Metuens nihilominus ex jam datâ cunctatione periculum, & quòd ſoluto per auctam efferveſcentiam lymphæ lentore crudeliùs inde irrueret bilioſum virus epidemicum, ſequenti die diluculò, horis ſcilicet octo ante periodum ſeptimam bilis emporium vomitorio concutere ſum aggreſſus. Repetitis vomendi niſibus, eruperunt viſcida multa, pituitoſa, mox crocea, & porracea cum palmari lumbrico, & ſucceſſivè per inferiora adhuc plurima ſeroſo-bilioſa. Hac ſolenni evacuatione ex voto completâ duabus horis ante recurſum febrilem, jam valdè lætabar; aſt fortaſſè quia ſerotina, vel ob peculiarem in eo contractam lymphæ viſciditatem non potuit ſubitaneum ferre levamen, quod permultis attulerat. ſymptomata ſeptimi diei licèt aliqualiter mitiora quoad anxietatem, adhuc tamen erant verenda. Quare mali moris ſuſpicione adductus, cucurbitulas, quarum applicatio aliis ſuperfluerat, huic affigendas opportunum duxi die octavo, tum quia præcluſa toto ferè morbi curſu ſudoribus*

via

via has ſuadebat, tum etiam quia, præter epidemicam cauſam biliferam, acceſſerat tamquam procathartica nocturna per apertas feneſtras refrigeratio ante ægritudinem ſæpiùs captata. His applicitis, nec ſuffragantibus, urgebant ulterius febris, cutis calor deurens, anxietas, jactatio, vigilia, urinæ eoloratiores, & ſimilia. Injiciebantur clyſteres, non omiſſis alexiteriis, & paregoricis diligenti ſervato regimine. Die decimo miſſus eſt ſanguis de ſaphæna ultra libram, nec-dum apparuit ſalutis radius. Noctem egit inſomnem cum mentis emotione, & hypochondriorum tenſione per totam undecimam. Ut ut autem nihil intentatum relinqueretur ad cohibendum delirium, & ulteriorem ataxiam, non datum eſt avertere; imò ſequentem noctem æquè vigilem peregit, & de ridiculâ conſpicuæ per mentis alienationem dignitatis poſſeſſione ovans, lecto contineri vix poterat per robuſtum aſſiſtentem. Unum tandem par omnibus fuit caſſiæ dilutum tribus hauſtibus amicorum induſtriâ deliranti propinatum horis matutinis duodecimi diei, quo, licèt ſedes aliquas Bilioſas habuerit aſſumpto vix reſpondentes, cœpit tamen ſub veſperas minùs febricitare, mente conſtare, & noctu quieſcere; ſic nullo ulteriùs ſuperveniente paroxyſmo, nullâve criſi, omninò convaluit. Ad præcavendam recidivam uſus eſt per dies aliquot pul. chinæ chinæ ʒi. ſal. abſynth. ℈i. in ℥iiij. aq. ſcorzon. bis in die.

Hiſtoria hæc eſt legitimæ pernicioſæ Tertianæ ex efferatâ bile, atque per vaia omnia plurimis pervicacię modis excandeſcenti. Exempla aliquot pernicioſarum hujuſmodi Tertianarum habeas inferiùs in Epidemiâ Bilioſâ anni 1718. Cęterùm inſontem in quibuslibet hominum morbis Lumbricorum in inteſtinis hoſpitantium præſentiam, vel prævıam, vel ſuccedentem ſtationem luculenter demonſtrabimus in peculiari diſſertatione, quæ prelis parata jam eſt: de Tæniâ hominis, aliiſque ejus vermibus. *Admonitio de tertiana pernicioſa, & humanis lumbricis.*

18. *Verùm ex hac hiſtoriâ poſſet quis objicere, me febris malè moratæ ex coagulatione ſanguinis exemplum adduxiſſe potiùs,*

quàm bilioſæ. Nec jam confeſſa diffiteor, cùm ex accidentibus, & concauſſis emergat paritas aliqualis. Attamen hoc aſſerere non erubeſco, quòd, ſi malignitatis larvâ adductus remedia tantùm alexipharmaca appoſuerim, non evocatâ Bilis viſcidâ illuvie, peſſum erat itura tota vitalis machina; particulæ etenim bilis acriores etiam atque etiam per febriles effervefcentias extricatæ, fracto lymphæ lenteſcentis compede per univerſam fluidorum maſſam palantes ſymptomaticam irruptionem, aut funeſtam metaſtaſim attuliſſent, non dubito (datâ epidemicâ conſtitutione) quoties tumidiore torrente datum foret excurrere.

SCHOLIUM II.

De pernicioſis Tertianis ab exquiſitè malignis diſtinguendis Admonitio.

REverà febris hucuſque deſcripta illarum naturam ſortitur, quę (ut ſuperiùs innuimus) apud vulgum malignæ legitimæ, incautè ſatis deprædicantur, quum evincat contrarium univerſalis in crebriori earum dominatu febrium dumtaxat intermittentium conſtitutio; tùm hæ à leviori quocumque cathartico, aut opportunè exhibito febrifugo, citò, tutóque deleantur; nec niſi à majori, aut minori in ægrotantibus liquidorum, aut ſolidorum irritabili indole, mobilitate, elaſticitate, aut Bilis delinquentis copiâ, aut ejuſdem majori, minorive momento, majores etiam, aut minores ſint, earundem febrium, & ſymptomatum feritates, & pervicaciæ. Quamobrem eadem febris, quam nempe ejuſdem naturæ cauſſa progignit, & fovet, nunc veluti ſimplex intermittens obverſatur, nunc duplex evadit; in aliquibus ſimplex ſubcontinua fit, in aliis pernicioſa &c.

19. *Porrò non datum eſt pari ſucceſſu opem ferre difficulter vomentibus, aut uterogerentibus, ideò nec ipſi uxori meæ chariſſimæ, quæ pari febre, parilibusque ſymptomatis ultimâ Julii die ejuſdem æſtatis correpta, ſupparia exigebat auxilia, ni provecta nimis geſtatio obſtitiſſet. Hanc uſque ad diem quintum mitioribus remediis levare curabam; ſed in conſilium vocato Doctore*

ctore præſtantiſſimo, ejus voto celebrata eſt die ſexto phlebotomia de cubito dextero. Poſtridie, ideſt ſeptimo ingruente paroxyſmo, enixa eſt puerum octimeſtrem (qui adhuc biennio vixit) & die morbi decimâ, à partu tertiâ, ſuborta eſt diarrhœa bilioſa pertinaciſſima, freni qualiſcumque à Chirurgiâ, & Pharmaciâ deprompti neſcia, cum lochiorum ſuppreſſione, febri acutâ, & pulmonicâ inflammatione. Perrexit hæc aduſque decimam octavam morbi, ac undecimam puerperii, & ſolo miſellæ interitu maximo omnium mœrore terminabatur.

SCHOLIUM III.

ANtipraxia, ſeu contrarietatis ratio in curatione ſe præbuit. Celere, promptumque primis morbi aleis febrifugi auxilium præceps nimiùm pro morbi infantiâ viſum eſt. Interea procurata à phlebotomo ſuccuſſio ſanguinis Bilis excurſiones augebat. Tum ab adultâ jam redditâ ægritudine, atque à ſuperaddita partus violentiâ ociorique à retracto utero contenti ſanguinis in communem alveum reſtitutione, undè majores impetus, & colliſus morboſæ Bilis cum aliis liquoribus, & præpoſteri ad pectus, & alvum decubitus, redditum inutile febrifugum eſt; quod quidem lochiorum ſuppreſſio magis adhuc renuere viſa eſt. Mors igitur fores pulſabat, heu quantùm irreparabilis!

De antipraxia, ut dicitur, ſeu oppoſita curationis ratione.

20. *Commendatâ methodo per vomitoria, diluentia, paregorica, lenia cathartica, decocta cichoracea, & aliquando febrifuga, centenos eo temporis tractu curabam infirmos feliciſſimo ſucceſſu, quorum perpauci (illi præſertim, qui minus vomuerant) relabebantur, non obſtante autumni maleficio. Quòd ſi Antimonium mulieribus induceret ſterilitatem, ut noſtrum clamitat vulgus, profectò magni criminis reus fuiſſem, talione repercuſſus; mulieres attamen antimoniali emetico à me tractatæ vigent adhuc fœcundiſſimæ, ipſeque poſt ter ſumptum hujuſmodi remedium numeroſæ prolis author fio.*

Anno 1707. *hîc in Patriâ vigebat ipſisſima, ut ita dicam, Epidemia biliosa, quâ affectæ prægnantes, alibanthas adibant. Una ſuperstes fuit Domina Laura Pignoca athletici habitûs recens tunc vidua, quæ geſtationem ignorans, valida quævis admiſit remedia, tàm emetica, quàm ſubductoria, etiam repetitam de ſaphæna ſectionem, hirudines applicitas, & ſimilia cum euphoriâ citra abortum. Exactâ decimâ quartâ, ſuſcepit uſum corticis peruviani ad* ℥ij *bis in die per triduum, exinde ad* ℥j *pro doſi ſemel in die cum conſer. flor. cichor. Mox eruperunt menſtrua copioſa, & bene colorata, quæ per dies quadraginta, quibus utebatur cortice dicto, fluxerunt citra virium labem; imò cum earum reſtauratione augebatur in dies carnoſus, ac floridus totius corporis habitus, ſed & venter tumebat, adeò, ut ipſa hydropem à nimio fluxu obortum pertimeſceret non ſine amicorum cachinno, qui eam pancraticè valentem aſpiciebant. Hujus rei particeps factus, eam diligenter interrogavi, cúmque nil prorſus animadverterem ſaluti oppoſitum monui, ut chinæ chinæ uſum jam ſatis iteratum omitteret abſque timore recidivæ; quo facto, ſtatim ſufflaminatus eſt fluxus, & elapſo ſemimenſe, certior fuit gravidationis ſuæ per fœtus geſticulationes, quem ad conſuetum tempus nonimeſtre ſalubriter geſſit, favente Deo omnipotente, cujus imperſcrutabili judicio ducta eſt manus medica; nam proculdubio, ſi curationis tempore innotuiſſet conceptio, à validioribus remediis abſtinere tenebar, fortaſſe malis ægræ rebus.*

Hoc tamen exemplo non ducor ad credendum, poſſe audacter in uſum vocari allata præſidia uterogerentibus indiſcriminatim; nam reapsè ex millibus una ferendo par eſſet citra abortum. ſingulare hujus mulieris robur in fovendis, ſuſtinendiſque fœtibus jampridem mirabar, cùm contigerit anno 1702. *hanc dyſenteriâ nonimeſtri vexatam, quaſi ſyntecticam concepiſſe, novemque adhuc menſibus inde ſequentibus geſtationem cum torminibus dyſentericis (imò & pleuritidem ſecundo conceptionis menſe obortam, cujus gratiâ bis de cubito miſſus eſt ſanguis) ſuſtuliſſe uſque*

uſque ad maturum puerperium, cujus beneficio plenè convaluit; quod Celſo obſervatum legimus lib. 2. cap. 8. „ Acria tormina „ quidem periculoſa non ſunt, ſi ſanguis, & ſtrigmenta deſ- „ cendunt, dum febris, cæteræque acceſſiones hujus morbi ab- „ ſint, adeò ut etiam gravida mulier non ſolùm reſervari poſſit, „ ſed etiam partum reſervare.

SCHOLIUM IV.

QUemadmodum in Gravidis, quæ biliosâ febre præcipuè de genere intermittentium conflictantur, Peruvianum corticem, alio non obſtante, quàmcitiùs adhibendum eſſe, inferiùs in epidemicæ febris deſcriptione exponemus; ita in iiſdem catamenia regularia, aut irregularia absque ullo diſcrimine perfluere interdum poſſe ex anatomicâ inſpectione compertum eſt, quâ quidem inſtruimur, uterina ſanguinis emiſſaria non tantùm ad fundum uteri, ſed quędam ad cervicem vaginamque aperiri. Cæterùm non eſt medentibus inſolens gravidarum, diuturnis dyſenteriis cum geſtationis incolumitate afflictarum, inſpectio. *Aliqua de inſpectione gravidarum.*

21, *Cùm de provocatis menſtruis à cortice peruviano inciderit ſermo, conticere non debeo me tres alias obſervaſſe mulieres inter uſum dicti corticis abortum paſſas. An id à ſummâ illius amaritie, vel aloëticâ virtute reſerandi vaſorum oſcula proceſſerit; an ab aliis internis cauſſis, utique neſcio; Mihi tamen adeò impoſuit, ut illum Gravidis vix audeam proponere, niſi urgeat neceſſitas. An id ipſum fuerit aliis compertum, ignoro. Hæc obiter dicta ſunto.*

SCHOLIUM V.

UTerinis, aliarumque etiam partium hæmorrhagiis opitulantem aliquando peruvianum corticem perſpeximus: quod ideo directæ ejuſdem ad menſes, & abortus provocandos *De variis peruviani corticis uſibus Animadverſio.*

candos efficaciæ ſuſpicionem delere poſſe videtur. Non inficior tamen (quod Praxis me ſæpiùs edocet) corticem hujusmodi pallidis virginum coloribus, indeque, & menſium ſuppreſſionibus prodeſſe, illis tamen, quibus non frigida, languida, mucoſa, aut obſtruens cauſſa, ſed vaſorum contractio, illaqueatio, &, ut dicitur liberiori vocabulo, *criſpatura*, adauctum uno verbo ſolidorum momentum incunabula præbuit. Revera ſtimulis cicurandis ſpaſmodicis, ſolidiſque hoc pacto ſtrictioribus redditis relaxandis in hypochondriacis, hyſtericis, colicis, ſtomachalibus, ipſiſquemet epilepticis, doloriferis, aut non doloriferis, fixis, aut vagis, univerſalibus, aut particularibus affectibus, in ipſo inſultu, vel ante, aptè ſuccurrit Peruvianus cortex; ut in noſtro de febrifugi occaſionibus Tractatu liquere poterit. In ſpaſmis abdominis univerſalibus, aut ſolùm inteſtinalibus clyſteres ex infuſione Chinæ-chinæ in aquâ ceraſorum nigrorum fauſtè ſublevantes non ſemel obſervavimus. Quod autem antiſpaſmodicum eſt paciferum eſt, & componens, non verò ſolvens, aut impellens.

22. *Sed jam ex inſtituto eſt, ut redeam ad allatam obſervationem ſanguinis extracti per exploratricem phlebotomiam initio febrium bilioſarum. Si itaque non ſincerus, floriduſque appareat concretus ſanguis liberâ inciſione eductus, ſed variegatus, aut lenteſcens ferè gelatinoſus (quod raro æſtivis temporibus, aliquando per autumnum) efferos adeò non metuo bilioſi recrementi raptus, ſed vel à phlebotomia celebrata, aut repetenda levamen accedet, vel ſaltem morbus inducias dabit, ut queat medicus cum minori ſollicitudine ſuppetias ferre. Vomitorium tamen non omitto, niſi ægri naturalis conſtitutio ferendo non ſit, vel vomendo ſit impar, tuncque catharticum cholagogum ſubrogo, reliquiſve remediis alterantibus utor juxta indicationum exigentiam ſervato delectu.*

SCHO-

SCHOLIUM VI.

ET ſanè gelatinoſas cruſtas, aut intimum liquamen rariſſimè æſtatis, & autumni tempore, plerùmque verò Hyeme, & Vere ſanguis extractus exhibet: illis autem tempeſtatibus lucidus ſolùm, durus, compactuſque obverſatur; frequenter abſque innatante ſero, præcipuè in juvenibus, & bilioſo dominatu conſtitutis: aut ſi ſerum innatat, id flavum, & bilioſum eſt, ſeu tamquam urinoſum ſaturatum. *De varia extracti ſanguinis habitudine.*

23. *Quòd ſi febris in ſubjectis non admodum plethoricis, attamen Picrocholis accendatur, in quibus inanis ſit metus, ne vaſa per repetitas vomitorii preſſuras nimiùm diſtendantur, aut rixim patiantur, tunc abſtemius ſum à ſanguinis detractione, utpotè quâ recrementa bilioſa ſemel à ſanguinis conſortio rejecta poſtliminiò revocari ſatis ſuperque ſim expertus decurſu annorum ultra viginti praxeos meæ; quæ recrementa, tamquam exotica non amplius ſortiuntur intimam cum ſanguine miſcelam, ſed ab hoc veluti bajulata varias impetunt partes, & niſi aſſiduis in eas illiſibus diſcerpantur, & validis naturæ conatibus in febrili efferveſcentiâ comminuantur, & diſſipentur, viſcus aliquod, præſertim pulmones adoriuntur, in eoque ſuam ludunt tragœdiam eò ſæviorem, quò graviorem inierint virulentiam à prægreſſâ in latibulis ſuis fermentatione, ita ut (ſi ab animatis ad inanimata liceret aliquando arguere) dicerem vidiſſe nunquam excitatas ab alveario ſuo apes, aut veſpas turmatim irruere in truncum aliquem, vel parietem rapidiori volatu, ac ſoleant ipſæmet bilioſæ particulæ ab infernis latebris excentratæ in ſuperiores erumpere partes per conceſſum in ſanguine ſpatium, & citatiorem circuitum. Nec ineptè ſunt effati Arabes medici vetuſtiores, quum dicerent "ſanguinem eſſe frenum bilis", Malo idcircò vomitorium dato intervallo repetere, interponendo diluentia intùs ſumpta, & applicitos fotus, atque per vices ſubſidia ſan-*

ſanguinem inſtaurantia, quàm totam evertere fluidorum maſſam incautâ phlebotomiâ, quæ ſi ſemel fuerit inſtituta, neceſſitatem affert eam repetendi progreſſu morbi, cum virium jacturâ, & incertâ aleâ.

SCHOLIUM VII.

De vario miſſionis ſanguinis in bilioſis morbis eventu.

EQuidem nullum in medica ſcientiâ auxilium eſt, cui, ſupra miſſionem ſanguinis, tam varii, iidemque oppoſiti effectus in bilioſis morbis debeantur. Bilioſæ ſiquidem febres, earumque graviora ſymptomata nunc per phlebotomiam vehementer exacerbeſcunt, & in ſubitum æger, atque inexpectatum vitæ diſcrimen quandoque projiciatur; nunc ambo promptè expeditéque ſublevantur, nunc ambo intacta, ſibique, ut prius, æqualia relinquuntur. Promovet in deterius phlebotomia, quum, acutis extantibus ſymptomatibus, & febre, delinquens bilis non adhuc diſploſa, ſed facilis, promptaque ad exploſionem, inducto per miſſionem ſanguinis liberiori in arteriis, & venis ſpatio, & tantâ fluendi ſemotâ reſiſtentiâ, quantum eſt emiſſi ſanguinis momentum, vaſa omnia liberiùs diſcurrit, & prætergreditur uſque ad facillimam per peculiares partes ineundam exundationem. Subvenit Phlebotomia quum jam anteà rarefacta, & diſploſa bilis ſanguineum volumen tumefecerat; ipſumque adeò naturalibus vaſorum perimetris impar reddiderat, ut ultra ordinariam menſuram turgens, urgenſque in eorum latera, eruptiones aliquas per corporis partes minitaretur. Tunc ſanè opportunè imminutâ per miſſionem ſanguinis totius univerſalis liquidi mole, depletâque quâdam ejuſdem copiâ, ſuperſtitis cujuslibet liquidi expeditiores evadunt per omnes circulos greſſus: aut modo oppoſito quum nimis compreſſus à vaſorum tenſione bilioſus humor, conſuetæ collectioni, ac ſecretioni obluctatur; quæ inde obtineri poſſunt, inarmatâ per phlebotomiam dictorum vaſorum reſi-

reſiſtentiâ, ſeu, quod idem eſt, imminuto ſolidorum adaucto nimiùm momento. Non adverſor interea proficere ſuo modo poſſe miſſionem ſanguinis, vel per revulſionem in præſenti bilis palindrome, aut epigeneſi à naturalibus viſceribus ad pectus, vel ad caput, undâ hoc pacto vehentis ſanguinis ad partes v. g. inferiores per phlebotomum determinatâ; vel per derivationem in ejuſdem bilis, partem jam nobiliorem aliquam obſidentis, lentâ ſimpliciter indole; quo quidem præſidio ad hanc rationem uſurpato plures removeri poſſunt reſiſtentiæ ad ejuſdem humoris refluxum in univerſalem circuitum. Erit autem indifferens phlebotomia, ſive nihil noxæ, aut utilitatis inducens, quum febrifera bilis, nec rarefacta ſit, nec valeat rareſcere; quæ ideò per vaſa majora, & per viſcera æquali ordine confuſa, poſt extractam ſanguinis portionem eundem adhuc cum ſuperſtite miſturę modum ſervabit. Ad ſummam: in bilioſis affectibus miſſio ſanguinis mala eſt, quum ex antiquorum effato bilioſorum effervescentiam inducit. Quamobrem ſicuti varius vitiatæ bilis ſtatus phlebotomiam nunc poſtulat, nunc rejicit, ita & alia medica auxilia. Quippe bilis duntaxat acrior alkalibus fixis, aqueiſque ſimplicioribus, aut epiceraſticis cicuranda eſt, atque eluenda; combuſta, exſucca, & accenſa ſeroſis refrigerantibus, & attemperantibus corrigenda; lentior excitanda, attenuanda, abſtergenda; frigidior, crudior, ſive inertiùs viſcida calefacienda, ſeu ſalino-ſulphureo-volatilibus, aut amaris aromaticis exaltanda; vel tandem reſinoſa cum enervatâ propriorum ſalium ſaponariâ poteſtate nitroſo-tartareo-diluentibus emollienda eſt; ſulphura enim nonniſi interventu ſalium aquoſo latici immiſcentur, atque cohærent, ita olea ſaccharo, aut ſale imbuta ſolvuntur in aqua communi, quæ aliàs ſeparatim fluitarent. Quòd ſi morboſa bilis concocta ſit, aut turgeſcens, catharticis promptè expianda venit, aut ſi per febriles circuitus ferociens, febrifugi incantamento coarcenda.

24. *Antimonii nomen horrendum, vomendi actio nimis incommoda, inconcinna, & inurbana, nobilibus perſonis adeò ſunt exoſa, ut piaculum ſit medicis id remedii genus eiſdem proponere; intereà plurimi eorum moriuntur, qui, ſi per datum apto tempore emeticum permiſiſſent gutturi ſuo concuſſiones nonnullas, orci fauces teterrimas evadere potuiſſent,*

SCHOLIUM VIII.

Pro vehementiori moderando vomitu præſidium à cucurbitulæ admotione.

IN vomitibus per artem vehementiùs excitatis; aut ex contumaci internâ cauſsâ præcipuè biliosâ acriùs exſtimulante, opportunum, fauſtumque ſemper auxilium expertus ſum ab admotione, horis aliquot protractâ, cucurbitulæ ad epigaſtricam regionem: quod etiam remedii genus catharticis potionibus, aut alimentis, ſi facilè per vomitum rejiciuntur, in ventriculo aſſervandis præſtantiſſimum extat. Et ſanè diſtentis, atque elevatis à cucurbitulæ opere communibus integumentis, concluſus ventralis aër rarefactus, ac diductus ſuum ad ventriculi latera preſſionis momentum valde deperdit; Hinc hæc ſtomachalis utris latera à validiori ejus accubitu liberata, commodiùs ad exteriora ſe dilatando ſtatum induunt oppoſitum vomitui, qui nempe in retractione ad interiora conſiſtit. Ceſſat ideò ad illud tempus tota actio vomendi, ut ut ſuperſtes ſit vomendi ſtimulus.

25. *Expiatis per ſuperiora choledochis, ſaltem quantum dari potuit, ſatago per repetitos alterantium hauſtus ſubſidentem adhuc cacochyliam diſponere ad evacuationem alvinam per catharticum exhibendum, ut brevì poſſim peruvianum corticem, aut aliud febrifugum implorare, dummodò urinæ ſaturatiores, aut ulla ex antedictis conditionibus uſum ejus ocyorem non vetent.*

SCHO-

SCHOLIUM IX.

QUibus in caſibus febrifugum præſidium ad febres exigatur ante extranei ſucci pręparationem, imò & vigente urinarum ſaturatione, in tractatu de occaſione febrifugi abundè diſcutiemus. Quòd ſi cæterùm prolonganda veniat febrifugi adminiſtratio, fert omne curationis punctum alternatio præparantium remediorum, atque catharticorum. *Alia de febrifugo admonitio.*

26. *Febrifugi formula mihi familiaris hæc eſt, vel parum abſimilis conſer. flor. cichor.* ℥ij *pul. chinæ-chinæ* ℥j *theriacæ Andr.* ℥iß *ſal. abſynt. & card. bened.* ā. ʒj *cum ſyr. è ſucco cichor. vel endiv. f. electuarium, de quo cap. æger* ʒiij *pro doſi bis, vel ter in die horis ij ante cibūm, vel horis electis juxta ordinem paroxyſmorum. Sæpè immiſceo ſalem cent. min. vel pulv. ejuſdem centaur. min. exſiccat., imò aliquando in gratiam pauperum hoc ſolo pulvere cum conſervis, & Theriacâ in electuarium redacto fæliciter uſus ſum, ſicut & pulvere gentianæ.*

SCHOLIUM. X.

SOla totius ſubſtantiæ febrifugi corticis uſurpatio efficax eſt, cùm tota poteſtas in toto corticis compoſito conſiſtat. Ita inutilia deprehenduntur ſalia chinæ-chinæ, ſpiritus, phlegmata, aliaque ejus principia per Chimicam Analyſim, elicita; atque idcirco febrifugi penſum abſolvunt corticis hujusmodi extracta, tincturę, & infuſiones, quia integras adhuc, neque in eſſentialibus principiis ſolutas ligni hujuſmodi particulas ſecum addunt, & in ſanguinem deferunt. Non ita tamen res eſt de lignis aliis, radicibus, ſeminibus, fungis, aut productis à ligno reſinis, purgandi facultate præditis; quorum quidem determinatis duntaxat particulis, putà reſinoſis, tota agendi ratio demandata eſt: *Facultas febrifugi corticis non in determinatis partibus, ſed in toto, earumque omnium ſervatâ unione conſiſtit.*

ut in jalappa, elleboro, carthamo, agarico, ſcammonio &c. ex quibus igitur extracta, magiſteria, aliaque in minorem doſim, quàm totum mixtum adhibeatur, uſurpanda conficiuntur. Cæterùm febrifugis ex peruviano cortice miſturis ſolidiuſculis efficaciſſimo ſucceſſu Ammoniacum ſal, interdum & Tartarum vitriolatum, camphoram inſuper & myrrham in complicatis præcipuè mulierum debellandis febribus, fœderamus. Frequenter convenientiora purgantia, præcipuè rhabarbarata adjicimus, quum nempe ante purgationes radicitùs inſtituendas ocyùs adhibetur febrifugum.

27. *Pleuritides; vel Peripneumonias, imò meliùs Pleuropneumonias febribus antedictis ſupervenire graviſſimas non ſemel advertimus, quæ licet aliquando pſeudopleuritides audiant, vel apparentes peripneumoniæ cum dolore vago ad alterutrum latus, vel ad coſtas nothas, vel nullo; tuſſi ſiccâ, & inani, aut cum ſputo tenui, albo & ſpumoſo, aliquoties ſubcruento, aut ſubflavo, & ſimilibus, reapsè tamen veræ ſunt bilioſi recrementi exorbitantiæ, & metaſtaſes, ferè eryſipelatoſæ, quæ brevì interdum ægrum de medio tollunt. Has hiſce oculis egomet vidi in diſſectis cadaveribus, ut infrà enarrabo. Inflammationes hujuſmodi non modò pectoris, ſed & capitis, & abdominis internas partes afficiendo illæ eædem ſunt, quibus imputandum eſt malignarum febrium plerarumque ingenitum venenum, non aliunde delatum. Bilis etenim à naturali ſuâ craſi deflectens, ſi à fluidorum maſſâ abſcedat, nec ſtatis temporibus, moruliſque per ſecretoria vaſa elutrietur, aſt immorari cogatur, ideóque & fermentari, deleteriam adeò naturam ſæpè acquirit, & furorem, ut tamquam virus exoticum ſummè veneficum non modò interna viſcera pervadendo conficiat, ſed & non raro è choledochis ſuis rupto aggere affatim erumpens horrenda infligat pathemata, ut obſervavi in aliquibus febricitantibus annis* 1704, 1705, 1707, *qui in ipſo Tertianæ paroxyſmo bilis ſinceræ vomitu, vel cum ſimultaneis alvi irritatio-*

tationibus correpti , à morte revocari non potuere , quovis aptato ſubſidio; " Hinc Hippocrates de loc. in Hom. Bilis ſi ſua
„ ſponte aut infrà , aut ſuprà proruperit difficiliùs ſedatur. „
Quod ſanè in emetico millies exhibito nunquam eveniſſe affirmare jam poſſum; vel ſaltem ſi vomitiones ab hoc excitatæ modum aliquando exceſſerint , mox ingeſto uno , vel altero cochleari mixturæ ex Theriac. ℥j *ſal. abſynth.* ℥j *elixir propriet. & laudani liquidi ā. gut. xvj in aq. totius citri , vel alterius gr.* 5. *brevì ſiſtebantur cum ingenti ægrotantium euphoriâ , & commodo ; ut ſuadet laudatus Cous de locis in homine pag. mihi* 419. 30.
„ Quòd ſi vomitu affectus debilis fuerit , à vomitu medi-
„ camentum ſomnum concilians exhibeto. „

SCHOLIUM XI.

AD finem Septembris 1719. D. *Andreis* ætat. ann. 47. vehementi irâ , mœrori conjunctâ corripiebatur; atque graviſſimum prius cibi faſtidium , hinc febris periodicæ naturam ſimulans ſuboriebatur , quam ad ſecundi circuitus finem dexter ſubſcapularis punctorius dolor ad poſteriorem hepatis regionem protenſus , atque identidem ſub mamma correſpondens excepit ; ſubitaque bilis cum pulmonico muco implicatæ multoque ſanguine immixtæ facilis , & larga per tuſſim ejectio cum pectoris angore , & notabili anguſtiâ viſa eſt. Ad imminentiam , imò potiùs principium ſymptomatici phlegmonoſo-bilioſi decubitus in pulmones , ſanguinem detraho. viget cruentum, mucoſum, bilioſum ſputum , tuſſis tamen conatibus uber , atque facillimum. Miteſcit febris , atque evaneſcit dolor ; ſed ſimul anguſtia ſpirandi uſque ad ſtertoroſam attingendam orthopnœam invaleſcit. Huic tamen uberrimis oleoſis præſidiis proſpicio ; Horumque ſubſidio largâ pleuriticæ bilis procuratâ anacatharſi, imò, & leviuſculâ ſuccedente per alvum, atque ſubflavâ excretione , febri ante ſeptimam judicatâ , ſputoque

Hiſtoria pleuritidis biliaris ab ira.

Mmmm 3 uſque

uſque ad undecimam perdurante, pulmo tandem à quolibet morboſo effectu expediebatur. Sola ad aliquot dies ſuperſtes inappetentia fuit. Ita morbus eò deſiit, undè cœperat. Ite jam medentes viri, bilioſas metaſtaſes, palindromes, anadromes, epigeneſes ſuper antiquorum conſummatiſſimas præceptiones ad ægrorum lectulos, ritè aptéque perpendite, & in bonam praxim redibitis.

28. *Pulmonicæ affectiones hujus farinæ à bile præfervidâ impingi poſſunt citra medentis culpam; attamen ſæpè ſæpiùs Chirurgi lanceola, ut jam dixi, illis reſeravit fores, quando nempè non promotâ priùs ſufficienti eructatione bilioſorum in morbi exordio, inſtituitur venæ ſectio in bilioſis cacochyliis, quod facilè adeò non continget per etiam iteratas phlebotomias dictæ expiationi poſtpoſitas, ubi fiat opus, & indicatæ videantur.*

SCHOLIUM XII.

In biliari morbo quando ſit miſſio ſanguinis inſtituenda.

CUm igitur in principio morborum, Bilis inſurgentes æſtuationes, aut copiæ, attemperantibus, vel blandè laxantibus proſpiciendæ ſint, non autem ad excurſus, & impetus per vaſa ſanguinis adigendæ ablatione reſiſtentium, atque obturantium ſanguinearum particularum per phlebotomias inſtituta, opportunè referendus videtur textus ille Avicennæ: *Phlebotomia multoties facit febrim, & multoties facit putrefactionem*: & ille Zacuti Luſitani: *In febribus bilioſis venæ ſectio, extracto ſanguine, qui ſuâ benignitate, & temperie humoris bilioſi acrimoniam retundebat, cholericorum ebullitionem facere poteſt*: Repeto, quod ſuperiùs in genere animadvertebam. Bilis, quæ poteſt metaſtaſim facere, nullo modo miſſione ſanguinis movenda eſt: quæ facit, aut fecit, phlebotomiâ moveri poteſt. Cave à bile poſt pulmonicum decubitum adhuc turgeſcente, & caput minitante: *Lateris dolor cum ſputis bilioſis temerè, ac præter rationem evaneſcens,*

neſcens , ægros in vehementem , & furioſam animi commotionem agit: Hippocr. Prædict.

29. *In curandis affectionibus hiſce peracutis non Doctorum hypothetica ratiocinia , ſed cautum me fecerunt experientia, & ocularis inſpectio, neque mihi ſatis probata eſt Doctorum quorundam traditio , quæ ſolis ſpiritibus peculiari veneno infectis , aut ſalium acidorum , & alcalicorum luctæ per tumultuariam ex primorum aculeis in alterorum poros , & ſinulos vi inductis aggreſſionem , & ſuccuſſionem , febrim , & quodlibet exurgens ſymptoma , aut phlogoſim deberi docet , ablegatis humoribus ; quare herculeo corticis peruviani antidoto profligandas iri indiſcriminatim hujus notæ ægritudines ſuadet , præviâ tantùm venæ ſectione ad delendam ſpirituum, aut efferatiorum ſalium ſpasmodicam ataxiam. Enim verò ſubtiliores fluidorum particulas (quæ ſpiritus audiunt , & ſalia volatilia) utpotè activiores , magiſque mobiles , eſſe paratiores ad concipiendam deflagrationem , & excandeſcentiam , atque impetus promovendos non inficior ; cauſſa tamen continens harum febrium & morborum ab ipſis dependentium (in hoc cenſu non veniunt febres ab inſolatu , & animi pathematis , aut verè malignæ , aut peſtilentiales , aut ab aſſumpto veneno , & ſimiles) humoroſa ſat eſt , magiſque adhuc materialis , incendii tamen capax , cujuſmodi bilis eſt præ cæteris omnibus. Quare ad earum curationem rectè dirigendam utiliores ſum expertus Veterum Humoriſtarum animadverſiones praxi meæ magis reſpondentes , quarum nonnullas ad rem hanc omnino pertinentes non tædeat recenſere.* Hippocrates hæc habet in Coac. Prænotionibus ſect. 3. num. 491. „ *Lateris „ dolores in febribus tenuiter conſiſtentes , & abſque ullâ ſigni„ ficatione venæ ſectio lædit , ſive averſum à cibis animum, ſi„ ve ſublata præcordia æger habeat. Quin etiam in corporis per„ frictione torpeſcentes , non ſine febre ſanguinis detractio lædit, „ & cùm videantur leviùs habere moriuntur.*

SCHO-

SCHOLIUM XIII.

De Vana acidorum, & alcalium ad explicandos naturales hominis, & præternaturales ſtatus Hypotheſi: & quomodo accipiendæ ſint eorum poteſtates.

INdoles acidorum, & alcalium, quæ quidem ſalia architectonica à plurimis naturalium omnium, & præternaturalium rerum inſtrumenta reputantur, tota hucuſque non bene comperta fuit; aut ſaltem non rectè explicata eorum diſcordia. Si pugnant appoſita Alcalicis Acida, cur alterutra homini intromiſſa, propriis, iiſdemque efferatis contrariis conciliare pacem, profertur? Et ſi pacem ineunt occurſantia in homine alcalicis acida, veluti quod à primis altera tamquam gladii, novaculæ, acus, aut cuneoli, abſcondi, & involvi queant; Cur igitur extra hominem luctant cum alcalicis acida? Non igitur ſanum eſt conjicere, ſalia, acida, & alcalia dicta, ſeu ſalia propriè hoſtilia, fixa, volatilia, aut media, quum fluorem adepta, ac debitâ ſtatione, debitoque ſpatio donata in ſe invicem occurrunt, deprælíari inter ſe, quòd primorum cuſpides in alterorum poris intricentur, tamquam in vaginis gladii; nam ſic amborum potiùs quies, & pacifica iniretur compoſitio, omniſque ulteriorum motuum facultas adimeretur: ſed potiùs totius diſſidii cauſſa repetenda eſt à diverſis amborum figuris, & molibus, diversâ in conſequens ſuperficie, diverſoque cohęrendi niſu, & vario compoſitionis momento centripeto, ut hoc pacto nec ſitus, aut ordo æqualis comparari ab utriſque poſſit, neque alia juxta alia locari. Hinc utraque variis laterum modis juxtà poſita, variaſque per lineas motuum obliquè, aut oppoſitè ſe invicem impingentia, eò uſque digladiantur, quò variè invicem in propriis ſuperficiebus immutata, jacere ſimul queant, vel attrita nimiùm, & confracta, tamquam ſaucii milites è prælio, & acie procidentes, ob dirutas cum molibus vires, non ob initam pacem confuſa ſimul pręcipitentur, atque impotenter quieſcant. Ita poſt quandam acidorum, & al-

& alcalicorum ſalium luctam, immixta amborum fragmina in tertiam enixi ſalini corporis ſpeciem tacitè coaleſcunt. Quòd ſi contrarii fautores ſalia alcalina, non minùs quàm acida, eſſe naturaliter cuſpidata depromunt, placitum noſtrum magis adhuc confirmant: interea notatu dignum eſt, duplex extare alcalium genus, alterorum ſcilicet, quæ obtuſa, vacuaque ſimpliciter ſunt, alterorum, quæ ſolidiora, rigidiora, & aſpera: Illa terrea corpora, ac merè paſſiva: hæc propriè ſalia, acidis non ſecùs activa, ſæpe & activiora. Prima quidem ſe acidis in quendam, ut ſuprà, vaginæ modum fortaſſe præbere non diſſentirer; ut quum corallorum pulveri ſuperfunditur acetum. ſed altera, ut ſal Tartari eliquatum cum ſuperaddito vitrioli ſpiritu immaniter efferveſcens, alio modo ſe gerere, neque diſſimili à propoſitâ hypotheſi explicari poſſe, omnino putandum eſt. Hanc digreſſiunculam famoſis ſalium hujuſmodi per praxim, & Chimiam diſcordiis, eiſque toto numero ſuperductis paradoxis debebam. Sed de invalentiâ horum principiorum ad naturales, aut præternaturales res perficiendas, aut explicandas conſulantur David de Beke, Barnerus, Tachenius ipſe, ipſeque Bohnius, & alii.

De tempore non mittendi ſanguinis in biliosa pleuritide.

Cæterùm ut eò redeam, undè digreſſus ſum, atque Hippocraticam à Guidetto allatam ſententiam cum aliis ejuſdem Præceptoris textibus confirmem; In morb. vulgar. lib. 6. ſect. 7. iſta leguntur: *Incruenta ſpuentibus ſanguinis detractionem prohibet anni tempus, lateris dolor, bilis*: Dicit Senex: *Incruenta ſpuentibus*; non verò in cruorem ſpuentibus, quippè ſputa ſimpliciter cruentata ſuo jam pollêre poſſunt coctionis gradu: quòd ſi meracus ſanguis à pulmonibus per ſputa ejiciatur, tamquam ab inflammatoriâ Hæmoptyſi, aut etiam phlegmonosâ pleuritide ortum ducens, ſubitam ſanguinis miſſionem depoſtulat. Prohibet igitur *bilis*; quæ ſcilicet facilè, & copiosè in principio morbi cruenta ſpuentium è pulmone ejiciatur: nam idem affert in 2. Prognoſt.

Nnnn *Fla-*

Flavam bilem ſputo admodùm permixtam apparere intra initia bonum : Quo quidem effato flavam Bilem cruentis in ſputis inter initia apparentem celere jam coctionis principium, aut plurimam ad coctionem aptitudinem exhibere, proindeque miſſione ſanguinis non eſſe interrumpendum naturæ inchoatum opus, intelligit. Prohibet inſuper *lateris dolor*, ſi quidem, ut ſuprà effatus Hippocrates fuit, *tenuiter conſiſtens*, ſeu levior, & vagus appareat, neque acutus, & punctorius. Prohibet denique anni tempus, ſi nempe æſtivum ſit, cum bile ad ſubitos, efferoſque (ut alibi innuebamus) ex detractione ſanguinis ineundos impetus, & orgaſmos aptiſſima. Symptomaticam autem hujusmodi bilioſarum pleuritidum à vitiato hepatico bilis fonte naturam deſignare Hippocrates non dubitat per illa: *ſive averſum à cibis animum, ſive ſublata præcordia æger habeat.*

30. *Hujus ſectator Martianus inter Veteres expertiſſimus hæc addit :* " *Præfatos dolores ſæpiùs obſervavimus in praxi modò il-*
„ *lam partem pectoris infeſtantes vagè aliquando deſinentes, &*
„ *paulò pòſt inſurgentes (id, quod importare verba illa Hippocr.*
„ *tenuiter conſiſtentes, puto) in quibus alii cibos faſtidiebant,*
„ *bilioſâ materiâ os ventriculi infeſtante; & his dolores partem*
„ *ſiniſtram lateris plerumque occupant. Alii hypochondrium dex-*
„ *trum in tumorem elevatum ſine manifeſto dolore ad conta-*
„ *ctum invenimus, & his dolor partes dextras potiùs infeſta-*
„ *re ſolet, utroſque levi purgatione ſedatos eſſe vidimus, non*
„ *dubitantes à venæ ſectione lædendos fore, utpotè per eam in*
„ *venas evocaretur humor bilioſus, undè majus malum. Hæc ille Antiparalog. fol.* 21. „ *Feliciorem eventum ex vomitione bilioſa pollicetur Riverius Prax. med. lib. VI. cap. II. pag. mihi* 104: " *Vomitus bilioſus, & copioſus in principio pleuritidis*
„ *ſalutem prænuntiat. Levata enim natura ab illa evacuatione*
„ *bilioſæ cacochimiæ morbum faciliùs ſuperat.*

31. Doctiſſimus Ballonius Epid. lib. I. pag. 78. habet :
„ *Major eſt pars pleuritidon, & dolorum lateris tum à conge-*

„*ſtione*

„ *ſtione cujuſdam excrementi in pulmonem, & thoracem, tum*
„ *ob recurſum tenuioris humoris per orgaſmata à ventre inferio-*
„ *re &c., quod diligenter videndum, quoniam plerique non au-*
„ *dent purgare, & ſolvere ventrem; at ſæpè hoc plus con-*
„ *fert, quàm phlebotomia, imò tunc ſectioni locus non eſt,*
„ *niſi fortè ſemel id fiat.*

32. *Inflammationes pulmonicas bilioſis febribus ſupervenientes præpedire potis eſt propoſita medendi methodus, quâ explorato ſemel, in re dubiâ, ſanguinis ſtatu per phlebotomiam, bilioſa colluvies initio febris per vomitum magnam ad partem evocatur, niſi quid obſtet, ferè ante tertium paroxyſmum, & ſuperſtes in corpore cohibetur memoratis auxiliis diluentibus cichoraceis, paregoricis, anodynis, & cortice peruviano &c. His tempeſtivè inſtitutis, ſi nihilominus ſuboriri videantur metaſtaſes pulmonicæ, aut hujuſmodi, tunc profectò à venæ ſectione non abhorreo, ſed hanc pro morbi acutie repetendam volo. Et reverà ſanguis, non ut anteà, ſincerus extrahitur, ſed vel qualis aliàs extrahi ſolet legitimâ pleuritide affectis, vel gelatinoſo-flavus, vel glaſteus, vel plumbeus.*

SCHOLIUM XIV.

Alvinæ biliares excretiones quando in pleuriticis biliaribus inflammationibus evadant proficuæ.

Pleuriticas inflammationes bilioſis febribus, & bilis irruptioni in pulmonem ſupervenientes facilè per alvinas excretiones eaſque biliares retrahi affirmat Hippocrates in Coac. prænot: *Quibus in febribus dolore Lateris fiente, alvus multa aquoſa, & bilioſa egerit, hi alleviantur.* Sed hîc eſt annotandum, Hippocratem dicere *dolore lateris fiente*, non autem *facto*; ut diſtinguat hoc pacto bilioſas pleuritides, quæ vel ab irritatione noxii humoris, in primis viis degentis, & ab his ad Thoracem aſcendentis excitantur, vel ab eodem humore, pulmonibus quidem jam impacto, ſed adhuc mobili, turgente, in orgaſmum adacto, ab illis, quas arcta nimis ejuſdem humoris in eodem viſcere ſyſtrophica

concretio cum inflammatoriâ ſimul ſanguinis habitudine comitatur; in quarum quidem principio à quibuſcumque purgantibus abſtinendum eſſe in IV. Acut. docet: *Quicumque ea, quæ inflammata ſunt ſtatim in principio morborum medicamento ſolvere aggrediuntur, hi de intento quidem, ac inflammato nihil auferunt; non enim remittit affectio, quæ adhuc cruda eſt; quæ verò morbo reſiſtunt, & ſana ſunt, colliquefaciunt.*

Quomodo bilioſæ, eſſentiales, aut ſymptomaticæ pleuritides à ſanguineis, aut aliis quibuſlibet diverſi generis, aut pleuritides in genere ab hepaticis affectibus, interſtinguendæ ſint.

Cæterùm, multâ medentibus ſagacitate opus eſt ad interſtinguendos lateris dolores cum febre; cùm hi nunc à phlegmonoſa exquiſita, nunc à biliari pleuritide, interdum ab eſſentiali, quandoque à ſymptomatica, neque infrequenter inſonte pulmone, aut vix in irritationum conſenſus perducto, ab hepatis phlegmone, aliove etiam minori affectu originem ducant. Et ſanè vel ab ipſo Hippocrate primo intuitu videntur confundi: Nam cùm à Senis oraculis ſæpe prolatum ſit, dolores lateris cum acutâ febre, & ſpirandi anguſtiâ, quò magis ad ſuperiora verſùs claviculam, & jugulum aſcendunt, eò ſyſtrophicum magis, ſeu primarium pulmonis morbum patefacere; quò plus ad hypochondrium extenduntur, eò primariam in naturalibus viſceribus affectionem indicare, &, ſi quà ſit in thorace vitium, ab illis per irritationem propagari; hinc pleuritides in aſcendentes, & deſcendentes dirimantur, quarum primis phlebotomiâ, alteris purgatione proſpiciendum veniat; interea ex eodem Hippocrate dolores laterum cum febre ad jugulum, & claviculam cum ſpirandi difficultate protenduntur, totam mentientes pleuritidem, qui verè ſyſtrophes pulmonicæ non ſunt, ſed hepatici phlegmonis, aut hepatitidis ſymptomata. *Morbus hepaticus: dolor acutus in hepar incidit, & ſub ultimas coſtas, & in humerum, & in claviculam, & ſub mammam: & fortis ſuffocatio tenet &c.* ut in jecoris *phlegmonis*, atque *hepatitidis* Tractat. ſuperiùs attulimus. Attamen divinus Senex in hoc ſtatim, aliiſque plurimis locis pleuri-

ticum

ticum ab hepatico dolore internoſcendi modum inſinuat. *Aliquando lividam bilem revomit, & rigor, & febris primis diebus debilior habet, & dum tractatur hepar, dolet.* Quamobrem, quemadmodum hepatitides, licèt principio per dolores, tenſiones, & ſtimulos ad adnexas, attiguas, aut etiam diſſitas membranas protractos, pleuritidis ſpeciem mentiantur, per varia in primis viis bilioſa tripudia, æſtuationes, lumborum ardores, ſitim, aſſiduam oris amaritiem, croceas, aut etiam lateritias urinas, ſaturatas biliares alvinas excretiones, aliaque ſimilia, & propria inſuper ſymptomata abundè manifeſtantur; ita ad bilioſam eſſentialem, aut ſymptomaticam pleuritidem à ſanguinea, aut aliâ quâlibet diverſi generis interſtinguendam, videndum eſt, num in ægro acutum affectum bilioſa præceſſerit cacochylia cum pleno, gravique corporis habitu in lurido-ictericum vergente; Aut naturalium coctionum delinquentię, in flatuoſas dyſcraſias faceſcentes cum adſtrictâ alvo, inappetentiâ, nauſeâ, hypochondrii dextri tenſione ac veluti conglobatione, & ſimilibus.

Ex his igitur varia etiam ſigna deduci poſſunt, quibus proclive ſit, ſymptomaticam bilioſam pleuritidem ab aliis diverſæ naturæ, præcipuè ab eſſentiali, & inflammatoria diſcriminare. Ita Doctiſſimus Sennertus Tractat. de pleurit. hæc ſigna profert bilioſę ſymptomaticæ pleuritidis: *Si bilis adſit, ſputum eſt ſubflavum, dolor admodùm pungens, febris eſt acuta, & ardens* (intellige in progreſſu morbi) *quæ ferè typum Tertianæ ſervat, ſitis eſt vehementior, pulſus durior, & velocior, vigiliæ, & anxietates majores, urina citrina, tenuior.* Duo inſuper ab optimo Sene adducuntur propria bilioſæ ſymptomaticæ non exquiſitæ pleuritidis; rigor nimirum, & febris primis invaſionis aleis valdè mitiores. Hęc ſiquidem in exquiſitâ pleuritide vehementiſſima protinus ſunt: & ſicuti rigor inopinatò adoriens, & affectionem inchoans, quò ingentior eſt eò majorem inflammationis gradum teſtatur,

ita & acutior febris rigorem ſtatim excipiens. Neque deficiunt in ſymptomaticâ biliari pleuritide tenſio quædam ad dextrum hypochondrium, & ſubobſcurus ibidem dolor, præcipuè à contrectatione ſenſibilis. Atque hæc, poſt diffuſiora alia, quæ proprio tractatu ſuperiùs collegimus, dicta ſunto de ſymptomaticâ biliosâ pleuritide, cujus principium, & augumentum, ſeu ante quartam diem, & ſeptimam, non ſolùm tolerant, ſed apprimè exigunt purgationem, contra ac exquiſitæ, ſeu eſſentiales, & phlegmonoſæ, imò & catharrhales ſyſtrophicę, quæ ut plurimùm in principio, aut augumento per catharſim tentatæ violentiùs concutiuntur, atque in fortiores ſtaſes adiguntur.

Habitudo extracti ſanguinis in eryſipelate.

Quod ſpectat ad inſpectionem extracti ſanguinis fateri poſſum non minùs in bilioſo pulmonum, quàm alio quolibet per alias hominis partes eryſipelate inſpectum ejuſcemodi ſanguinem ſtriis bilioſis, flavis, viridibus, ærugineis magis minúſve in ſuperficie variatum plerumque vidiſſe.

33. *Quando metus eſt ne pulmonibus inflicta jam ſit phlogoſis, quamvis nulla ſit facta bilioſa eructatio per ſuperiora, malo tunc parcere vomitoriis ne per violentos niſus, atque ad ſuperiora impetus altiùs agatur inflammatio: ſicque præviâ de inferioribus venis phlebotomiâ leve catharticum exhibeo ex decoctione tamarind. & Rhei in decoc. pectoral. addit. caſſiæ rec. extrac.* ʒvi *ſyrup. roſat. ſolut.* ℥ij; *vel caſſiæ dilutum repetitis hauſtibus, prout major, vel minor viſcerum fervor indicare videtur. Mox bol. ex conf. hyacinth. rob. ſambuci cum granis aliquot camphoræ, nec non emulſiones ex ſemin. frig. ſem. pap. alb. ſal. prunel. cum ſyrup. papav. rhead. & laudan. liquid. in aqua convenienti propinari jubeo. Juſcula herbis pectoralibus, & hepaticis medicata non omitto; ut nec mitiora cardiaca antipleuriticis immixta.*

SCHO-

SCHOLIUM XV.

IN fellea pulmonum phlogoſi, præ aliis omnibus, prodeſſe egregiè videntur oleoſa præſidia, cumulatim, vel partitè propinata. Hæc ſanè reſinoſam bilem placidè & pacatè ſolvunt, exſtimulantem infringunt, atque ab ejus cuneolis intentum ſolidum emolliunt, ferventem temperant, abſtergunt impactam; tum per inferiora, aut etiam blandè per vomitum deturbare apta ſunt. Quòd ſi pleuriticus dolor nonnihil ſub transverſo ſepto deſcendat, emollientes fotus plurimâ cum utilitate adjiciuntur.

Oleoſorum præſidiorum ac fotuum utilitas in biliari pulmonum accenſione.

„ 34 Paucis repeto: ubi præſens eſt Bilis orgaſmus in viſ„ceribus abdominis, huic ſtatim delendo omnino ſtuden„dum puto per idoneas excretionum vias, videlicet per ſu„periores, ſi nauſea, anxietas, cordis moleſtia, jectigatio, „hypochondriorum, lumborumque gravitas, aut ſimilia „comperiantur, & naturalis ægroti diſpoſitio obſequatur; „Per inferiores verò, ſi inteſtinorum murmura, humo„rum turgeſcentia, aut devergentia ad alvum id ſuadeant; „magis adhuc ſi preluceant pepaſmi, aut fluiditatis mate„riæ ſigna; maximè ſi naturalis reſiſtentia ad vomendum „dehortetur emetica. In quibus omnibus religiosè ſervan„da ſunt magni Senis præcepta ſect. 4. Aph. 4: 6: 7: 10: „18: & ſect. 1. Aph. 21, & 22. Secundo loco compeſcen„dus eſt motus, & caſtiganda acrimonia bilis ſuperſtitis, „quæ per febriles commotiones appulit ſanguini, vel ap„pellit; Id aſſequimur paregoricis, demulcentibus, dilu„entibus, & abſterſivis. Hæc ſi opportunè præmiſerit Me„dicus, poterit curationem in reliquis perficere quavis me„thodo rectè inſtitutâ cum, & ſine phlebotomiâ, ſæpè „etiam ſolo cortice peruviano. Quod ſanè haud aſſeque„tur, ſi ipſo febris principio ſymptomatum ſyndrome per-

„territus

„ territus chirurgicis ictibus dimicando nitatur morbum „ confodere, ut videre eſt in hiſtoriis ſequentibus.

„ 35. Anno 1709. Menſibus Februario, & Martio (quos „ pręceſſerat gelidiſſima Januarii conſtitutio oris etiam maritimis propagata) in oppido Sanbenigni, ubi tunc medicinam faciebam, truculenta febrium, pleuritidumque ſoboles populariter graſſabatur (eandem luem ad idem tempus per totam Italiam, aliaſque regiones diffuſam, referunt); ad cujus profligationem repetita venæ ſectio, ut mos eſt, de brachio implorata aliquibus erat valde proficua, aliis indifferens, pluribus noxia; ſic & ſanguis extractus diverſam in hac triplici ægrotantium ſpecie exhibebat ſuperficiem, & conſiſtentiam; Quibus miſſio opitulabatur, fibroſa ſanguinis portio in diſco concreta fortiter compacta duro obtegebatur chorio, puris colorem „ ęmulante, innatabatque expreſſo circumquaque ſero inſtar „ fungi vetuſtioris lixivo immerſi, ut oppidò conſpicimus „ in veris atque exquiſitis pleuritidibus: & reverà hujuſmodi pleuritici dolorem in alterutro latere magis fixum, magiſque acutum percipiebant cum duritie pulſantis arteriæ, tuſſi, ſputo cruento, & ſimilibus; pariterque remedia antipleuritica, paregorica, bechica, & venæ ſectionem, ut „ jam dixi, bene ferebant.

36. Quibus venæ ſectio erat indifferens, ſanguis eductus „ gelatinoſam æqualiter & promiſcuam conſiſtentiam aſſervabat: dolores eis in pectore obtuſiores, tuſſes magis ſtrepentes cum catarrhali anacatharſi, forti ſpirandi anguſtiâ, „ potiſſimùm ſub veſperas, & per noctem, paribuſque ſymptomatibus pleuritidem notham, & catarrhalem denunciantibus; quâ tamen perpauci, ſenes utplurimùm, aut „ phlegmatici homines afficiebantur, iique meliùs remediis „ inciſivis, aperitivis, pectoralibus, ſeu expectorativis tum „ internis, tum externis, calidè adhibitis, quàm per phlebotomiam ſanabantur.

37. In

,, 37. In tertio tandem ordine conſtitutis à cruoris ſcili-
,, cet miſſione in deterius poſitis (hic erat major ægrotan-
,, tium numerus) ſanguis tam primâ , quàm alterâ inciſio-
,, ne evocatus , eleganter rubellus poſt ejus concretionem
,, remanebat ; dolores erant vagi , tuſſes inanes , & mole-
,, ſtæ , vel cum pauco ſputo ſeroſo, vel ſubflavo , aut ſub-
,, cruento per vim expreſſo ; pulſus celer , & frequens ,
,, intenſus calor ; genarum color roſeus , anxietas vehe-
,, mens , ſitis ingens , vigiliæ , & jactationes aſſiduæ; quod-
,, que peſſimum erat , hujus claſſis pleuritici diem quintum
,, non ſuperabant , erantque omninò ſupervacanea quævis
,, antipleuritica remedia , ſic etiam topica applicantes , ca-
,, nebamus ſurdis , mortem , ne hilum retardantes. Qui
,, nullâ tractabantur ſanguinis miſſione , ad ſeptimam , no-
,, nam , ad ſummum decimam protelabantur , aſt itidem
,, peribant. Hâc pleuritidis ſpecie tenebantur corpora utri-
,, uſque ſexus vegetiora , in primis picrochola , floridioris
,, ętatis , conſiſtentem non excedentis.

,, 38. Ægrotantium internecione perterritus , ſeniorum
,, adhibui conſilium , libroſque volutabam ; ſed nequidem
,, his doctior factus , harum pleuritidum anomaliam ſedu-
,, lus meditabar ; Cúmque harum geneſis Boreæ immodi-
,, cè conſtipanti , & ſtringenti , mox auſtro improvisè la-
,, xanti , & ſolventi eſſet imputanda , tamquam cauſſæ uni-
,, verſali procatarticæ , atque indifferenti , certiſſimum hinc
,, duxi unumquodque corpus juxta internas ſui diſpoſitiones
,, phlogoſi , aut ſyſtrophe correptum iri , vel phlegmonode,
,, vel catarrhali , vel eryſipelatode ; cujus poſtremæ natu-
,, ram porrò referebant pleuritides truculentiores tertię di-
,, ſtinctionis adductæ. Quum itaque ad ęgrotos accerſebar,
,, ſymptomata ſingula , diligenti criterio , unicuique ſpeciei
,, reſpondentia perpendebam , & diſtinguebam. Quòd ſi fo-
,, rent æquivoca , unicam phlebotomiam explorativam de
,, cubito ad aliquot uncias præmittebam : Si verò ſatis ſigna

Oooo ,,con-

,, concluderent affectionem eſſe eryſipelatoſam, ſive bilioſam,
,, omninò interdictâ venæ ſectione, præſertim è venis ſupe-
,, rioribus, clyſteres emollientes, & detergentes primiter
,, ſuadebam (vomitorium in iis, fateor, caſibus propinare
,, non audebam, cùm de inflammationibus peracutis agere-
,, tur per hyemem debacchantibus, febri contemporaneis,
,, in ſubjectis juvenibus, ſi potiſſimùm aliqualis vaſorum
,, depletio non fiebat. Quibus autem phlebotomia explorativa
,, præponebatur, & facilem habebant ad vomendum diſpo-
,, ſitionem, magno cum fructu illo utebar ex pul. rad. aſa-
,, ri ʒß, ſal. vitrioli ℈j oximel. ſimpl. ℥j in hauſtu decocti
,, pector. tepidi, vel ex aq. bened. Rulandi, & oximell. ſcyl-
,, lit. ā ℥j vel ℥jß cum aq. flor. ſambuc.) mox dabam rob.
,, ſambuc. ℥ß ſal. prun. ʒj camphoræ gr. v, bis in die ho-
,, ris duabus ante cibum, vel quatuor ab hoc elapſis, ſuper-
,, bibendo aq. ſcabioſæ, & flor. ſambuc. ā. ℥ij frequenter
,, per diem, & noctem hauſtus calidi ex decoctionibus rad.
,, cichor. alth. ſcorſon. ſcab. flor. pap. rhead. & nitro: In
,, plethoricis ſaphena aperiebatur; In omnibus Clyſteres le-
,, nientes laudati horis matutinis repetebantur, & poſt cœ-
,, nam emulſiones ex ſem. mel. pap. alb. ſal. prunell. in di-
,, ctis aquis, addit. ſyr. viol. vel de nymphea, cum guttis
,, aliquot laudani liqu. vel tincturæ anodynæ. quartâ morbi
,, die [morbus jam dabat inducias] exhibebam lene ca-
,, tharticum ex caſſiâ, & ſyr. roſ. in decocto prunor. dul.
,, & pulpæ tamarind. tartar., vel cum ſale polycreſto, addi-
,, tâ perſæpe infuſione rhabarbari, queis ejiciebantur excre-
,, tiones copioſæ bilioſo-ſeroſæ, vel reſinoſę. Tantum in
,, dictis præſidiis emanabat levamen, ut ægris palpabile, &
,, adſtantibus evidens præberetur. Ad tuſſim ſiccam, & tra-
,, cheæ irritationes compeſcendas ſingulare erat bechicum
,, ol. amygd. dul. rec. ſine igne expreſſum, & ol. ſem. lini,
,, addito ſale prunellę, & camphoræ parvâ doſi; vel etiam
,, ſyr. viol. viol.. Hoc eclegmate alioquin ingrato utebantur

ægro-

„ ægrotantes, velut nectare ob ingentem utilitatem, quam
„ hinc reportabant.

„ 39. Quibuſdam febris vigebat adeò perennis cum in-
„ genti exæſtuatione, & minitatâ ad caput epigeneſi, ut
„ poſt aliqualem uſum ſupradictorum ad quintum circiter,
„ aut ſextum morbi diem, non dubitaverim iterare ſectio-
„ nem ſaphænæ cum fructu, ſi ſemel fuerat inſtituta, vel
„ tunc inſtituere, ſi nondùm celebrata. Tandem aliquando
„ hoc ritu diligenter ſervato, ſedatis irruentiis humorum,
„ motibuſque omnium compoſitis, aliud mihi non ſupere-
„ rat, quàm juſcula ex cichoraceis, ſcabioſa, capillaribus,
„ & flor. pap. interponere, ut præparatâ ad cathartici repe-
„ titionem viâ curationem abſolverem.

„ 40. Dum hæc ex voto agebantur, mortuum audio mili-
„ tem robuſtiſſimum Regiminis Draconum *Genevois* in dicto
„ loco tunc commorantis, qui dolore dexteri lateris va-
„ go, tuſſi ſiccâ, & reliquis ſymptomatibus memoratis cum
„ acutâ febri vexatus, ſolâ phlebotomiâ quater, vel quin-
„ quies iteratâ, ad libitum ſui Chirurgi de venis brachii,
„ abſque alio remedio intùs ſumpto, fuerat quinto die mor-
„ bi extinctus. Arripui cauſſam diſſecandi ejus cadaver, quod
„ mihi lubens conceſſit Illuſtriſſimus Dominus de *Grimotie-*
„ *re*, qui Regimini præerat [quod anteà nunquam à noſtra-
„ tibus, impetrare potueram,] ſtatimque ad opus manum
„ appoſuit D. *Gattus* Chirurgus noſter, & aperto thorace,
„ patuit vel lippis, & tonſoribus fellea conſpurcatio, quæ
„ totum pulmonis dexteri lobum obduxerat, velut cruſta ex
„ ovi luteo plaſmata, & pulmonibus concremata, cujus cro-
„ ceo colore inquinabantur pleura, mediaſtinum, Pericar-
„ dium, & quidquid pulmonem attigerat, imò & cor ipſum
„ in dexterâ ſui parte. In thoracis cavitate ejuſdem lateris
„ effuſam conſpeximus quantitatem ſeri lixivi, & interna
„ pulmonis ſubſtantia, quam totam deglubere curavimus,

„ atro cruore æqualiter imbuta livebat. Siniſter pulmo, „ & reliquæ partes naturaliter ſe habebant.

SCHOLIUM XVI.

De bilioſa, quæ ab antiquis decantatur, morborum cauſa non quidem calidiori ſanguini, ſed ipſimet recrementitiæ, jam in hepate elaborata bili imputanda.

JUvat hîc incuſare inexcuſabilem plurium modernorum allucinationem, qui nempe ſuadere ſibi contendunt, Hippocratem cum antiquis pro febrili, aut determinatas partes præternaturaliter invadente bile, varioſque in iiſdem morbos ciente intellexiſſe, non quidem bilem illam recrementitiam, aut excrementitiam, ſed quemlibet humorem calidum, atque ad ineundas effervefcentias proclivem, præcipuè ſanguinem ipſum calidiorem, & ſiccum, bilioſum ideò dictum. Enim verò non ſolùm propoſitum hujuſmodi à D. Guidetto extiſpicium contrarium evincit; quo nempe maniſeſtè oſtenſum fuit, pleuritidem militis fuiſſe ex genuinâ bile, quę à bilioſo ſanguine, aut alio quolibet calido, ſiccoque humore diſtincta erat, flavâ, imò croceâ, recrementitiâ, ſeu ſi mavis excrementitiâ, progenitam; ſed ulteriùs plures Hippocratis, aliorumque principalium Scriptorum textus abundè confirmant. Ita ne infinitus ſim, aliquot duntaxat loca, ab Hippocrate in hunc cenſum elicita adducam. Primum ex lib. de nat. muliebr. decerpimus: *Si caput, venter imus, & lumbi doleant, bilis uteros infeſtat. Huic igitur medicamentum, quod ſurſum, & deorſum purgare poteſt, exhibere oportet, calidâ lavare, & quæ bilem purgent in ſubditis apponere.* Jam ergo intelligit Præceptor bilem à ſanguine calidiori, aliove quolibet humore diſtinctam, ſive propriè recrementitiam, aliquando à ſanguine ſecretam, poſtmodum eidem ad ciendum deſcriptum morbum refuſam: Quippe cùm medicamenta propriam bilem ſignatè purgantia imperet, atque phlebotomiæ mentionem haudquaquam inſtituat.

Alter locus lib. 1. de Morbis occurrit: "Febricitanti quidem, „ & bilioſo, ſi bilis ſuo tempore extrà diſperſa fuerit, bono eſt,

ſub

„ ſub cutem verò effuſa, ac diſperſa ægroto toleratu facilior, & medico curatu promptior. effuſa autem, ac diſſipata, & in unam aliquam corporis partem incumbens malo eſt„ Nonne textus hujuſmodi multa medentibus notatu digna proponit, cauſſam ſcilicet febrium in billioſis bilem eſſe; perfectas ejuſdem criſes per ejuſdem integras à corpore amotiones opportunè elicitas; imperfectas verò per eandem bilem debito pariter morbi tempore ſecretam à ſanguine, atque in cutem diffuſam, malas denique, ſive bilis ad determinata viſcera decubitus? Sed quod rei caput eſt, de ipſâ recrementitiâ bile totum inſtitui ab Hippocrate ſermonem apertè liquet, cùm iſta certè, non verò bilioſus ſanguis ad procreandum icterum effundatur.

Pariter ex lib. 1. de Morbis: “ qui verò priùs ineſt, utpotè naturâ calidiſſimus in corpore ſanguis exiſtens, cùm „ ex carnibus, & ventriculo incaluerit ſupra eum, qui jam „ ineſt, ampliùs adhuc à bile, reliquum etiam omne corpus „ calefacit. „ Tandem lib. de Priſca Medicina hæc docet: „ Si amarus humor aliquis, quem bilem flavam nuncupare „ ſolemus effuſus fuerit, quænam anxietates, æſtus, & impotentiæ detinent? quibus interdum liberati vel ſpontaneâ „ purgatione, vel medicamento, ſi quid horum tempeſtivè contingat doloribus planè, & calore defunguntur. At „ quandiù iſta ſublata, incocta, & minimè contemperata fuerint nullâ arte neque dolores, neque febres finientur. & „ quibus quidem acuti, acres, & æruginoſi humores inſtant, „ quinam furores, & viſcerum, ac thoracis lancinationes, „ animique abjectio indè oriuntur? Neque priùs hæc quieſcunt, quàm emaciati, dejecti, & aliis permixti fuerint. „ multis autem, variiſque modis concoqui, permutari, tenuari, & in humorum naturam craſſeſcere poſſunt. Ideóque in iſtis & judicationes, & temporum numeri magnum „ pondus habere mihi videntur. „

Itaque in his textibus (qui certè graviſſima ad practicam

doctrinam, majeſtatemque recolligunt, atque recludunt præcepta, eruntque hæc à nobis, ſi otia ſuppetant alio Opere explicanda) non ſolùm Hippocrates bilem ipſam hepaticam, atque recrementitiam, ſingulari idcircò *amari* nomine indigitatam, pro cauſſâ morborum potiſſimâ recognoſcit; ſed inſuper inter morborum principia primo loco hujuſmodi humoris meminit, ſeu eorum caput inſtituit.

41. *Eodem tempore ridiculus quidam ejuſdem Regiminis Chirurgus junior commilitonem ſuum ſimili eryſipelatosâ pleuritide lethaliter captum ab interitu revocandum gloriabatur per inflictam paracenteſim (quam fortè proficuam viderat in pleuræ phlegmone ſuppuratâ) ſed diloricatis muſculis intercoſtalibus, & pleurâ, ſola effluxit ſaturatioris ſeri copia citra ſolamen ullum, & die ſequente mors acceſſit. In cadaveris pulmone, & attiguis partibus bilioſæ pariter irruptionis ſtigmata obſervavimus, qualia in priori ſubjecto. Vivit inter noſtrates incolumis vir quidam cognomine Joanettus, cui ob deſperatam pleuritidem cum ſignis ſuppurationis ſectum fuit latus affectum juſſu Patris mei, Hippocraticæ medicinæ, & Peripateticæ ſcholæ propugnatoris acerrimi, quem præmatura mors [acerbo heu nimiùm fato!] mihi, atque reipublicæ medico-literariæ eripuit triginta ab hinc annis. Ejuſdem nervoſiſſima adverſaria contra modernas ſui temporis theſes philoſophicas, nec non medicas hypotheſes exarata cuſtodio, ac veneror.*

„Io. Math. „Hyacinth. „Guidettus „med. ſcriptoris genitor cum „laude commemoratus.

Extiſpiciis his mecum adfuerunt præſtantiſſimus Doctor Mirolius, ingenioſiſſimi D. D. Palea, & Alliberti medicinæ ſtudentes, & turba curioſorum; quibus omnibus patuit veritas præconceptæ opinionis; cujus certior jam factus, perrexi in laudatâ methodo cum tanto ægrotantium commodo, & ſanorum lætitiâ, ut popularibus exciperer gratulationibus, velut Hydræ victor Alcides.

SCHOLIUM XVII.

De paracenteſi in Hydrope pectoris.

PAracenteſim thoracis non quidem in memoratis morbis pleuriticis (in quibus quidem nullum locum habet hæc pun-

punctio) ſed in recenti pectoris hydrope, & juvene athletico audacter profectò tentatam, ſed interea ſalutarem, aliquando nobis animadvertere conceſſum eſt. Is ego tamen non ſum, qui ſæpiùs eandem revocare in uſum auderem. Paracenteſis uſus in empyemate pectoris nemini ignotus eſt.

42. *Ex illis, qui per epidemicam constitutionem pleuritide phlegmonode, non verò biliosâ, vel eryſipelatode tenebantur, duos vidi ſuppurato, atque per ſuperiora expurgato abſceſſu, præter omnium ſpem feretro, ita dicam, ereptos. Primus erat Nicolaus Pittetus annum agens trigeſimum, temperamenti ſanguinei. Hic, inquam, poſt iteratas venæ ſectiones, adhibita antipleuritica, & emollientia ex oleo amygd. dul., oleo, ſem. lini; ſperma ceti, ſang. hircin. linctus bechicos; decoctiones ſcab. herbar. pector. & pap. rub. unà cum externis illitionibus, fotibuſque calidè miniſtratis citra ſolamen ullum; die decimo veſpertinis horis deglutivit bolum ex conſ. roſ. theriacâ, & croco Or. Vndecimâ luce bronchiali ſtertore gravatus ad agonem præcipiti greſſu properare videbatur. Circa meridiem moleſtâ præter morem tuſſi, atque inani vomitu identidem urgebatur cum ſudore circa pectus, & faciem guttatim expreſſo, & genarum rubore ſaturato, inſtar præfocatorum. Tandem aliquando aſſidentium brachiis ſuffultus, prono corpore, demiſſoque capite ad vomendum compoſitus tantam [urgentibus ultrò tuſſi, vomitu, & aſſiſtentium ictibus ſive ſuccuſſionibus ad dorſum] materiæ obolentis, ac purulentæ copiam eructavit, non ſine ſuffocationis periculo è diſruptâ vomicâ, ut ſola recordatio ſtomachum moveat. Ab undecimâ ad undecimam quartam frequenter tuſſiebat, & purulenta ſpuebat. Potiones ex hydromele, & pectoralibus abſterſivis propinabantur mox terebinthinata, & inde traumatica. Febris ad apyrexiam vergebat circa vigeſimam, ſed vires, optimo licèt regimine analeptico reſtauratæ, non ante diem quadrageſimum vigebant.*

In eadem damnatione verſabatur vidua quædam de Locchis quinquagenaria, vegeta tamen atque plethorica. Hæc itidem poſt ter inſti-

inſtitutam phlebotomiam , præſcriptaque anodyna , pectoralia , oleoſa , & ſpecifica antipleuritica , ut ſuprà abſque congrua ſputi excretione ad uſque ſeptimam. eo die ab aſſumpto pomo , Quercetani dicto , ſive curtipendulo excavato , pul. olibani repleto , excocto , & perquàm calidè devorato , poſt aliquot horas in affluentem ſputi purulenti copiam adigebatur , atque apto ſervato victus regimine , adhibitiſque abſterſivis , & vulnerariis decimo quarto die triumphum canebat.

SCHOLIUM XVIII.

Loca ex Hippocrate, quæ probant, ſuppurationem non fieri ex rubicunda propriè parte ſanguinis, à rubro in album converſa, ſed ex pituita, ſeu lymphâ ſanguinis, ipſi adhuc immixta; vel ex eodem jam ſeparata, & in aliquam partem, per defluxionem, ſeu in rheumatis formam, delabente.

HIppocrates in lib. I. *De morbis* potiſſimum ſuppurationis ſermonem inſtituit : Quot verò locis iſtam in medium adducit , totidem certè pituitoſam , ſeu albam ſanguinis partem in ejus materiale principium accerſit , bile quidem interdum in ſuppuratione implicatam , non verò ejuſdem participem recognoſcens. Ita in pagina hujus libri 451. (intelligo hîc loci Hippocr. Opera ex verſione , & digeſtione Foëſii) ait " Nam cùm pituita multa è capite confeſtim in ſu„ periorem ventrem confluxerit , putreſcit , & pus evadit , „ putreſcit autem maximè diebus uno & viginti „. . Paginâ 450 " ſi pulmonis inflammatione detentus diebus , qui talia „ decernere creduntur , non purgetur , ſed ſputum , & pi„ tuita in pulmone remaneat , ſuppuratus fit „, inferiùs eâdem paginâ " Fit quoque ſuppuratus, ſi ipſi pituita ex capi„ te in pulmonem defluxerit „ paginâ 451 " Puſque craſſum „ ab accedente pituita intus putrefacta expuitur „ Hæc quidem quò ad ſuppurationem , in qua ſola pituitæ mentio habita eſt. Nunc ad Hippocraticas pariter ſuppurationes procedamus , in quibus cum pituita (quæ ſemper apud Senem materialis eſt cauſa ſuppurationis) bilis etiam implicatur. Eodem igitur libro pag. 453 " At verò inferiore ventre ſup„ purati evadunt, præcipuè quidem cùm pituita & bilis in„ ter carnem , & cutim affatim collecta fuerit „ eadem paginâ in

in fine " Cùm pituita aut bilis collecta fuerit, putreſcit...
„ & ſiquidem pus quàmcitiſſimè maturuerit, eruperit, ſur-
„ ſum vergat, ac totum expuatur, venterque in quo pus
„ erat conſidat, ac reſiccetur, prorſus ſanus evadit„ ſequen-
ti pag. 454 " In latere autem tubercula quidem oriuntur,
„ tum à pituita, tum à bile non aliter quàm in pulmone „
Idem in pag. 458. in fine, poſtquàm de pituita & bile ad
latera impactis alloquutus fuerit, hęc addit " Cùm verò quæ
„ ad latus impacta ſunt, putruerint, & per ſputum reddita
„ fuerint, convaleſcunt: Quòd ſi & antiquum multum ad
„ latus impingatur, & aliud inſuper accedat, ſtatim mo-
„ riuntur „ Paginâ 459 " cùm verò ad ſe traxerit, túmque
„ bilis, tùm pituita ſedem in pulmone fixerit, putreſcit, &
„ in pus vertitur„ tum pag. 461 " ex morbo autem laterali
„ intereunt, cùm circa exordia, copioſa quidem pituita &
„ bilis ad latus impacta fuerit, multaque ex reliquo corpo-
„ re præterea affluxerit, quam neque ſpuendo propter copi-
„ am, neque putrefaciendo ſuperare poſſit„ in Principio li-
bri II. *De morbis* memorat morbum Hippocrates, in quo
carnes putreſcunt, atque ulcerantur, hinc *advenientem pitui-
tam & bilem putrefaciunt, puſque gignitur.*

Cùm igitur tot locis aſſeveret Senex, fieri ex pituita ſup-
purationem citra concurſum cruoris, ſeu ſanguinis purpureæ
ſubſtantiæ; atque cùm in toto ſanguine ſua ſemper deliteſ-
cat pituita, quæ imo potiſſimam ejus partem conſtituit; Jam
igitur quum idem Hippocrates alicubi aſſerit *effuſum ſanguinem
putreſcere*, hinc *pus gigni*, intelligendus non eſt *rubrum ip-
ſum* ſanguinem ſuppurari velle, ſed *albam* duntaxat, ſeu *pi-
tuitoſam* partem.

Bilis verò ſuâpte naturâ non ſuppurat, ut aliis locis pro-
bavimus, licèt in ſuppuratione, quæ per pituitam confici-
tur, implicari non difficilè queat, atque hinc flavum ſuum
colorem, interdum & amarum ſaporem exhibere. Fortè etiam
per propriam miſturam, & activitatem ſuppurativi motus in-
Pppp citamen-

citamentum evadere. Ita pag. 450. cit. lib. 1. *de morbis* ait, in ſuppuratis in pulmone *ſputum ſolito amarius exiſtere* : & in Coac. *Qui cum ſputo bilioſo purulentum expurgant, diductumque fuerit aut permiſtum* &c. Jam ergo per ipſum diſtinguitur in ſputo ſuppuratum à bile, quę revera non ſuppurat.

Cæterùm in pulmonibus (ut diximus cùm de *Pleuritide*, & cùm de *Hepatis abſceſſu*) ſuppurationes, quæ quidem per ſputum judicantur, eſſe plerumque ſuppurationes primi generis, ſeu ſpeciales quaſdam coctiones, veluti pepaſmos, ex quibus non quidem verum pus, ſed puri duntaxat ſimile liquamen progignitur, ex quodam Hipp. textu de *victus rat. in acut.* ſatis confirmatur: *Cocta autem ſunt ſputa, cùm puri ſimilia fuerint*; *hæcque* coctionum genera alibi *ſuppurationes* apertè nominat. Tum ſuppurationes in hepate, aliisque abdominis viſceribus (ut ſuis locis diſcuſſimus) eſſe ſemper ſecundi generis, ſive non revera à pepaſmo, ſed potiùs à corruptione; tum præcipuè folliculatas evadere, atque genuinos abſceſſus procreare, patet ex alio textu ejuſdem Senis lib. I. *de morbis* fol. 451 " effuſum autem pus in inferiore ,, ventre generari haudquaquam poterit, velut in ſuperiore ,, ventre fieri dictum eſt, ſed in tunicis, & tuberculis in- ,, naſcitur, velut à me dictum eſt ,, Licèt interdum etiam (raro tamen) ſuppurationes hujuſmodi, quæ nempe celeriùs in ſummè acutis obtinentur, per viſceris ſubſtantiam effundantur; juxta illud Hipp. in Coac. " ſuppuratorum autem ,, quæ ſurſum ſunt [*Intelligit de hypochondriacis viſceribus*] ,, alia quidem in tunica ſtabulantur collecta, alia verò ſunt ,, in viſceribus ipſis diffuſa.

,, 43. Anno 1713. menſe Junio in oppidulo Fellecti epi- ,, demica febris Tertiana duplex cum comite pleuritide jam ,, plurimos enecaverat. Hæc, inquam, eodem ſymptoma- ,, tum ſatellitio ſtipabatur, ut mox adducta hyemalis anni ,, 1709, ſed prætereà excernebantur etiam ægritudinis tractu ,, per alvum lumbrici in copiâ, ita ut cuidam medico pla-

cuerit

„ cuerit febres illas purè verminoſas indigitare, pariterque „ dolores lateris vagos à lumbricis excitatos effutire, & vulgatis oggannire ſuſurris contra ſententiam doctiſſimi D. Doct. „ Gulielmetti, cujus nutu pendebant ægroti, quive longâ „ edoctus praxi optimè callebat inflammatorias eſſe affectiones illas abſque lumbricorum culpâ, vel leviſſimâ; idcircò à venæ ſectionis auxilio recedere non patiebatur; piaculum eſſe ratus præcipiti morbo promptum adeò negare „ ſubſidium, ut eſt phlebotomia ab universâ Practicorum „ republicâ tantoperè commendata. Imò peracuti morbi „ celeritate adductus totam ſanguinis quantitatem, quam ferre vires valebant repetitis vicibus ante diem quartum educendam præſcripſerat, nihil omittens quò ad reliqua antipleuritica optimo regimine miniſtrata. Hoc tamen ſtudio morbi acutiem infringere, aut enervare minùs valuit. „ Quare ſolertiſſimus Doctor ignotum virus apertione alicujus cadaveris explorare decrevit, in conſilium vocatis D. „ Verluca Medico ſeniori doctiſſimo, D. Auguſta Doctore „ præſtantiſſimo, & me ipſo. Electum eſt autem ad ſpectaculum cadaver hominis annorum circiter triginta epidemicâ phlogoſi denati, quem generoſior Chirurgi mucro à „ fatali falce eripere haud potuerat. Diſſecto hinc indè, & „ elevato ſterno per D. Bertam celeberrimum noſtri temporis, noſtræque regionis chirurgum, pulmones ambos ſpectabamus croceâ, ut aſtantibus prædixeram, & cruſtosâ, „ ut jam innuimus antecedente hiſtoriâ, crematos ſorde, totumque mediaſtinum, totam pleuram, vaſorum tunicas, diaphragma, & quævis contigua corpora fulvo inquinamento „ polluta cum effuſione ſeri in utroque pectoris cavo. Diſſecto abdomine hepar invenimus in naturali ferè ſtatu, cyſtim tamen felleam inanem, cyſticoſque ductus, & bilarios „ omnino flaccidos, & exuccos; lienem turgidum, & obſtructum (cujus tamen paulatina obſtructio acutum morbum præiverat familiaris, & tolerata à pluribus menſibus,

„ fortaſſis & annis) Quod autem ſignatè mirabamur ; ex
„ avulſo utroque pulmonum lobo , corde, & hepate ne tan-
„ tum quidem ſanguinis per ampliſſima vaſa effluxiſſe viſum
„ eſt , quod ſeroſæ, bilioſæque thoracis cruentandæ exunda-
„ tioni par eſſet. In inteſtinis palmarium lumbricorum copi-
„ am perſpeximus ; quorum geneſi faviſſe liquet bilioſi re-
„ crementi à biliferis ductibus ad pulmones translati ſu-
„ brepta ſecretio præter ordinem naturæ. Hæc omnia ob-
„ ſervata ſunt die feſto S. Joannis Baptiſtæ 24. Junii , ut
„ ſuprà.

44. Dum autem unanimes novam experimentalem me-
„ thodum ſtatuere , & proſequi intendebamus, mutatâ con-
„ ſtitutione ſævire deſiit vulgare malum , Fellectenſibus cru-
„ dele , & infenſum. Hoc tamen effari adhuc poſſum, plu-
„ res eâdem æſtate , & ſubſequente autumno curaſſe felici-
„ ter ejuſcemodi pleuriticos, ſervatâ illâ remediorum teſſerâ,
„ quam mihi propoſueram in præcedente dicti anni 1709.
„ hyemali , atque vernali conſtitutione. Veruntamen, cùm
„ per æſtatem , & autumnum graviores in corpore conge-
„ rantur cacochymiæ , opus erat hoc tempore vomitionem
„ ciere initio morbi ; & ſub finem vias infernas exactiùs ter-
„ gere per repetitam catharſim ; tandemque & peruviano
„ cortice in pluribus uti ad abſolvendam febrium curatio-
„ nem , quæ ſanè hyemalibus , atque vernalibus ſuperflue-
„ rant.

SCHOLIUM XIX.

De diverſa civium , atque agricolarum cacochymia.

IN agricolis , & pauperculis alius certè quàm in civibus , & delicatulè victitantibus per æſtatem , & autumnum cacochymiæ genius apparatur : In illis enim fructuum eſui intemperanter deditis , tum minùs ſubacto pane, leguminibus, aliove minùs expeditæ digeſtionis alimento abutentibus, modico vino , eoque pontico , vappido , aut aliter depravato epotatis , ulteriores etiam , præter bilioſas, improborum ſuccorum

corum quiſquiliæ, & cruditates accumulantur per viſcerum naturalium anfractus: ut hinc demùm diſplodentes eorum morbi vomitoriis faciliùs, & per ſuperiora ducentibus obtemperent. Verum enim verò quò ſinceriores morbidæ bilis apparatus excitantur, eò cautiùs ſunt, ob alias adductas rationes, per emetica pharmaca concutiendi.

45. *Nec ſemper epidemico greſſu ſolent incedere memoratæ ſuperiùs accenſiones pleuriticæ, aut pulmonicæ, ſed ferè quotannis ſporadico more bilioſis febribus immiſcentur, aliquando clanculùm pullulant abſque ullo, ut dicitur ab antiquis, ſyllogiſtico pleuritidis ſigno. Plurimos ex his, qui inter æſtatis initia æſtuoſâ febre corripiebantur, ſi largè bilioſa per ſedem, aut vomitum ad ſeptimam, nonam, undecimam, aut decimam quartam non excernerent, aut criticis pariter diebus hæmorrhagiâ non cierentur, aut copioſis ſudoribus, prævio rigore, haud maderent, non ſine aliquâ ad pectus biliosâ excurſione, aut aliquali ſaltem irritatione judicatos animadvertimus. In aliquibus autem, quibus certa, & manifeſta non aderant biliosæ cacochyliæ indicia, enormes, atque ultra communem menſuram ejectas bilis copias inſpeximus, ut mirari ſubierit, quàm valdè, citòque bilioſus humor ſui multiplicationem ineat. Nonnullos etiam videre datum eſt, tantâ adeò bilis feritate, & affluentiâ obſeſſos, ut poſt diuturnum icterum, & contumacem febrem bilioſo alvi profluvio correpti, haudquaquam ſublevarentur, quin potiùs pejùs haberent.*

SCHOLIUM. XX.

PRimæ D. Guidetti obſervationes confirmantur à Galeni ſententiâ, qui 3. de Criſibus cap. 3. loquens de *criſibus* febrium bilioſarum ait " Si ſit febris ardens, vel ſanguis è „ naribus profluet, vel poſt vehementem rigorem ſudor mul„ tus, & calidus per totum corpus emanabit, aut per vo„ mitum, aut per alvum bilioſa excernentur. Ita & Ter- *De criſibus bilioſarum febrium.*

„ tiana vomitibus, & excrementis alvi billioſis, & ſudori-
„ bus multis toto corpore fluentibus judicabitur „

De bilis generatione à febre.

Quoad alteras Obſervationes valet illud commune Antiquorum effatum: *bilis, & febris mutua generatio eſſe ſolet.*

De peſſimis, atque mortiferis Icteris.

Denique ad illas de icteris ſymptomaticis à biliofa egeſtione haudquaquam judicatis quadrat illud Hippocratis in Coacis. " Quicumque icterici, nec indè admodùm quid ſentien-
„ tes, oborto ſingultu, iis alvi prorumpunt; fortaſſis autem,
„ & ipſæ ſiſtuntur; virore ſaturo colorantur „ Revera, cùm Duretus in hujus textus commentario, inter ſymptomatici icteri cauſſas orgaſmum annumeret, atque hepatis oppilationem, inflammationem, aut ſcyrrhum (quæ quidem tria hepatis vitia duritatis nomine intellexit Hippocrates: *Ictericis hepar durum, eſſe peſtiferum*, noſque in icteri tractatu diſcuſſimus) jam bilis diffuſio per cutem, à qualibet ex his cauſſis exoriatur, deducet quidem morbifici humoris quidpiam, ſed vel multò uberiùs ſubeſſe, vel fixas, & contumaces cauſas conſuetam bilis per propria itinera præpedire trajectionem teſtabitur. Ita ſi in his ictericis, imbecillibus præcipuè, & longâ morborum morâ languidis, & hebetibus præſtitis, ſenſuque, & motu perfractis (*madeſcente ſcilicet*, ut ait Duretus, *in his ictericis nervorum principatu, quoniam diffusâ bile per totam compaginem, defraudatur cerebrum ſuo elementari calore, & ſale*; quod quidem per illud *nec indè admodùm quid ſentientes* intelligendum eſt, ut revera idem commentatur Duretus *in movendo pigrum, & ſentiendo hebetem*) alvi profluvium accedat, ut ut bilioſum fuerit, morbo tamen auxilio non erit, imò pertinaciam cauſæ, ac multitudinem, adauctam inſuper ab effuſione in ventriculum, diroque morſu ejuſdem feritatem revelabit, ſi alvi fluxui ſe comitem addat ſingultus. Hos autem Ictericos ad lethum properare Hippocrates per illud *virore ſaturo colorantur* declarare videtur. Nam quemadmodum icterus quò ſymptomaticus magis extat, eò ſaturatiorem in cute bilem præ ſe fert, ut è contrà dilutior magis bilis conſ-

picitur,

picitur, quæ criticum magis icterum conſtituit; ſic vireſcens bilis ſaturatiſſima cenſenda. Quare idem Cous lib. 3. *de Morbis* moribundi icterici talem eſſe colorem pronunciat. „ Hujusmodi morbus regius acutus eſt, & citò necat. Co„ lor totius malicorium maximè refert, viridis ad inſtar la„ certorum: Ejuſmodi, inquam eſt color, atque in urina „ eſt hypoſtaſis orobea. & in Coacis confirmat: " Icterici „ multùm fœdati pereunt. „

46 *A diarrhœis perperàm curatis, vel ocyùs ſuppreſſis, plures vidi exortas pleuritides, vel peripneumonias cum ægrotantium anxietate, pulſus intermiſſione, vel conſtrictione, præſertim annis* 1710., 1716., *& æſtate nuper elapſo* 1718., *quæ per ſpontaneam diarrhœæ repetitionem, vel leviora cathartica remittebant, dummodò Medici opera non deeſſet, qui demulcentibus, & attemperantibus auxiliis ſanguinis, viſcerumque fervorem, & irritationem leniret. His caſſia, & ſerum lactis ad miraculum profuiſſe vidi, & tædioſum nimis eſſet exempla adducere ſingulorum, qui hoc ritu à morbi tyrannide fuerunt vindicati. Duo, aut tria ex recentioribus adducere ſat ſit.*

SCHOLIUM XXI.

De vulnerariorum remediorum uſu in diarrhœis bilioſis.

IN contumacibus, æſtivis, aut autumnalibus, Bilioſis diarrhœis, medium quidem inter criticas, & ſymptomaticas tenentibus, & facilè recidivis, nil ſanè vulnerariis præſidiis experti ſumus præſtantius. Hæc ſiquidem citò, & mirificè ſanant, elicita tum ex herbis noſtratibus balſamico-vulnerariis, ut ſymphito, plantagine, hederâ terreſtri, veronicâ, alchimillâ, ſtellariâ, hyperico, millefolio, bursâ paſtoris, centaurio minori, biſtortâ, equiſeto, pentaphylo, cortice, & lanugine flor. ſalicis &c. præcipuè cum abſterſivis aliquot, & ſaponariis fœderata, ut imperatoriâ, ariſtolochiâ, angelicâ, gentianâ, verbenâ, caryophilatâ &c. tum ex vulnerariis Alpinis, ut abſinthio tomentoſo, aut minimo

Lobe-

Lobelii, chamędryos montano, gnaphalio &c. Hæcque non tam per ſuccos, decoctiones, aut infuſiones adhibita, quàm per clyſteres injecta, aut etiam in bile acriori, ardentiorique per fotus uſurpata.

47. *Uxor Solutoris Antonii Rubei picrochola, gracilis, ætatis conſiſtentis, ædibus meis proximè inhabitans diarrhœâ bilioſâ torminoſâ, ferè dyſentericâ à diebus aliquot angebatur menſe Junio ſuperioris anni* 1718., *aſt nullo ſervato delectu, veſcebatur cibis quibuſvis etiam diſpeptis, nec non exercitiis domeſticis, laboribuſque ruſticis indiſcriminatim vacabat. Imò cùm aliquando ſudore maderet, cryptam ſubterraneam ingreſſa, ibi per ſemihorium immorabatur; hinc acriter conſtipata ſub veſperas ejusdem diei de dolore punctorio ad latus ſiniſtrum, querebatur cum ſuppreſſione diarrhœæ. Ob allatam conſtipationis recentis cauſſam, ſtatim miſſus eſt ſanguis de cubito partis affectæ, qui viſus eſt omninò inſons, & purpureus. Præſcripta ſunt antipleuritica, & pectoralia intus ſumpta, & pectori illita. Nocte quievit, febris erat remiſſa, dolor evanuit, & nulla pectoris apparebat anguſtia, quare ſequenti die ulteriora ſprevit remedia uſque ad diem quartum, quem præceſſit nox inſomnis cum anxietate, jactatione, ſiti, tuſſi ſiccâ, febri intensâ, calore urente, reſpiratione anheloſâ, voce depreſsâ, genis collapſis, & ſimilibus, ita ut die ipſo quarto hanc invenerim malè adeò moratam, ut de ejus ſalute conclamatum eſſe pronunciaverim; nihilominus celebratâ ſtatim ſaphenæ ſectione generoſâ præſcripſi caſſiæ* ℥ij *ſolutas in* ℔ij *ſeri lactis tartariſati ſumendas partitis hauſtibus poſt elapſas horas duas à ſanguinis miſſione. Hoc cathartico facta eſt ſolemnis evacuatio fœtentium excrementorum bilioſorum adeò ferventium, ut ipsa in excernendo fateretur ignitas percipere fæces. Interim liberales diluentium hauſtus ſitienti concedebantur, poſtque abſolutam catharſim laudata aliàs præſidia ex ſambucinis, nitratis, camphoratis anodynis, in bolis, ſyrupis, eclegmatibus, & emulſionibus interpoſita ſunt; fluxitque per tres ſequentes dies promota bilio-*

bilioſerum excretio alvina cum ardore, & fœtore, quorum ope poſt ſeptimum paroxyſmum ſecura triumphavit.

SCHOLIUM XXII.

Diligenti Practicorum animadverſione dignum extat, quod in reciprocâ bilis, & habitus corporis, ſeu propriè cutis alteratione contingit. Quippe in illâ cutaneâ affectione, quam propriè impeditam tranſpirationem, ſive conſtipationem nuncupamus, à variis quidem ambientium corporum, ut & internorum conditionibus productam, bilis motus, & habitudo ſupra alios humores quoslibet ita confeſtim alterantur, ut nauſea, & cibi faſtidium cum oris amarore, & doloriferis interdum moleſtiis, aut tenſionibus ad epigaſtrium, inteſtina, aut totum ventrem, interdum cum bilioſis frequentibus ſedibus eodem naſcentis morbi momento non minùs naſcantur, licèt ante conſtipationis exortum nulla fuerint delinquentis bilis indicia. At verò ſublatâ conſtipatione, & priſtinâ reſpiratione reſtitutâ, defervente bile, ſuaſque in ſedes compoſitâ, ſive in naturali ſtatu repoſitâ, omnia memorata ſymptomata, abſque ullo adhibito ſpeciali auxilio non ſolùm miteſcunt, ſed penitùs evaneſcunt. Ita pariter in eſſentialibus à bile contractis morbis, ſeu quando hic humor, vel ex præcedenti malitiâ, vel ex ſuperductis ab aliquâ ſex non naturalium rerum erroribus ad ineundas inordinationes evehitur, in plurimis hoc pacto ægrotantibus ſpecies illicò ſuſceptæ conſtipationis illudit, doloribus, defluxionibus, laſſitudine, tenſione, rigiditate ad cutem, ad artus, ad extima membra omnia, aut plurima inſurgentibus. Quæ tamen omnia per ſuperficiem corporis debacchantia citiſſimè etiam delentur, proſpecto, atque emendato ejuſdem corporis centro, ſive vitio in bilioſis fodinis contracto, per opportuna cathartica, aliaque præſidia debellato, & extincto. Hinc inter bilem, & inſenſilem hominis tranſ-

De conſenſu morborum bilis cum cutaneis, aliisque habitus corporis morbis.

tranſpirationem ingens elucet conſenſus; ut inteſtinorum cum artubus, aut artuum cum inteſtinis conſpiratio, quoad biliares itus, & reditus, atque reciprocos ab unis ad alias partes excurſus, & translationes ſuperiùs abundè compertum fuit.

„ 48. Religioſiſſimus D. Joannes Matthæus Barberi hujus „ oppidi ſacerdos ſcientiâ, & morum prꝰſtantiâ ſpectatiſſi„ mus, conſtitutionis ſanguineo-bilioſæ, robuſtæ, & floridæ „ habitudinis, ac primæ ſenectutis limina vix attingens, „ ineunte Auguſto acri diarrhœâ tenebatur abſque inſigni vi„ rium labe. Incommodi potiùs, quàm morbi pertæſus, & „ amicorum conſilio motus, remedium illud herculeum con„ tra Leonis rugitus, aut Caniculæ latratus, æſtivaſque pu„ tredines à vini potorum cœtu venditatum lubens implora„ vit, vinum ſcilicet meracum, quo profectò ſufflaminata „ eſt ex voto diarrhœa. Attamen elapſis aliquot diebus ab „ ejus ſuppreſſione, die nempe 15. ejuſdem Auguſti febri „ captus eſt cum horripilatione in acceſſu, exinde anxieta„ te, ſiti, æſtuatione, hypochondriorum preſſione, & vigi„ liis, ſimilibuſque. Attentâ ægri conſtitutione, & cauſſis „ procatarticis enarratis mane ſequentis diei, videlicet 16., „ & morbi ſecundo phlebotomia de cubito (præviâ evacua„ tione per clyſterem) inſtituta eſt ad ℥viiij ſuperepoto ſyr. „ ex acid. citri in aq. cichor. cum ſale prunellꝰ horis dua„ bus ante cibum. Sanguis extractus ſaturatâ rubedine æqua„ liter florebat in totâ ſuperficie, & horis pomeridianis ir„ repſit paroxyſmus alter abſque manifeſto horrore; jecti„ gationem præſeferens, & prꝰcordiorum anguſtiam cum pul„ ſus inæqualitate, & interceptione. Quare præpoſitis hau„ ſtibus diluentibus ad ardorem paroxyſmi compeſcendum, „ ſternendamque emetico viam, vomitorium propinari juſſi „ ſub veſperas ejuſdem diei ex infuſione croci metallor., & „ oximell. ſcyllit. ā ℥iß. tart. vitriol. ℈j in aq. ſcabioſæ. Bilio„ ſo-viſcida vomuit, non quidem affluenter, ſed cum immi-

„nutione

„ nutione ſymptomatum, præſertim jectigationis, & anxie-
„ tatis. Per horam ante cœnam hauſit ℥jß aquæ Theriacal.
„ frig. cum tantillo ſalis abſynth. & nocte ſequente laudabi-
„ liter quievit. Mane tertii diei aſſumpſit decoctionem ex
„ herbis cichoraceis, & ſale prunellæ, acceſſitque horâ con-
„ ſuetâ febrilis acceſſus cum moleſtâ, ac inani tuſſiculâ, &
„ repetitione ſingulorum ſymptomatum. Datus eſt urgente
„ febris æſtu ſyr. de ſucco cichor. cum aquâ ejuſdem, ſale
„ prun. &c. nocturnis horis conf. hiacynth. ʒj camphoræ gr.
„ vj. ſuperbib. emulſionem ex ſem. frig. ſem. pap. al. ſem.
„ citri in aq. card. ben. cum ſyr. pap. rub. ſal. prun. & gut-
„ tis aliquot ſpir. ſal. armon. Quarto die præſcripſi catharti-
„ cum ex ℥jß. caſſiæ rec. extractæ diſſol. in q. ſ. ſeri lactis
„ depur., & tartar. Plures habuit ſedes cum levamine, ſed
„ nocturnam interturbavit quietem tuſſis moleſta cum exiguâ,
„ & laborioſâ anacatharſi ſubflavâ, & cruentâ. Quinto die
„ certior factus de invaleſcente pulmonum phlogoſi, ſangui-
„ nis detractionem abſque ulteriori cunctatione repetendam
„ juſſi ad ℥x de altero cubito, è cujus inciſione eductus ſan-
„ guis longè alius ab eo, qui in principiis fuerat evocatus in
„ glaſteam, tenellamque pelliculam ſuperficialiter cogebatur,
„ & ſubſidens portio ſeroſo-cruoroſa omninò fluctuans, &
„ ferè ſoluta livebat. Quare ſæpiùs laudata remedia ex flor., &
„ gran. ſambuci, nitrata, & cardiaca, unà cum pectoralibus
„ in uſum liberaliorem vocavi, & veſpertinis horis ſanguis
„ iterùm ad ℥viij miſſus eſt ejuſdem omnino conditionis, &
„ conſiſtentiæ. Poſt hæc die ſexto excitata ſunt abdominis
„ murmura, & ineunte ſeptimâ periodo, reſeratæ ſunt alvinæ
„ viæ ad ſeroſam, bilioſamque diarrhœam, quam prorſus
„ inutilem crediderit quivis ad mentem Hippocratis Aph. 16.
„ ſect. vj cùm potiſſimùm peſſundatę viderentur ægri vires,
„ pulſus ſuam ſervaret interceptionem, nullumque ex deje-
„ ctionibus perciperetur evidens ſolamen. Jam ægroti vita
„ verſabatur in anguſto, & ſuborta in aſtantibus formido

„ extremum unctionis ſacramentum imploraverat ; nihilo-
„ minus diarrhœæ vigentis motum ſiſtere conſtanter renue-
„ bam , conſideratâ acuti morbi origine & cauſsâ, cùm præ-
„ tereà nulla pateret via ad utiliorem excretionem , & ip-
„ ſa deficeret trachealis expurgatio non inde ſperanda. Flui-
„ dorum tamen acrimoniam nonnihil compeſcere ſtudebam
„ jusculis alimentitiis gelatinoſis ex pedibus vitulinis , & ra-
„ ſurâ cornu Cervi confectis ; ita & pulveribus teſtaceis ,
„ ac abſorbentibus ex ocul. cancr. pp. c. c. phil. pp. raſ.
„ dentis apri , & eboris; cum flor. pap. rub. bis in die an-
„ te paſtum oblatis. Horis matutinis , & tertiâ pomeridianâ
„ hauriebat decoctum cichor. tuſſilag. tormentillæ, ſcab. mal-
„ væ, & altheæ, raſ. c. c. ſem. mel. & flor. cord. ex jure
„ pullæ inſulſo ; nocturnis horis emulſiones demulcentes &
„ identidem è cochleari toto diei decurſu julap. viol. violac.
„ pro linctu. Hoc regimine fidenter ſervato uſque ad un-
„ decimum morbi diem, paulatinam obtinuimus ſymptoma-
„ tum remiſſionem, tandemque dejectiones ſeroſo-bilioſæ fla-
„ vedinem ſuam, ſuamque liquiditatem in meliorem ſtercora-
„ tionem commutarunt , ita ut ab undecima uſque ad de-
„ cimam quartam ſenſibili profectu œconomiam vitalem na-
„ turaliter reſtitutam admiraremur, & poſt aliquot dies, da-
„ to ad ægri quietem congruo intervallo , curationem no-
„ ſtram feliciter abſolvimus medio levi cathartico ex deco-
„ ctione pulpæ tamarind. ℥ß. rhab. el. ʒj. in ſ. q. aq. mal-
„ væ cum additione ſyr. aur. roſ. ℥ijß. Nullam paſſus eſt re-
„ cidivam, imò brevì eſt reſtitutus integræ ſaluti , quam-
„ vis memorata pulſus interceptio primis diebus inducta ad
„ uſque confirmatam convaleſcentiam indeſinenter perrexerit,
„ novo ſanguinis proventu , novoque circulationis ritu exin-
„ de deleta.

SCHO-

SCHOLIUM XXIII.

VErnâ hac tempeſtate martii menſis, quâ hæc ſcribimus, alterius naturæ, aliiſque accidentibus ſtipatæ pleuritides, quæ imò pleuro-pneumoniæ potiùs dicendæ ſunt populatim deprædantur, ut inferiùs, quum de bilioſis conſtitutionibus, attingemus.

De diverſâ pleuritidum naturâ ſecundùm diverſas vernæ tempeſtatis conſtitutiones.

„ 49 Porrò non defuerunt momi, qui vomitorii exhibitio-
„ nem primo curationis die, tamquam intempeſtivam car-
„ pere tentarunt, utpotè in Plethorico viro. Prudentes ta-
„ men examinent ea, quæ anteà notavimus circa morbos,
„ & phlogoſes hujus farinæ; perpendant, hortor, an illius
„ loco repetita pro more phlebotomia in primo morbi ſtadio,
„ in expoſitâ, atque exploratâ ſemel ſanguinis conditione,
„ & abdominis ſtatu poſt diarrhœæ reſtitationem prægreſſam,
„ profuiſſet meliùs præ ſervatâ methodo? an itidem ſubdu-
„ ctoria explere emetici vices potuiſſent aptiùs. Quantùm
„ hactenùs obſervare mihi datum eſt in bilioſis apparatibus
„ æſtivis, vix unquàm cholagoga cathartica, quantumvis
„ ſelecta parem excretionem per longas inteſtinorum vias ad
„ anum promovere comperta ſunt, quàm pellere viſa ſint ip-
„ ſamet emetica per brevia à choledocho ad œſophagum ſpa-
„ tia cum tanta naturæ tolerantiâ, etiam in peracutis, ut ali-
„ bi monebam; dummodò, ſi fuerit opus, vaſorum ſufficiens
„ depletio mox præceſſerit ad præcavendam vaſorum rixim,
„ quæ rariſſimè contingit; vel inhibendum appulſum peni-
„ tiorem in partem phlogoſi tentatam, qui ab inductis preſ-
„ ſionibus haud infrequenter ſolet augeri. Conſiderent de-
„ nique, an quâvis evacuatione poſthabitâ, ſolis eſſet epice-
„ raſticis, anodynis, aut febrifugis ludendum in biliari or-
„ gaſmo. Concludent, opinor, ob mitiorem fortaſſe vomitio-
„ nem inde fuiſſe prognatum ad pectus epigennema, quod
„ avertere nil æquè potuiſſet ac affluentior bilis eruptio per

„ ſuperiora juxta allatam ſententiam §. 30. hujus diſſert. ex „ Riverio prax. med. lib. VI. c. II. &c. niſi obſtitiſſet naturalis in ægroto vomendi difficultas. Quòd ſi quis addat „ potuiſſe utiliter celebrari ſanguinis miſſionem de venis inferioribus poſt tentatum emeticum: hic profectò non ineptè hariolari mihi videtur.

„ 50. Simillimam ægritudinem ab iiſdem cauſſis inductam „ pridem curabam in D. Gatto Montanarienſi, cui pulſus intermiſſio cum reliquis graviſſimis ſymptomatibus acceſſerat. „ Ad integram tamen hujus ſolutionem nedum bilioſa diarrhœa, ſed & inde ictericę urinæ affatim erumpentes judicatorię fuerunt. Id autumnali tempore.

SCHOLIUM XXIV.

De urinis bilioſorum.

QUemadmodùm in ictero urinæ, quæ bile ſaturatiores ſunt, & medentium aſpectui injucundiores eſſe plerumque ſolent, non ſanè quòd plurimam iſtæ morbidæ bilis copiam è corpore non eripiant, atque ſubducant, ſed quia, ſignorum more, uberrimum ejuſdem bilis ſuperſtitem perennè apparatum teſtantur; Ita in aliis omnibus bilioſis morbis ictericæ urinæ, quæ ſcilicet abſque icteri præſentiâ croceæ, craſſæque ſunt, rubentes, ſaturatæ, atque etiam in æſtuoſis febribus lateritiæ, cùm ipſum morbificum humorem eliminent, neque in cute, aut in hepatis foco, aut in aliis viſceribus implicari plurimam ejus partem, ſtabulari, atque ex diuturnâ ſtatione novas adhuc contrahere dyſcraſias concedant, boni ſemper ominis, criticæque indolis non expertes dijudicantur. Quamobrem è converſo pallidæ in iiſdem affectibus, & tenues urinæ, quæ nempe bile vacuæ ſunt, ejuſque permiſtione non coloratæ, indomabilem à natura hunc humorem, ſeu per conſuetas vias haudquaquàm ductilem, atque hinc in aliquod viſcus perniciter, pernicioſéque irrumpentem, aut irrupturum ſignificant. Ita habet Galenus in

Quæ-

Quæſit. in Hipp. ſpur. 113. “ Mingitur urina tenuis , & alba, „ etiam in æſtuoſis febribus , quę cauſi nominantur : ſignificatque amentiam imminere : Cauſus namque febris copiam „ ſignificat bilis : at diuturna urina non eſt , manifeſtum„ que facit in vaſis bilem non manere , ſed ſuâ ad cerebrum „ evolvi , ac volitare levitate : ac ſi amens non ſit , hinc no„ ris fore : quòd ſi jam eſt , mingitque tenuem , & albam „ cum interclusâ febri mortem proximam fore prędicito : „ neque enim cerebri vires ſuſtinebunt per febrim æſtuoſam „ immiſſę bilis acorem , & diſcerptionem putreſcentis. „ Ita etiam Duretus in Coacis fol. 510. loquens de urinis hæc jungit “ Nam quę ſunt pellucidæ , & aquoſę in morbis acutis ; „ eò certè apparent , non quatenus potioni concolores , ſed „ bilioſæ tincturæ expertes ; vel ob anadromen bilis in cere„ brum ad phrenitidem , & hæmorrhagiam ; vel ob deriva„ tionem ejus in alvum , ad dyſenteriam „ denique Hippocrates lib. 1. de Morbis urinæ bilioſorum mentionem inſtituit: *Quibus autem ad veſicam bilis aliquid confluit , iis urina craſſa , idque à pituita redditur , bilioſum verò deorſum ſecedit , eò quòd exuſta ſunt quæ in ventre inſunt.*

51. *Hoc autem notandum quòd in adductis accenſionibus pectoris eryſipelatoſis , ſive bilioſis ſputa effatu digna non apparebant : Urgebat autem tuſsis , quæ ad plures dies tracheam inaniter percellebat. In fine morbi humidior facta modicas promovebat excreationes catarrhales , ſpumoſas , albicantes & tandem mucoſas. Id ipſum narrat “ Hippocrates lib. VII. epidemiorum accidiſſe Metoni poſt Pleiadum occaſum febri , lateris dolore , & inflamma„ tione correpto ex cauſsâ bilioſâ &c. „ ut videre eſt apud eundem loco citato. Hoc equidem provenire reor ex eo , quòd bilioſus humor acer , reſinoſus , atque retorridus pulmonum veſiculas , glandulaſve obſidet , criſpat , ac in temporaneas adigit ariditates ; opus ideò ſyſtalticum , nutritium , & excretorium præpediens , ſoli muco familiari , areis trachealibus oblinito excluſionem concedit inter frequentes tuſsis conatus. Aliter evenire comperimus in exquiſitis*

quiſitis pleuritidibus, quæ per liberalem anacatharſim judicari ſolent, niſi tempeſtivus ſudor opportunè proſpexerit. Cùm etenim iſtæ producantur ferè à ſtagnatione ſanguinis, à quo lymphæ dimittuntur, & per viſceris non adeò contracti glandulas, & ductus ad bronchia tranſcendunt, copioſa hinc materies excreationi ſuggeritur.

52. *De memoratis affectionibus pectoris à bilioſis cacochyliis originem ducentibus egiſſe videtur verioris praxeos dictator Hippocrates lib. de Affectionibus, ubi de pleuritide, lateris dolore, & febre ardente tum per hyemem, tum per æſtatem ex bile commotâ, ad viſcera, & ſeptum transverſum reſidente provenientibus ſermonem faciens, inquit, & repetit* "Si ad pulmonis inflammationem tranſierint, pauci evadunt" *Ad curationem earum commendat diluentia, & potiones ad vomendum (quibus reverà uſus eſt in curatione præfati Metonis) vel infuſa ad alvum ſubducendam: Et de iisdem tractans lib. 3. de Morbis fomenta, diluentes potiones, emetica, bechica, & fluido-facientia optimo regimine ſuadet his verbis* "Tepefacientibus humidis calefacere oportet & potionibus, præterquàm vino, & quoad fieri poterit per ſuperiora purgare. Per tuſſim etiam, & ſputum ſurſum educere oportet. Alioquin alvus inferior, ut dejiciat præparanda, & potionibus humectanda, quod conducit" & paulò inferiùs hęc addit "Quòd ſi juxta rationem ſpuere nequeat medicamenta, quæ ſurſum educunt exhibenda; Primis quidem quatuor, aut quinque diebus paulò magis alvum ſubducere oportet, quò febres retundantur, & dolores leniantur &c."

53 *Cavendum ſemper à validioribus dejectoriis (maximè in iis, quibus affluit ſputum, vel ut promoveatur, neceſſitas poſcit) ne ſequatur intempeſtiva hypercatharſis cum pulmonum exſiccatione, & virium jacturâ, quibus mors præcipiti paſſu accerſitur, ut mox innuit citatus Senex ibid. his dictis* "Nam ſi multus humor per inferiora ſecedat, poſt quintum diem mortem adfert, ſuccedente enim per inferiora humore, ſuperiora ſicceſ-

ſiccescunt, neque ſputum per ſuperiora repurgatur „ *Ita contigit paucis ab hinc diebus fabro murario Bugellenſi, cognomine* Capellarius, *qui, titulo rheumatis, peripneumonicus erat cum raucedine, & affluentiâ ſputi ſanguineo-bilioſi citra ullum ſenſibilem lateris dolorem. Inductâ ex arte ſuperpurgatione, obiit quinto morbi die. Ob id ſuſpecta quoque ſunt emetica in datâ ſputi affluentiâ; Proſunt difficulter ſpuentibus, ſi per ſuperiora vim exerant ſuam; ſæpè nocent, ſi ad alvum impetuoſiùs irruant. Quare ad præcavendas irritationes, & irruptiones alvinas expertum habeo ciere vomitum horâ alterâ, vel tertiâ poſt aſſumptam panatellam, aut aliud leve alimentum hujuſmodi; ex indè inter vomitiones diluentia tepida, & emollientia proponere pitiſſanda, ut, quod reliquum eſt, feliciùs vomatur abſque nimiâ ſtomachi violentiâ, & liquidorum profuſione infernâ, ſemper in acutis verendâ (ut etiam obſervat expertiſſimus Sydenham de febribus, & maximè in pectoris morbis.*

54. *Maximi autem intereſt anodyna, hypnotica & refocillantia cùm delectu exhibere poſt emetici abſolutum opus, ſæpe etenim ſunt neceſſaria, ut fluidi morboſi motus compeſcatur, aut utilium laticum eductio ſupervacanea ſiſtatur, tum etiam ut reſtituatur ſolidis alterna requies, quâ poſſint novis ſuccis irrorari, tonumque ſuum reſumere. In his eligendis prudens ſit Medicus, & ſimul miſceat cardiaca temperata, aut theriacalia. Si verò ab epoti emetici concuſſione, vel etiam ſponte ſequatur ſputi per anacatharſim extricatio nonniſi leviora paregorica competunt e. g. tinctura, vel ſyrupus flor. papav. rub. emulſiones ex ſem. pap. alb. & ſimilia; nunquàm validiora narcotica.*

SCHOLIUM XXV.

ID certum eſt, emeticos ſtimulos, aut merè catharticos, laceſſendo naturalium viſcerum, quibus affiguntur, ſuperficies, eorum meatus adeò interdum intendere, & coarctare, ut impeditis, aut imminutis conſuetorum liquidorum fluxibus, *De incommodis ab emetico remedio.*

ipſa diutiùs ſiccescant, aut doleant, ut inde pro ſecretionibus propriis renovandis copioſo diluentium remediorum uſu emolliri debeant, ac relaxari, aut ſaltem anodynis obtundi, & cicurari. Ita qui catharticis copioſa diluentia intermiſcent, ſe optimè gerunt; optimè etiam, qui paregorica adjiciunt, aut præponunt.

55. *Si per inferiora in difficulter vomentibus, aut ob alias cauſſas præſtet purgare, non equidem tantùm irritativis, ſed & mannâ, ſimilibuſque abſtinere ſoleo in bilioſis ægritudinibus hujus notæ, vigente æſtivo calore, utpotè ſeri copiam detrahunt, & ſitim afferunt cum ægri incommodo. Clyſteribus congruis utor, & blandis cholagogis ſæpe jam laudatis, nempe caſsiâ, ſyr. roſac. ſyr. de cich. Gul. pulp. tamarind. el. lenit. &c. ut in adductis exemplis exponebam, ſimiliterque moneo, ut inter dejiciendum diluentibus non parcant.*

HISTORIÆ

Aliquot Bilioſarum Pleuritidum ſuperioris anni 1722. Emetico remedio fauſtè curatarum, aut ſine emetico lethalium.

I. JOſeph Berardi adoleſcens ann. 14. Junio menſe hîc Taurini decumbebat, cum dolore ad mammas punctorio, acutâ febre, pulſu duro, ſpirandi difficultate, ferinâ tuſſi, & creberrimâ, ſæpiùs irritâ, interdum non ſine longa difficultate, nunc liquidiora, nunc tenacia, nunc etiam cruore ſuffuſa ſputa, ſed ſemper flava, imò & aliquando crocea ejiciente. Inter tuſſis tentamina animo ſæpiùs deficiebat. Sitis aderat, & lingua arida, aut flavo quandoque craſſamine oblinita: Ardor abdominis, & præcipuè dextri hypochondrii, cum urinis flammeis, adſtrictâ alvo, & aſſiduâ jactatione: Vexabant inſuper contumaces vigiliæ, quibus quidem leniendis

ſi itum

ſi itum eſſet paregoricorum opere, ſomnus aliquis conciliabatur leviuſculus, ſed vehementiori citò excitato dolore, ſubito quodam ſubſultu excitabatur infirmus. Ad quartam nauſea nata eſt, cibi faſtidium cum inclinatione ad vomitum, tenſio abdominis, atque in primis epigaſtrii, ubi jam exquiſitior ardoris ſenſus percipiebatur. Propinatum fuit emeticum, ex quo plurima, variaque, ſed præcipuè bilioſa, mucilagini cuidam intermixta ejiciebantur. Meliùs habuit. Concocta ſpuebat, atque dilutiùs flava. Jamque remiſſa febris eſt, reſtituta reſpirationi libertas. Morbus per anacatharſim, ſimulque perennes bilioſorum ſedes ad undecimam judicabatur.

II. Mediolanenſis advena vigeſimum agens ætatis annum, degens in ædibus D. Philippi Rubei, autumno ejuſdem anni ſubito rigore corripiebatur cum reſpirationis anguſtia, ſerrino pulſu, pungente ad dextras legitimas coſtas dolore, ſanguineo ſputo, & biliari, amarore oris, inflatione abdominis, ſtomachique faſtidio. Sibilabat pectore, in orthopnœam jam properans. Celebratâ ſemel Phlebotomiâ, antimoniali remedio ad tertiam diem excitabatur vomitio. Hâc multa liquidiora, bilioſaque propulſa ſunt. Dormivit liberiori cum reſpiratione, atque dolore vix ſenſibili. Sed quartâ die omnia recrudeſcunt. Novum imperatur vomitorium. Plurima adhuc, & rurſus bilioſa, ſed viſcidiora, obſcurioraque deturbantur. Ad ſeptimam ſanus evaſit. Conſtitutio ad atrabilarem vergebat.

III. D. N. N. Bilioſus, Picrocholus, Vere 1721. exquiſitâ pleuritide correptus cum aſſidua tuſſi, interdum convulſivâ visâ, ſanguinolento ſputo, & mucoſo, quartâ die ſubflavo, cum vehementiſſimo terebrante dolore, gravi ſpirandi difficultate, vigiliis, & acutiori febre, ad fauſtam judicationem, quæ quidem undecimâ die elucebat, diſponi haudquaquàm potuerat, niſi inter initia morbi per mediocre vomitorium ex aſari radice paratum largè fuiſſet expurgatus. eidem

indè per longos amygdalini olei hauſtus multis, ſed crudis bilioſis alvus diffluebat: Atque octavâ morbi luce per validum propinatum catharticum multa etiam, ſed craſſiora, ſaturatioraque bilioſa eliminabantur. Qui in cujuslibet generis pleuritidum principiis crebriori, moleſtiorique, ac ſimul validiori tuſſi infeſtantur cum aliqua aſſiduè urgente excretione, quælibet iſta ſit, hos citiùs, tutiúſque judicatos perſpeximus. Et ſanè vividus ille, & veluti cujuslibet moræ impatiens, tuſſis conatus firmam indicat, atque naturæ robore conductam, pulmonarium ſolidorum ad noxios inhęrentes excutiendos, atque pellendos ſuccos concuſſionem; citra quam nulla pleuritis ſanabilis eſſe poteſt.

IV. Domina *Antonia La Francia* trigeſimum quintum fortè annum nata, parcè catameniis potita, non procul ab ædibus meis decumbens, pectoris anguſtiâ ad hyemis finem prehendebatur cum cruentato ſputo, dolore ad veras coſtas punctorio, acutâ febri, pallore linguæ, & faciei (hyſterica diu, atque indè penè cachectica extiterat) frequentibus inſuper lypothimiis, graviſſimoque ad ſeptimam ſtertore obſeſſa. oblatum è veſtigio vomitorium pertinaciter renuit. Oleoſis, humidiſque diaphoreticis ſublevari interea videbatur. Cruda, paucaque tuſſi profundâ excreabat. Undecimâ leniùs habuit, angore ventriculi & pectoris nonnihil recreatis. Atqui viſcidulum ſputum, ſed paucum, cum anxia tuſſi, noctuque præcipuè, atque ſpirandi labore, & ſudore pectoris ſupererat. Poſtea non ceſſante tuſſiculâ, neque vacuâ febri à remediis omnibus abdicabatur. Tuſſiebat igitur, febriebat, atque aliquando rigebat uſque ad Maii menſis exordia. Tunc ſævior, & arida febris, periodica tamen, accendebatur, quam pectoris angor acerrimus, & coacervata reſpiratio excipiebant. Dextrum Hypochondrium ad primum novæ febris ingreſſum valde tumebat, tactui ſimul duritiem, atque dolorem exhibens; in quo quidem mixta ſyſtrophica Hepatitis, propriis ſignis ſtipata, congerebatur. Creſcebat in dies hepatica op-

pilatio

pilatio cum extenſione ad epigaſtrium, ipſumque umbilicum, facie luridâ, & hippocraticâ redditâ, immerſo pulſu, exteriori frigiditate, anxietate perpetuâ, ciborum faſtidio, & univerſali reſolutione: Jamque ubicunque viſcerum impeditis ſecretionibus, cumulabantur humorum ſtaſes, ut tumor totum ventrem cum ingenti dolore, & renixu invaderet, diruta his omnibus, ſimulque ſpirandi oppreſſione ſuffocata moriebatur miſella, uteri, atque animi curis jam dudum conflictata.

V. Domina N. N. annor. 54. animo hilaris, & vegeta; molliori interea corporis temperamento, atque ad cachectico-ictericum labente prædita, ciborum faſtidiis aſſueta; hypochondriorum viſcerum doloribus, atque meteoriſmis non infrequenter obnoxia; intra quatuor annorum intervallum tribus, iiſque diſparibus pleuritidis ſpeciebus divexata fuit: primùm quidem lymphaticâ; ex qua non niſi fortium & ſæpiùs uſurpatorum catharticorum auxilio, atque hinc inſtitutâ epicraticâ purgatione evadebat, morbo ad maturationem lentiùs perducto, ſive ad quadrageſimum duntaxat diem per blandè ſuppuratum ſputum judicato. Altera pleuritis bilioſo-lymphaticam ſe præbuit; calidior idcirco, breviorque, binis primò ſanguinis miſſionibus excepta, hinc repetito emetico, ſublata. Tertiam, quam hîc proferre cogitavi, bilioſam fuiſſe, Phenomena omnia, adjuncta, & conſequentia, abundè teſtabantur. Die quintâ Junii 1723, frigidâ, humidiorique, poſt prævios calidiſſimorum auſtrorum afflatus, vigente conſtitutione, dolore ad ſiniſtras coſtas punctorio corripitur Matrona, cum tuſſicula quâdam non ſiccâ: Succedit rigor, febrili quidem, ſed leni calore exceptus. Tuſſis hinc rara, mediocris reſpirandi anguſtia; ſed ingens anxietas, cum febre manifeſtè periodicâ, manè mitiori, ſub veſperas citra ullam perfrigerationem exacerbatâ. Spuebat ſtatim viſcida, flava, pallidoque ſanguini immixta: Undè jam non malè præſagiendum fuerat juxta monitum Hippocratis lib.

Prænot: *In omnibus pulmonis & laterum doloribus ſputum celeriter, promptéque expui convenit, ſputoque valde flavum permixtum apparere.* Præcipuè cùm bilis à tempeſtatis fervore aliquando excitata, ſuperveniente frigore, in pulmone, aliiſque viſceribus concreſcat, hæreatque; etiam juxta illud Hippocratis de loc. in hom. ſect. 4. *Ubi in thoracem ob frigus defluxerit bilis, exiſtit.* Secundâ die ſitis aderat continua, ſed noctu moleſtior, & contumaces vigiliæ, cum majori ſpirandi anguſtia: Febris interea non vehemens, & calor ad exteriora mitiſſimus. Secta brachii vena eſt. Tertiâ die dolor moleſtior, nauſea cum acerrima jactatione: tuſſiebat, bilioſaque & ſanguinea liberè, & copioſè expuebat. emeticum cathartico ſociatum propinabatur. Pauca ſuperiùs ejecit, plura inferiùs, atque exquiſitè bilioſa: omnia interim remiſſiora fiunt; ſed quartâ die recrudeſcunt, cum habitu corporis non calido, ſed potiùs frigidiuſculo. Clamoſa ſitis; aſſiduus oris amaror, cum nauſea, & ingentiori anxietate: tum ſubita ad cutim erumpens icterica effuſio. Repetitum inter quintæ initia cum cathartico emeticum multa inferiùs ejecit bilioſa crocea, undè valde levata eſt. Dormiebat: parum ſpuebat, commodéque reſpirabat. Evaneſcente ſymptomatico ictero æqualior, vividiorque cuti redditus color eſt: Dolor vix ſenſilis: Febris, & anxietas minuebantur. Sextâ die Febris recaluit, qualis nempe concoctionis morbi videretur occaſio, ſed cum celeri, vibranteque ſimulque intermittente pulſu, atque vehementiori jactatione. Turbatam priùs noctem tranſegerat. Clyſtere alvus emollita eſt, undè ſcybala primùm, ſed ſummè flava, ſive potiùs bilioſa duriora tomenta dejiciebantur, dein liquida plurima non minùs bilioſa fluxêre. Urinæ copioſæ, pallidulæ, ſed craſſæ, poſt aliquam moram laudabile enæorema exhibentes. Quodpiam tenſionis indicium ad dextrum Hypochondrium prodibat. Sæva ſitis, cum arida lingua, & oris intolerabili pravitate; jactatio inprimis, ſub eâque angor aſſiduus, cum flatuoſa, ferè perpetua

tua comitante eructatione, frequenteſque ad vomitum ſtimuli ęgræ negotium faceſſebant: nec deerat ex adaucta febre productus ingentior quoque univerſi corporis calor. Sextæ noctem non minùs inſomnem egit: manè placidiuſculo ſomno indulgebat; atque imminutâ febri aſſidua eructatio, frequens alimentorum vomitus, cum bilioſis largè per alvum eliminatis, pulſuſque intermittentia ſupererant. Diluentia calidiuſcula epotabat. Urinæ adhuc copioſæ, ſed coloratiores, & craſſæ, multa concoctionis indicia laudabili ſuſpenſo perhibentes. Ad ſeptimam febris, & calor mediocres: Nulla tuſſis: Manifeſtior dextri hypochondrii tenſio, & ad tactum ſubobſcurus dolor: Urinæ denſæ, multæ, & ictericæ; nec non creberrimæ, ſimulque flaviſſimæ, & tomentoſæ alvinæ dejectiones. Dormiebat. ſitis cum anxietate minor. Octavâ omnia ſimilia. Longum cholagogorum purgantium dilutum propinatur, idque copioſiſſima rurſus, atque ſaturatiſſima biliaria viſcidula, imo ad uſque purgationis finem valde crocea, deturbavit.

Pulſus mollis, mitiſſimus calor; nulla anxietas, limpidus cutis color; atque deleta omnis in pulſu intermittentia. Ad Nonam bene habuit: Saturatas urinas, atque inſtar bilioſi olei craſſiores, pingues & unctuoſas reddebat, tum novas, mediocriter viſcidas, biliares excretiones: Neque penitus evanuerat dolor ad hypochondrium dextrum ex tactu ſe prodens. Pauca ſitis, lingua mollior, & humidior: Modica febris: optima reſpiratio; ſublataque tandem anxietas.

Decimâ & undecimâ exilis adhuc momenti febris aderat, mollis pulſus; neque ampliùs ſenſibilis prior illa in dextro hypochondrio ad tactum moleſtia: Urinæ pallidiores, ſed ſimul multæ, craſſæque, cum alvinis, ſpontè, & à clyſtere uberibus, continuò tenacibus, bilioſis, croceiſque profluviis. purgabatur duodecimâ, biliaribus plurimis ſolutis per ſedem copiis. Ita poſtea res ad uſque decimam quartam diem procedebant, excernendo, meliúſque habendo; quo tempore mor-

morbus, uti ante ſeptimam prædictum fuerat, judicabatur. Sequenti verò die alvus cathartico extimulata novas adhuc ſaturatorum bilioſorum perfectè concoctorum quisquilias deponebat. Urinæ tandem naturales, & copiâ mediocres; optiméque reſtituta valetudo fuit. In hanc ipſe curationem quartâ à morbo die ſuperductus eram. Clinicus fuerat Accuratiſſimus D. Moreni, Aulicus medicus; Illuſtriſſimuſque D. Fantonus noſter ſemel in conſilium adhibitus.

„ 56. Frequentiſſimè à bile, vel ſanguine bilioſo fieri pleu„ ritides, & habere periodos tertianarias ex Galeno, & „ Avicennâ colligit Hieronymus Mercurialis vir doctiſſimus „ Prælect. Bonon. de rat. victus in morbis acutis pag. 394. „ Summi itaque momenti eſt, quod obſervabam de ſangui„ nis miſſione, quam Hippocrates commendat in verâ pleu„ ritide, cui non competit purgatio, cùm ſit inflammatio ex „ ſui naturâ, ut ſcitè advertit laudatus Mercurialis loco ci„ tato ſuper Hippocratis textu: " *ſiccum autem fomentum &c.* „ *& pag.* 403. *& textu ſequente* " *ſi verò dolor ad claviculam &c.* „ „ & pag. 405., ubi admirandi Senis myſteria in curatione „ pleuritidis perpendens, hæc habet " *Dicendum eſt negotium* „ *mittendi ſanguinis tanti momenti eſſe, ut ſi rectè adminiſtre*„ *tur, protinus ſalubritatem: Si error quispiam committatur* „ *exitium, aut detrimentum maximum afferat. Quapropter di*„ *ligentiſſimus voluit eſſe Hippocrates in proponendâ miſſione lo*„ *co, menſurâ &c.* „ *& infrà repetit* " *Si ulla res eſt in medi*„ *cinâ faciendâ, quæ judicium Medici requirit, & inſignes dif*„ *ficultates habet, certè eſt negotium hoc mittendi ſanguinem.* „

„ 57. Porrò deteſtabilis eſt imprudentia eorum, qui in „ morbi limine deſumptâ indicatione à dolore, tuſſi, & fe„ bre phlebotomias affatim repetunt, nullo ſervato diſcrimi„ ne etiam iis, quibus extractus ſanguis inſons obſervatur. „ Autumant complures duræ cervicis Empirici, pleuriticos „ morbos, cujuſvis naturæ ſint, qui acutiem aliqualem præ-

„ſeferant

„ ſeferant generoſis ſectionibus jugulandos eſſe, velut in in-
„ cunabulis; jugulant autem pleuriticos homines. Enim ve-
„ rò, ſi hujuſmodi liberales ſectiones initio fiant in pleuri-
„ tide, ut aiunt, ſympatheticâ, & quando tota ſanguinis
„ maſſa morboſo fermento nondum eſt inquinata, manife-
„ ſtus eſt error ex jam antè probatis; ſi verò labem contra-
„ xerit, adhuc moderatione utendum; ſancita etenim eſt cor-
„ datorum ſententia, ſatiùs eſſe multiplicare numerum effu-
„ ſionum, quàm quantitatem, ut quibuſvis morbi recru-
„ deſcentiis occurratur cum virium tolerantiâ Contingit enim
„ ſæpiſſimè, ut pleuritis, aut peripneumonia, imò & ipſa
„ ſanguinis compages intenſiùs accendatur, elapſis aliquot
„ morbi diebus, dato in vaſis majori ſpatio, ut alibi nota-
„ vimus, aut recrudeſcant periodicè, ut ut copioſæ præmiſ-
„ ſæ ſint phlebotomiæ, (quod non rarò evenire conſpicimus
„ in præadductis bilioſis; quæ Tertianarum more ſolent exa-
„ cerbari) & in progreſſibus neceſſitas urgeat mittendi ſan-
„ guinem, & repetendi miſſiones, ſi potiſſimùm jam ex-
„ tractus denſum in ſuperficie chorium repræſentet. Quo-
„ modo autem id aſſequetur Medicus, ſi vires non fe-
„ rant?

„ 58. Nec è converſo probari poteſt panicus Medicorum
„ timor, qui, cùm viderint in principio morbi inutilem phle-
„ botomiam, hanc toto morbi decurſu ſibi proponunt fore
„ noxiam. Super his plurima offeruntur exempla hâc ipsâ
„ vernali conſtitutione frigidâ poſt hyemem calido - ſiccam.
„ Variatis hoc anno temporum vicibus noſtro climati con-
„ gruentibus, non tamen variatâ conſuetudine victus plenio-
„ ris, & ob vindemiam nobis copioſam, vinoſioris, bruma-
„ lem tempeſtatem ſuaviter evaſimus, curis afflatam abſque
„ frigoris incommodo. Aſt ſuperveniente Vere ventis borea-
„ libus, & aliquando pluviis interturbato conſtipata corpora
„ orgaſmis gravari experimur; undè plures exurgunt ægri-
„ tudines, prçſertim Tertianæ pertinaces inſtar autumnalium,

„ pleuritides viſcido-bilioſæ tertianariis periodis exacerbatæ,
„ & viſcerum infarctus cum febre ejuſdem genii. In primis
„ pleuritides hujus conſtitutionis initium ducunt à quadam
„ rheumatis pectoralis ſpecie, quibus febris cum rigore, la-
„ teris dolor, & reliqua pleuritidum ſymptomata accedunt.
„ Harum initiis venæ ſectiones, ſi rubello ſanguine repetan-
„ tur, morbum augent, in progreſſu ſanant. Ut harum ſpe-
„ cimen habeatur, exemplum quoddam adducam.

„ 59. Illuſtriſſimus D. Alexander De Liſola ex Comitibus
„ montis Acuti à Pado; primus in urbe Clavaſii Conſiliarius,
„ ac civis annorum 43. conſtitutionis ſanguineę, obeſę, &
„ laxæ texturæ, poſt diutinas animi curas, & habitudinem hy-
„ pochondriacam, inappetentiâ, membrorum gravitate, ac
„ capiplenio tenebatur cum rheumate pectoris, tuſſi, & ſpu-
„ to catarrhali viſcido. Tandem Solis ardore itinerando per-
„ culſus, & exercitio immodico fatigatus febre corripitur
„ die 24. Martii nuper elapſi ante auroram, cum levi perfri-
„ geratione, turgeſcentiâ dextri hypochondrii, dolore in
„ ſepto tranſverſo, & regione lumborum ad dorſum produ-
„ cto, ſuccedente calore, & ſudore graveolente. Nocte ſub-
„ ſequente dormiebat cum madore. Altero die non febrici-
„ tabat, nauſeabundus erat, renes adhuc dolebant, ſed ex
„ alvi dejectione levabantur, magis inſuper ob excitatum eo
„ die ardorem, ruboremque cum eſſeris minutiſſimis in utra-
„ que coxendice; hinc nocte adveniente placidè quievit. Ter-
„ tio die anorexia, & coxendicum phlogoſis vigebant, non
„ febricitavit. Veſpere ante cœnam ſumpſit bolum ex caſſiæ
„ ℥iij cum cremore tartari, cujus ope binas habuit ſedes. No-
„ ctem egit cum ſomno turbato, & purpurea coxarum efflo-
„ reſcentia evanuit. Quarto die horâ alterâ ab ortu ſolis fe-
„ bris reverſa eſt cum rigore ad tres horas perſeverante, do-
„ lore obſcuro in latere dextro cum tuſſi, & aliquo ſputo
„ exiguo ſubcruento, mox flavo-viſcido abſque cruoris ve-
„ ſtigio cum difficultate, vel potiùs impotentia decumbendi

„ in latus oppoſitum. Incaleſcente corpore, ſtatim ſcatebat „ ſudor, qui videbatur dolorem minuere, attamen cum an- „ xietate, & jactatione. ſudore remiſſo circa tertiam noctis „ horam ſagaciſſimus Doctor Capra, vir natalium ſplendore, „ & doctrinæ meritis clariſſimus, præfati Dñi concivis, „ phlebotomiam de cubito inſtituit; ſanguis extractus erat „ floridus, & poſtliminio revocatus eſt ſudor per totam no- „ ctem effluens cum tædio. Quinto die dolor adhuc perci- „ piebatur abſque ſputo. Infuſus eſt clyſter leniens, quo „ pauca dejecit, febrilis acceſſus repetebat horâ quartâ ma- „ tutinâ abſque rigore, pergente dolore obtuſo cum majo- „ re anxietate, æſtuatione, & ſiti. In expanſione hujus pa- „ roxyſmi iterata eſt phlebotomia de eodem cubito; ſan- „ guis erat paulò abſimilis, referens pelliculam tenellam. Ite- „ rum ſudabat cum anxietate. Urinæ rufo colore ſatura- „ bantur, quales in autumnalibus Tertianis. Anacatharſis „ nulla, pulſus depreſſus, & acceſſit vomitus amarorum. Hoc „ ipſo die conſultationis cauſsâ accerſitus ad ægrotum, & enar- „ rata ſingula ſcrutatus, indictâ epochâ ad ulteriores phlebo- „ tomias, emeticum propinandum duxi veſpertinis horis, „ idque lubentiùs, quia à ſpontaneo naturæ conatu indicabatur. „ Poſt horam ab aſſumpto hauſtu vomuit viſcida, & amara; „ paulò pòſt dejecit, & per vices vomebat, intercalando de- „ jectiones, & vomitiones cum euphoriâ. Excretiones alvi- „ næ erant ſeroſo-flavę, vomitu autem rejectæ è viſcido vi- „ reſcebant. Diluentia interponebamus, & nullo exinde re- „ currente evacuandi niſu dedimus mixturam ex conf. hya- „ cinth., & theriac. ā. ℥ß ſal. abſynth. ℈ß aq. ſcabioſæ ℥j Laud. „ liquidi gutt. XV., tranquillus quievit uſque ad horam ſe- „ cundam ſequentis diei. Sextus paroxyſmus fuit mitiſſimus „ abſque incommodo, & æſtu; Tuſſis erat humidior cum „ doloris obliteratione, & cum facili eruptione ſputorum glu- „ tinoſorum, quibus identidem ramenta quædam commixta „ prodibant liveſcentia, aut ſanguinea ſubacta, coloris ma-

 licorii.

„ licorii. Urinę minùs coloratæ aliqualiter deponentes, &
„ omnia miteſcebant. Nox diem ſeptimum præcedens fuit
„ inſomnis cum febris recrudeſcentiâ, jactatione, tuſſi ina-
„ ni, & ſiti; idcirco primâ luce phlebotomiam revulſivam
„ elegimus de ſaphęnâ dextrâ, ut naturæ obſequeremur, quæ
„ initio morbi ad infernas partes eruptiones tentaverat, &
„ deleta ſunt hoc præſidio enata ſymptomata abſque ſuper-
„ venientiâ manifeſtâ novi acceſſus diurni. Paratæ ſunt ci-
„ choraceæ potiones, & emollientes; lingebat interdiu è
„ cochleari julap. viol. violac. cum ol. amygd. dulc., & no-
„ ctu emulſiones demulcentes. Octavo die hauſit ℥iiij ol.
„ amygd. dulc. in jure carnis inſulſo, quo remollita eſt al-
„ vus aliquot excretionibus flavo-craſſis. Declinante ſole,
„ querebatur de univerſali laſſitudine, ſed præſertim de do-
„ loroſâ quadam hypochondriorum ſenſatione, ac ſi anteactas
„ vomendi preſſuras tunc ſolùm perciperet. Urinæ videban-
„ tur pepaſmum indicare, & in matulâ alterabantur, ita ut,
„ cùm eo die Taurino acceſſerit pro tertio doctiſſimus, or-
„ natiſſimuſque Doctor Richa Junior, Archiatrorum germen
„ digniſſimum, non de morbo potiùs, quàm de morboſis
„ reliquiis diſſerendum nobis ſupereſſet. Sed & anguis late-
„ bat in herbâ, quandoquidem febris noctu recruduit cum
„ vigiliis, tuſſi moleſtâ, crudo ſputo flavo-ſanguineo, & re-
„ divivo lateris dolore acutiore ad ſcapulas, & dorſi cen-
„ trum propagato. Jamque ſyſtrophica viſa eſt nono die la-
„ teralis affectio. Ob eam rem unanimi voto venam cubi-
„ ti retundendam cenſuimus ad effuſionem ℥viij ſanguinis,
„ qui fortiter coaluit, exhibens durum chorium, & flavum
„ ad diametralem digiti altitudinem denſum. Urinæ rufum,
„ intenſumque colorem reſumpſerunt. Poſt phlebotomiam
„ ſudor affatim fluebat cum ægroti tædio, & gravi moleſtiâ.
„ Circa meridiem remittebat ſudor, non remittente anxieta-
„ te; hinc ſitis ingens cum tali jactatione, ut decumbere
„ pertæſus æger lecto exurgere niteretur veluti phreniticus.

Potio-

„ Potiones ex decocto pectorali ſitienti concedebantur ad „ libitum, & horâ pomeridianâ inciſam venam reſeravimus „ ad emiſſionem rurſus ℥viij ſanguinis impetuosè effluentis „ ejuſdem omnino conditionis, & urgente tuſſi ſpuebantur „ ſanguineo-flava, febris efflagrabat cum reliquis ſymptoma- „ tibus. Vires nihilominus conſtabant, ita ut ab iis, & „ ab exaltatâ morbi acutie indicationem deſumentes, veriti „ non ſimus venam iterum relaxare ineunte nocte pro ter- „ tiâ unius diei effuſione ſanguinis impetuoſiùs adhuc proſili- „ entis abſque ſenſibili virium jacturâ. Poſt elapſam horam „ à poſtrema phlebotomia alvus turbata eſt, & bilioſa de- „ poſuit viſcidula. Eâ nocte ægrotus noſter laudabiliter quie- „ vit, & decimo die ex diluto caſſiæ tribus hauſtibus epoto „ excrevit cum eximio levamine magnam bilis flavæ, & „ viſcidæ copiam. Proſperum auſpicatus eventum, Infirmo „ Domino valedixi, in patriam redux; aſt poſt dies aliquot „ relatum habui à præclariſſimo Aſſiſtente, opportunam adhuc „ fuiſſe ſeptimam phlebotomiam ad ſuperandam undecimi „ paroxyſmi vehementiam, nocturnis horis ſimiliter repeten- „ tem, viribus id permittentibus; nec minoris malitiæ no- „ tas exhibuiſſe extractum ſanguinem. His peractis, evictus „ eſt morbus, pulſus percipiebatur validior, & interpoſitis „ ad aliquot dies alterantibus ex rad. & herbis hepaticis, „ amaricantibus, & capillaribus, datum eſt opportuno tem- „ pore catharticum pro repurgatione eradicativâ: & æger op- „ timè convaluit.

„ Viden ergo, quomodo curationis proceſſus juxta indi- „ cationes verſari debuerit primò ad minuendum orgaſmum „ vaſorum; ſecundo loco ad exturbandam per ſuperiora ca- „ cochyliam viſcido-bilioſam è viſceribus epigaſtrii. Tertiò „ ad cohibendum revulſivâ evacuatione impetum morboſi hu- „ moris ad ſanguinem rapti, & ſuperiora petentis. Quartò „ ad demulcendam bilis acrimoniam diluentibus, & epice- „ raſticis, vias alvi leniendas emollientibus, & ſputi erup-

„ tionem bechicis promovendam. Quintò ad præpediendas
„ phlebotomiis iteratis efflagrationes, exploſiones, & metaſtaſes ſanguinis morbido biliari fermento ſollicitati, & ad pulmones, caputve novis recrudeſcentiis febrilibus appulſi. Sextò ad excernendas per alvum feces viſcido-bilioſas à natura ſubactas. Septimò ad extinguendum penitus omne febris ſuſcitabulum. Octavò tandem ad expiandas cum toto vias omnes excretorias ad omnimodam morbi, & cauſſæ morbi exterminationem?

SCHOLIUM XXVI.

De miro in aliquibus orgasmis miſſionum ſanguinis numero, earumque neceſſitate.

QUemadmodum quum Bilis orgaſmo non adhuc cietur, ſed cieri poteſt, detractionem ſanguinis, plenam eſſe diſcriminis ſuperiùs attulimus; Ita ſi in orgaſmum jam concita ſit, & ſine lege per vaſa, & viſcera debacchari contingat, phlebotomiâ non minùs ac in orgaſmo ſanguinis, ſæpiùs, ſi opus ſit, repetendâ, frenari eandem, compeſci, diſtrahi à laceſſitis partibus, atque ad regulares motus componi oportet. Hinc contumax ejuſcemodi in deſcriptâ ægrotatione biliaris turgeſcentia phlebotomiam ſepties repetitam, non ſolùm citra virium notabilem jacturam paſſa eſt, ſed neceſſariò depoſtulabat. Vivit hîc Taurini Virgo quædam, quadraginta annos nata, degens in ædibus amiciſſimi mei D. Tabaſſii Rectoris Eccleſiæ S. S. Annunciationis ad Padum, cui ratione mixti orgaſmi, ſeu felleo-ſanguinei non minùs frequenter, quàm improvisè etiam abſque febre ingruentis, atque cum cephalalgiis enormibus, ſpirandi ſuffocatione, & ſputis bilioſi ſanguinis, pectus, caput, aut utrumque præcipuè infeſtantis ſeptingentæ circiter ex variis partibus miſſiones ſanguinis ſolo quatuordecim annorum intervallo, ut plurimùm ad unius libræ doſim, celebratæ ſunt. Hæc interea mediocris ad hos dies valetudinis potitur, gracilis quidem, ſed vegeta, neque nimis pallida, tum redditis uberiùs catameniis

tameniis diras illas liquidorum excurſiones tam crebrò non paſſa. Neque quò ad orgaſmi ingenium, ejuſque irruptionum modum, tum etiam ſanguinearum miſſionum copiam diſparem valde fuiſſe obſervationem in Cherienſi cive, quem inſuper, vel expleto ſeptuageſimo anno ad ſingulos menſes levi phlebotomiâ excipi oportebat, mihi olim retulit oculatus teſtis præclariſſimus, omnique virtutum genere ornatiſſimus, apud noſtrates ſenior Medicinæ Profeſſor Joſephus Piſellius. Tum à præſtantiſſimo apud Alexandrinos Medicinæ Doctore, amiciſſimoque D. Nottâ mihi non ita pridem relatum eſt, nobili cuidam Moniali Alexandriæ commoranti, neque adhuc ad ſenilem ætatem properanti, ob ſimiles cauſſas phlebotomiam millies, & quatercenties fuiſſe per octo annorum curriculum adhibitam; cujus quidem præſidii ipſemet pluries auctor extitit. Atque ex his Caſibus, ut quanta ſit in orgaſmo impetus ratio, & phlebotomiæ neceſſitas quiſque viderit, ita eoſdem, veluti rariſsimos, & inſignes hîc loci in gratiam Curioſorum recenſere non abſonum fuiſſe profectò exiſtimabit.

60. *Hæc autem præcipuè obſervabamus in hac ægritudine: Pulſus aſſiduam cordis anxietatem oſtendebat, & inæqualitatem maximam, non arteriæ duritiem, non vibrationem; (quod luctantium fluidorum lenteſcentiæ tribuebamus, partæ videlicet ante morbum à cauſſis non naturalibus, & univerſalibus præadductis; in morbo ab inutili, & ſymptomaticâ ſudorum emanatione.) Febris, quæ initio videbatur ephemera ab inſolatu, & exercitio, reverà fomitem habuit bilioſum, ut ut ab eruptione cutaneâ ad tempus quieſcentem, qui per eſſerarum palindromen reexcitatus ad periodicas efferveſcentias pleuritidem ſtatuit ſymptomaticam. Sputa, quæ poſt emetici ſuccuſſiones primò glutinoſa cum ramentulis lividis, & cruentis obſcuris viſcidi phlegmatis inhærentias arguebant, nono die ſanguineo-flava intensè colorata bilis exaltationem ſupra lymphæ lentorem per febriles efferveſcentias tertianarias promotam accuſarunt. Denique pulſus ſub finem morbi ob reſtitutum elaterem vali-*

validior vitalem igniculum, ſuperato morboſo ſufflamine emicantem teſtabatur.

61. *Plures alios pari morbo ægrotantes pari curamus eventu, habitâ ratione ad uniuſcujuſque idio-ſyncraſiam. Lumbricorum copiam tùm per vomitum, cùm per dejectiones excerni ſæpe videmus in iis, quibus minor eſt excretio bilis pituitoſas inteſtinorum ſordes verrentis.*

62. *Ab iiſdem cauſis ſimulatas inſuper pleuritides offendimus, quæ cæteroquin hepatitides eſſe comperimus, in aliquibus acutiores, quibus nempè hæc adſunt: Gravativus, ut dicitur, dolor in dextro hypochondrio cum tenſione turgido, atque inſuper in toto latere tenſivus uſque ad claviculam, & in ſtomachi regione moleſtus: Febris tertiana duplex intenſior: Tuſſis ſicca: ſputum nullum: difficilis anhelitus, præſertim ex decubitu in latus oppoſitum: Oris amaror, linguæ ariditas & ſitis; in aliis ſpurias, quibus nempe ſupradicta omnia remiſſiora extant, & major eſt lenteſcentia lymphatica. Acutiores curantur fomentis externis, diluentibus internis, clyſteribus, phlebotomiâ, potiſſimùm de venis inferioribus, hirudinum applicatione, atque cholagogis catharticis. Spuriæ iiſdem præſidiis, præterquàm miſſionibus ſanguinis, delentur; faciliùs adhuc ſi addantur emetica, & in decoctionibus amaricantia, præ cæteris fumaria, hyſſopus, ſcabioſa, abſynthium. Neutræ ultra decimam quartam diem perſiſtunt, raro ad vigeſimam protrahuntur.*

De Hepatitidum ſpeciebus, & curationibus Animadverſio.

De diverſa pleuritidum, atque hepatitidum diagnoſi ſuperiùs in Hepatitidis peculiari diſquiſitione abundè egimus; ubi pariter diſcuſſæ ſunt tres hepatitidis ſpecies, videlicet calida, frigida, & mixta, quas quidem Guidettus acutam, ſpuriam, & neutram non inferiori ratione nominat. Singularum inſuper naturam, extenſiones, & curationis ſcopos non minùs explanavimus.

63. *Nec in omnibus hepatis regio, ſed in aliquibus ſiniſtra pari modo afficitur acutè, vel remiſſè, cum ſtomachi dolorifico ſenſu; neque diverſam poſtulat curationem, ſed diuturniorem. Signa*

verò

verò peculiaris affecti viſceris, atque determinatæ affectionis, à diagnoſticis antiquorum probatiſſimis fontibus ſedulò petenda ſunt.

SCHOLIUM XXVII.

CAlidi, frigidi, humidi, ſicci hepatis, tum ſimpliciter, aut complicatis morbis aliis, patientis, habitudines in Galeni art. medecin. ſeu Iſagog. abundè conſulantur. *De Jecoris intemperiebus apud Galenum.*

„ 64. Obſtructionibus affecti hoc tempore malè torquen-
„ tur. Vir ann. 30. de familia Peretti à Marcenaſco ob in-
„ veteratas lienis obſtructiones cute luridus, pectoris rheu-
„ mate nuper gravabatur cum ſpirandi difficultate, tuſſi, &
„ ſputo catarrhali viſcido. Febre captus tertio die curari po-
„ ſtulabat. Inveni æſtuantem hominem, ſitientem, anhelan-
„ tem, dyſpnœâ correptum cum exiguo pulſu, ſummâ rau-
„ cedine, duris hypochondriis & turgidis, linguâ viſcido-
„ flavâ, obtuſoque dextri lateris dolore. In tanto morbi
„ apparatu, ut urgentiori ſuccurreretur, miſſus eſt ſanguis de
„ cubito iteratâ ſectione ad unc. VIII. viſcido-flavus, veluti
„ purulentus. Quartâ die leve catharticum ſumpſit, quo plu-
„ res excernebantur lumbrici teretes cum liquidis fæcibus.
„ Oblato bolo ex theriaca & conf. hyacinth. ā. ʒß: Campho-
„ ræ ℈ß: ſudores quintâ die ſcatebant cum languore maxi-
„ mo, & voce depreſſâ. Poſt alterum bolum ſextâ die pa-
„ ratum ex pul. belzoin. ʒß: theriac. ʒj. conſer. roſar. ℥ij, at-
„ que potiunculam alterati juris ex ſcabios. altheâ, & hyſſop.
„ valdè angebatur in pectore, & præcordiis, adeò ut mori
„ videretur. Aſt levamen egregium ſortitus eſt per copioſam
„ eruptionem ſputi, primùm lividi, exinde flavi, imò & cro-
„ cei, nonnihil cruenti à boli repetitione per totam ſeptimam
„ liberalioris. Aſſumpto octavâ die oleo amygdalino viſcida
„ dejiciebat cum vivis lumbricis, quorum duos vomitu reje-
„ cit. Febris die nonâ urentiorem ad externas partes ca-

„ lorem effudit cum pulſus vibratione, & icterico colore ſa-
„ turatiſſimo. Demùm per alterantia ex ſupradictis herbis
„ addito cichorio, indè epicraticis dejicientibus res meliùs
„ in dies procedebant. Qui hunc convaleſcentem vident,
„ mortis repudium, aut cœmeterio profugum vocant.

„ 65. Dubium mihi enatum eſt in ſupradictis ægritudini-
„ bus curandis: An ſcilicet oleoſa intùs ſumpta quo tempore
„ bilioſum recrementum in efferveſcentias agitur, ignem ad-
„ dant? In pluribus obſervavi, poſt exhibitum in jure amyg-
„ dalinum oleum, intenſiorem impoſterùm febricitationem:
„ An quia oleum bilioſæ accenſioni addere, atque intendere
„ pabulum aptum ſit, propter ſubſtantię analogiam? Non-
„ dum ſatis ſuperque compertum habeo. Id tamen innuiſſe
„ videtur Hippocrates VI. epidem. his verbis: " *quod autem*
„ *bilioſum eſt venit à pingui. & inſuper quibus eſt ipſum pin-*
„ *gue, iis etiam bilis*: „ atqui bilis, & febris mutua ge-
„ neratio eſſe ſolet; ergo &c. Attamen recludendis viis ad
„ morboſæ materiei excretionem hoc oleum conduxiſſe ſatis
„ innotuit. Hoc ipſum ad ſedendam tuſſim ſiccam, atque
„ moleſtam in epidemicâ conſtitutione pleuritidum bilioſarum
„ anni 1709. profuiſſe viſum eſt, ut ſuo loco innuebam. Ve-
„ rùm nitrata, ſambucina, & camphorata non omittebantur.
„ Problema hocce in re therapeuticâ exactiùs perpenden-
„ dum conjicio. Juvat huc adducere mirabilem iſtius olei
„ efficaciam in ſedandis diarrhœis ab acri materia excitatis,
„ ſi eædem primariæ ſint potiùs, quàm ſymptomaticæ, ſive
„ productæ à febri acutâ, vel peculiari inflammatione; &
„ præſertim ſi ſufficientes viarum abſterſiones prçceſſerint ope
„ enematum, & congrui alicujus eccoprotici ex decoctione
„ tamarind. rhab. &c. cum ſyr. roſ. vel caſſiâ rec. extr. &c.
„ Hoc nobile paregoricum non modò irritationes compeſcit,
„ ſed ſimul irritantes particulas obtundit, involvit, & per
„ lubricatas inteſtinorum ſemitas leniter educit, quod æquè
„ tutò à quovis alio anodyno, vel hypnotico non impetramus.

In

„ In dyſenteriis autem , ſi fortè diabroſeos , vel ulceroſæ „ tunicarum lęſionis indicia ſe præbeant illud implorare non „ aſſueſco , ratus per oleoſa hujus generis linimenta prępedi- „ endam iri , vel retardandam læſæ partis conſolidationem; „ huic itaque lubentiùs gelatinoſa, atque trau. :atica ſubſtituo. „ quòd ſi torminoſæ hujuſmodi inteſtinorum difficultates fo- „ veantur à præſentia acris materiæ continuò refricantis , „ quid vetat ne ab oleo hocce emolliente demulceri ſaltem „ queant , ſi obliterari non poſſint ? Non ideò ad vulnera- „ ria , & balſamica intercipietur proceſſus.

SCHOLIUM XXVIII.

Variæ ex Sylvio de le Boë, juxta varia bilis vitia, remediorum uſurpationes: atque hinc de oleoſorum præſidiorum uſu in efferveſcentiis bilioſis.

QUædam in mentem ſubeunt ad hunc locum non reticenda , de variis juxta varios bilis errores , & diſparem habitudinem, remediorum adminiſtrationibus, quæ aliàs in Franciſco De le Boë Sylvio legiſſe memini. Celebris itaque hic author *lib. I. Prax. Medic.* cap. 46. & 48. aliiſque abundè locis , Bilem nimiùm fluidam auſteriusculis gratioribus ad laudabilem , & naturalem conſiſtentiam ſenſim conducit : ſi ſolito craſſior eſt , volatilibus ſalibus, & præcipuè oleoſis aromaticis fluidiorem reddit , quibus etiam narcoticam in eadem progenitam facultatem emendare ſtudet : Adauctam acrimoniam uſu ſpiritus nitri edulcorati , aut ſalis dulcis , aliorumque, ſed vegetabilium, acidorum ; ut omphacii , ſuccorum berberorum , granatorum , aut ſimilium obtundere edocet : Bilis terreſtrior , atque ad lapideſcendum prona rurſùs per dulcem nitri ſpiritum , ex vino , aut alio liquore deſumptum ab eodem corrigitur : Bilis pinguedine peccans per temperatiora acida, & lixivum ſalem, tum puriorem ex abſynthio , carduo benedicto &c. tum magis terreſtrem ex oculis cancrorum, coralliis, conchis &c. elicitum, per aromaticas inſuper , & amaricantes plantas ; per ſalem tartari vitriolatum, & ſimilia. Cùm verò præcipuè , bili ni-

mium ſpirituoſæ, & ſolutæ oleoſis, & pinguibus, ſemine inſuper cannabis, ſapone, opio, & croco (quæ quidem omnia pinguia, atque oleoſa ſtabilit) mineralium, ac metallorum fixo, & anodyno ſulphure occurrat hic author, tum denique ſalinæ nimiùm, & acriori aliquando per viſcoſa, aliquando per ſpirituoſa, aut per blandiora acida, frequentiùs etiam per oleoſa proſpiciat; non video cur de oleoſorum remediorum uſu in bilioſis effervеſcentiis dubium aliquod ſupereſſe poſſit, cùm oleum irretiendis, infringendis, ſubducendiſque quibuslibet volatilioribus, impetuque majori percitis, humanorum liquidorum particulis aptum, natumque ſit; neque idcirco incrementa febrium oleoſorum uſurpationi imputari ullo modo queant; ſed potiùs propinationis faſtidio, ut arbitratur Galenus 2. de ſimpl. medic. facult. cap. XI., ubi poſtquàm dixerit: *Oleum neque refrigeratos excalefacere, neque excalefactos offendere*, exinde addit: *non tamen obſcurè iis, qui ex ardore febricitant faſtidii cujuſdam cauſa eſt, caloremque augere apparet.* Cautè igitur intelligendum eſt aliud ejuſdem Galeni effatum loco citato, ubi loquens de olei facultatibus in morbis ſubdit: *cæterùm lædere omnes, quæ ex purâ bile ſunt fluxiones vel maximè eſt notum: at quæ ex ſanguine illi permiſto conſtant, has quidem minùs, non tamen vulgariter.* Non negamus in eryſipelatoſis affectibus oleum applicitum proficuum haud eſſe, ipſoque ideò nullum eſſe utendi morem. Ita quoque adnotavit laudatus Author ibidem: *In exquiſitis eryſipelatis, quæ bilioſæ ſunt fluxiones manifeſtè calorem adauget, etiamſi applicetur frigidiſſimum.* Ita in his morbis activiora repellentia, & disgregantia uſurpamus. Intereà Galenus ipſe lib. I. de comp. medic. per Gen. cap. IV. *oleoſa eryſipelati præcipuè phlegmonoſo admovenda monet.*

Cæterùm, quos omnes morbidos bilis ſtatus in ſuperioris Prodromi §. II. accenſuimus, hi certè memoratis Sylvianarum curationum claſſibus, aut ſimilibus, accomodari poſſunt.

66. Bi-

66. *Biliaria hæc ſunt, quæ vernali hâc tempeſtate invaleſcentia, nobis inſueto more obverſantur. Non inficiabor interea biliares hujuſmodi exacerbationes minùs efferas eſſe, ac ſint interdum æſtivæ, & autumnales; tum quia bilis tantam acrimoniam, tantamque torrefactionem à mitiore hyemis conſtitutione concipere haud potuit, qualiscunque fuerit victus plenus, atque vinoſus; tum etiam quia recrementum hocce pituitoſis viſciditatibus irretitur. Nihilo tamen minùs identidem audio è vivis diſcedere citra oppidi noſtri confinia, qui catarrhali rheumate, vulgò* infreddore, *laborare dicebantur. Quo pacto hi à medentibus pertractentur profectò me fugit. Quocunque tempore timenda eſt exorbitans bilis.*

67. *Verùm antequàm dicendi finem imponam, liceat mihi retrogradò calamo funeſtos nonnullos caſus recenſere, quos quidem elapſis annis æſtivo, atque autumnali tempore obſervabam.*

Tres homines vidi robuſtiſſimos ſimplici tertianâ affectos, qui per inſtitutam phlebotomiam die febrilis recurſus, ingruente hinc paroxyſmo in horrendam choleram inciderunt, animamque bilis torrente ereptam efflarunt. Mulierem validam utero gerentem quinquemeſtrem poſt detractum è cubito ſanguinem ab incauto chirurgo in ſimplici autumnali tertiana tertius adoriebatur paroxyſmus cum maximo ad plures horas rigore, & rigida periit, irritis theriacalibus, ſpirituoſis, aliiſque cardiacis ad excitandum calorem propinatis. Conterraneus noſter D. Cignetti Doctor Medicus conſiſtentis ætatis, picrocholus, gracilis, duplici tertiana mitiore afficiebatur menſe ſeptembr. 1711, *cujus paroxyſmos ingens præcedebat ptyaliſmus horis ferè meridianis cum aliquali moleſtia in epigaſtrio. Quinto die proprio nutu celebrata eſt de cubito miſſio ſanguinis rubelli, poſt moram aliquam bile ſaturatum ſerum exprimentis; atque horâ paroxyſmi, præviâ conſuetâ ſalivatione facta eſt præcordiorum contractio cum atrociſſima meſenterici plexus convulſione, &, ut dicitur, criſpaturâ, velut ex inflicto acutiſſimo clavo in umbilici centro, accedente alvi fluxu feroſo-cruento inſtar loturæ carnium, hepatico dicto, nec non febre leipyriâ,*

diriſque cruciatibus, necem modico horarum ſpatio inferentibus. Huic propinatum apto tempore emeticum ſuccurrere potuiſſe meum ſanè judicium erat; " Febres etenim leipyriæ non niſi per cho-„ leram effusâ bile ſolvuntur: ex Hippocrate Coac. Præn. 120. „ *ergo & effusâ per emeticum bile de ſubjecto, ut dicebam, picrocholo, non modò tertiana citò curari, ſed & leipyria præcaveri optimo jure poterat, unà cum ſuis accidentibus. Diarrhœas acerrimas, atque indè ſubortas dyſenterias æſtivis, vel autumnalibus febribus ab iteratis præproperè phlebotomiis frequentiſſimas inſpicere datum eſt, nequaquàm iis, quibus opportunè emetica, vel ſaltem efficacia cholagoga, anodyna, diluentia, & paregorica cum adæquato regimine fuerant miniſtrata.*

Monitum Authoris. Medicæ ad choleram morbum, autumnales tertianas, hepaticos fluxus, leipyrias febres, diarrhœas, atque dyſenterias bilioſas (qui quidem morbi hìc obiter à Guidetto innuuntur) adminiſtrationes per ſua peculiaria loca, huic diſſertationi intertexta, abundè medentibus ſe porrigunt.

„ 68. Sed toties commendatis emeticis ſtomachum tibi „ excitare jam videor, *Præclariſſime Bianchi*, quemdam for-„ taſſe animi genium oſtentans ad hujus generis præſidia fi-„ denter nimium, uſurpanda ultra præfinitam à prudentio-„ ribus methodum; ac ſi, pro ſuſceptâ liberiori medendi con-„ ſuetudine, morbo cuivis, levi quâ datâ occaſione con-„ venire iſthæc affectarem. Attamen ſi minùs cautè unquam „ egiſſem in hiſce adminiſtrandis, non ſatis perpendens æ-„ gritudinum ingenia, cauſſas, & tempora, ægrotantium „ indoles, atque temperies, hujuſmodi demùm præſidii ex-„ hibendi modum, regimen, & doſim, id certè, quod in-„ numeris hominum teſtimoniis probatum fuit, modò tibi „ lætè, tutóque teſtificari non poſſem; nempe ab emetico-„ rum propinatione quidpiam ægrotis meis pœnitentiâ dig-„ num contigiſſe nunquam; me potiùs timoris non ſemel „ pœnituiſſe, quo quidem perculſus in morbis quibusdam

incer-

„ incertioris aleæ ab hoc remedio abſtinuerim, veritus, ne „ morte, quam morbi vires inducerent, importuno imputatâ remedio arti nota inureretur: cujuſmodi formido vel „ ipſos medicinæ coryphæos angere perhibetur, ſi nobilium „ ſaluti reparandæ interſint. Cæterùm exturbandis, extirpandiſque bilioſis cacochyliis, æſtivo tempore præcordia, „ & epigaſtrium præcipuè obſidentibus vomitoria apprimè „ conducere peritum neminem latere oportet monitu magni „ Senis Aph. 4. Sect. 4: “ *Medicari æſtate ſuperiores ventres* „ *magis; hyeme verò inferiores.* „ Pro diverſa quoque ægrotantium habitudine diverſum exhibendi regimen ſuadet prefatus Cous *de ſal. victus rat.* 338. 40. “ *Obeſi, & minimè tenues jejuni vomant; graciles autem, & imbecilliores à cibis* „ *vomitum cieant.* „ Dixi: æſtivo potiſſimum tempore; nam, „ quamvis ratum ſit æquè convenire per autumnum emetica „ ad rectè auſpicandas vulgarium morborum curationes, rarò tamen illa ſufficere comperiuntur ad has abſolvendas, „ quin ulterius ad plures dies epicraticis ſubductoriis ſit dimicandum ob majorem, crudioremque hâc tempeſtate „ materiæ heterogeneæ congeſtionem, altioremque inhærentiam. Intereà valdè miror quòd precepta iſthæc Hippocratica rationi omninò conſona, atque per ſecula tantoperè „ venerata, noſtris hiſce temporibus flocci fiant, imò inculta pretereantur. Poſt innumera experimenta quotannis feliciter habita circa morbos æſtivos, & autumnales jam poſſum conſtanter aſſerere nullam inveniſſe dubitandi cauſſam ſuper allatâ methodo medendi per ſuperiora. „ Repeto tamen in adhibendis emeticis me nunquam fuiſſe „ nimium, ſed maluiſſe quâ datâ indicatione moderatam „ repetere doſim, quàm validiorem audacter tentare.

„ 69. Neque ſicco pede prætereundæ omninò ſunt ſuperſtitioſæ quorundam urbanorum hominum opiniones, aſſerentium primitùs: emetica eſſe ſumma remedia, haud „ propinanda, niſi in ſummo morbo, ſummâ neceſſitate,

ſum-

„ ſummoque vitæ periculo, quando nempè cætera non ſuf-
„ fecerint. Secundò: non convenire valida hujuſmodi præ-
„ ſidia civilibus delicatiſque perſonis, aſt tantummodò ro-
„ buſtis athletis, nervoſiſque plebeis rudem vivendi normam
„ ſervantibus; hinc familiaria hæc haberi in militum contu-
„ berniis, in xenodochiis, & pauperum tuguriis. Tertiò:
„ Medicos emeticorum fautores, illos potiſſimùm, qui li-
„ beram praxim longè, latéque profeſſi ſunt in ſuburbiis, &
„ oppidis, ablegandos eſſe ab urbium pomœriis, quòd vide-
„ licet morbos, & medelam urbanæ gentis indigenam non
„ calleant.

„ Objectionibus, ſive potiùs objurgationibus adductis reſ-
„ ponſum daturus, in primis non diffiteor emetica eſſe qui-
„ dem remedia generoſa, non tamen indiſcriminatim; va-
„ riæ etenim dantur eorum claſſes, & cathegoriæ, in qua-
„ rum delectu poteſt Medicus pro re natâ rationem habere
„ ad ægroti idio-ſyncraſiam, materiæ morbificæ conditionem,
„ quantitatem, & inhærentiam, nec non ad morbi magni-
„ tudinem. Hinc aliquando ſolos hauſtus aquæ tepidiuſculæ
„ ſimplicis, vel mixtæ cum oleis, aut ſyrupis imperabit; ali-
„ quando radicem, vel folia aſari pulveriſata, aut infuſa;
„ nunc radicem ipecacuanhæ; aliàs ſalem vitrioli, gum-
„ mi guttæ &c. præſcribet; nonnunquàm decoctum folior.
„ nicotianæ, elleborum, aliaque hujus generis ſat valida.
„ Præ cæteris autem antimonialia apud vulgus æſtimantur po-
„ tentiſſima, cùm vel ipſo nomine terrorem inducant. & re-
„ verà ſi iſthęc minùs ritè ſint præparata, vel congruam ex-
„ cedant doſim, vim ſanè maximam inferre ſolent. Ob eam
„ rem haud ſatis fidendum iis eſt, quæ in ſubſtantiâ ad gra-
„ na duntaxat præſcribi ſolent, uti ſunt tartarum emeticum,
„ mercurius vitæ, vitrum, hepar, crocus antim. aliaque hu-
„ juſmodi; cùm etenim minima eſſe debeat eorum quanti-
„ tas ad ritè operandum, v. g. à granis iij ad vi circiter,
„ non erit minimus error, ſi qui fiat in exceſſu. Præterquàm

quòd

„ quòd ab unaquâque præparatione ſemper aliqualis emer-
„ git in præparato diſparitas quo ad energiam, quæ medi-
„ cum etiam cautum poteſt decipere, ut ut familiarem, at-
„ que probatam authoris cujuſpiam deſcriptionem ſignatè im-
„ ploret, quando præſcribit. Si verò eorum tincturæ, aut
„ infuſa, qualia ſunt vinum emeticum, & aqua benedicta Ru-
„ landi adhibeantur, quorum doſis ab ℥ß vel ℥j aduſque
„ ℥iij extendi poteſt, non ita facilè errare continget medico
„ experto, cùm poſſit ea vel ſolâ, vel aliis commixta præ-
„ ſcribere juxta ægroti diſpoſitionem, & morbi exigentiam;
„ Quòd ſi inter agendum aliquando excedant modum, anti-
„ doto ex paregoricis, & cardiacis deſumpto ſiſtuntur fa-
„ cillimè, ut jam notavimus experientiâ dictante; adeóque
„ non malè tuta ſunt, uti minùs peritis videntur.

„ Sæpè vomendi conatus laborioſi, & divellentes contin-
„ gunt ob fluidi laxantis defectum; quare inter vomitiones,
„ ut alibi monebam, exhibere expedit hauſtus decocti emol-
„ lientis inſulſi, ſaltem aquæ tepidæ, ut proritantium par-
„ ticularum ſpicula ſenſim leniantur, atque humorum ab eiſ-
„ dem provocatorum, bilis potiſſimùm, acrimonia per vi-
„ ces demulceatur, & diluatur; nec non ſtomachici villi
„ aptè laxentur, ut poſſint cum minori incommodo, &
„ majori excretorum copiâ ſtimulis obtemperare. Cavendum
„ inſuper, ne roborantia, vel paregorica, vel narcotica præ-
„ properè adhibeantur, antequàm recrementa à primis viis,
„ & viſcerum ductibus accerſita, ſufficienter ejecta videantur,
„ dummodò virium, & animi robur cunctationem permit-
„ tat. Poſt tepidos hauſtus vomitionibus interpoſitos, poſt-
„ que laudabilem humorum depletionem propinanda adhuc
„ eſt ſub finem aqua magis calida, ut viſcidum phlegma re-
„ ſiduum, acri bile intinctum, è ventriculi, atque inteſti-
„ norum parietibus abſtergatur, & omnis vomendi prorita-
„ tio impoſterùm deleatur. Hoc medio vomitiones abſque
„ labore feliciter abſolutas pro voto impetramus, nullâ ple-

„ rumque roborantium ſubſequente occaſione. Methodum „ hanc vel inter Praxeos meæ primordia ab expertiſſimo Coo „ traditam accepi *lib.* 2. *de morbis vulg.* hoc laconiſmo : „ “ *Vomitum ſedat calida in potu adhibita, & vomitione rejecta* „ ; „ Jamque innumeris *confirmatam experimentis candidè propala-* „ *re non pertimeſco.*

„ Quòd emetica in ſumma tantùm neceſſitate, atque extremis „ morbis ſint imploranda; reſpondeo falſam eſſe, & deteſta- „ bilem ſententiam; nam quando dantur hæ ſummæ neceſ- „ ſitates, atque extremi morbi, jam ægri vires vel ſunt at- „ tritæ, vel oppreſſæ; ſi ſint attritæ, nullimodè admittunt „ vomitoria, vixque dejectoria; ſi verò oppreſſæ, poſſunt „ quandoque eorum actione relevari, aſt ſæpè ſæpiùs ultrò „ peſſundari; Hinc eſt quòd antimonialia emetica hiſce mor- „ bi periodis adhibita dicuntur remedia periculoſæ nimiùm „ aleæ. Si autem temporiùs adminiſtrentur, dum nempè „ viget inſitus ſolidorum tonus, & naturæ operantis vir- „ tus, ad miraculum prodeſſe quotidianâ docemur experi- „ entiâ.

„ Ad ſecundam; quòd nempè vomitoria non conveniant „ delicatis ſubjectis, ſed robuſtioribus athletis, atque ple- „ beis, reſpondeo errorem eſſe non levioris momenti; quan- „ doquidem ſtrigoſæ exercitatorum, atque agricolarum fi- „ bræ tam membranoſæ, aut nerveæ, quàm carnoſæ, aut „ muſculares non niſi poſt maximam reſiſtentiam in antipe- „ riſtalticam vomendi actionem inflectuntur; ideò nec niſi „ in ſumma neceſſitate urgeri debent, & laceſſiri, quin oleo- „ ſis, ac diluentibus fuerint anteà emollitæ. Hinc majus ſę- „ pè commodum iiſdem acceſſiſſe animadverti ex epotâ ſe- „ milibrâ olei olivarum (ut mos eſt apud ruricolas) vel bu- „ tyri recentis & eliquati, quàm ex quovis dato ſtimulante „ præſidio emetico, vel ſubductorio. è converſo ſtomachici „ delicatorum villi molliuſculi, magiſque flexiles, ſaltem mi- „ nùs rigidi titillationibus emeticis non adeò reluctantur, aſt citiùs

„ citiùs obtemperant, & leviori negotio antagoniſtas ſuperant reſiſtentias. Inſuper plebei rudioribus, ſimplicioribusque alimentis frugaliter victitantes minorem bilis copiam ſenſim congerunt, ideò non ita facilè ejuſdem exundantiis gravantur. Nobiles verò opiparè viventes lautis dapibus, ſapidis, pinguibus, & multigenis biliferum penus notabiliter augere aſſolent, unde orgaſmos ineunt, ſæpè cholericos per ſuperiora evocandos. Non tamen inficiabor dari quoque in agricolis quibuſdam nidoroſos ſæpè apparatus per æſtatem, & autumnum ob immodicas exercitationes, improboſque labores, queis chyloſeos, vel biliariæ ſecretionis opificium alteratur; magis adhuc ob comeſtionem carnium ſalitarum, leguminum, aliorumque eduliorum oleis incongruis, vel lardo conditorum, addito fructuum horæorum abuſu; & ſimilium, quæ omnia, ut dicebam nidoroſas in primis viis cacochimias ſolent congerere, laudatis emeticis ſine mora obliterandas, dummodò non obſtet inſuperabilis ad vomendum difficultas, quam, cæteris paribus, majorem ſemper obſervavi in robuſtis, quàm in delicatulis; Hâc autem poſitâ ad cathartica confugiendum.

„ Ad tertiam: quòd videlicet medici emeticorum fautores (hi potiſſimùm, qui praxim ſuam diutiſſimè extra conſpicuas urbes liberè coluerunt, non ægrotis morem gerendo, ſed quotidianas obſervationes, atque Hippocratis monita auſcultando) ignorent methodum medendi nobiliores perſonas: negatur ſuppoſitum, cùm credant adverſarii nullum dari ſubjectum verè delicatum extra urbium mœnia, vel nullum rationalem medicum emeticis utentem in urbibus, dum ipſe plurimos recenſere poſſem præclariſſimos viros nobiliſſimos, atque matronas delicatiſſimas his præſidiis fauſto ſemper omine à me tractatos in urbe, & extra urbem, quando morbus, vel morbi cauſſa id remedii genus expoſtulabat. Nec deſunt Profeſſores Hippocratici famigeratiſſimi in civitatibus celeberrimis, qui ab emeticis

„ quâ datâ occaſione non abhorrent, panicum excutientes ter-
„ rorem, etiam quando de Principum vitâ tuendâ contenditur.
„ Verùm enim verò in hac medendi aleâ, uti etiam in reli-
„ quis ſolemnioribus remediis ritè adminiſtrandis, ſemper eſt
„ neceſſaria verſati Clinici prudentia, non audacia, non timor.

„ Addam poſtremò veram medendi praxim rationalem
„ non aliundè haberi, quàm à multiplicatis, atque interſtin-
„ ctis ægritudinum remediorumque obſervationibus, neque
„ has ullo modo obtineri, niſi per liberam medendi facul-
„ tatem, plurimos inviſendo cujuſcunque conditionis ægro-
„ tos ubique loci, per annos ſucceſſivè plures, habitâ ratio-
„ ne ad temporum viciſſitudines, vitæ genus, victuſque re-
„ gimen &c. " *Quare Celſus lib.* 1. *inquit: Quantum in vivis*
„ *cognoſci poteſt ipſa curatio oſtendat. Verumque eſt ad ipſam cu-*
„ *randi rationem nihil plus conferre, quàm experientiam.* „
„ Vereor itaque ne medentes urbaniſſimi, nobiliorum gratiam
„ aucupantes, eorumque geniis obſequentes, illi, inquam,
„ qui longè à Xenodochiis, militum contuberniis, & pau-
„ perum tuguriis verſati ſunt, Hippocraticæ praxeos jejuni
„ conſeneſcant. Non etenim auratos ſibi delegit experientia
„ toros, ut aſſideret docens, ſed pauperum lectulos; Hinc
„ ſcitè repetit prefatus Celſus lib. 1. " *Nemo in ſplendidâ per-*
„ *ſonâ periclitari conjecturâ ſuâ voluerit: ne occidiſſe, niſi ſer-*
„ *vaſſet, videretur.* „ Quòd ſi nihilominùs delicati, & me-
„ ticuloſi hujuſmodi nobiles adverſarii allatis rationibus non
„ acquieſcunt, audiant, precor, nec ignorent adagium, quod
„ de ipſis circumfertur: " *Vivunt ut volunt; curantur ut ju-*
„ *bent; moriuntur ut debent.* „

„ 70. Sed jam prolixior eſt ſermo, quàm deceat epiſto-
„ licam diſſertationem: ne ideò proritandæ potiùs, quàm
„ caſtigandæ bili videar conſuluiſſe, lubens manum auferam,
„ & ſilebo; dum nominis tui, quod ubique cluet recanendis
„ plauſibus, tuæque extollendis ſapientiæ præconiis, ſe totam
„ præbet orbis eloquentia. Vale Subalpinorum decus æternum.

Strambini in Salaſſiorum Provinciâ, pridie Kal. Iunii 1719.

EPI-

EPIDEMICÆ BILIOSÆ CONSTITUTIONES;

Annorum 1711, 1712, 1713, 1714, 1715, 1716, 1717, 1718, 1719, 1720, 1721, 1722, 1723.

Exactè autem tenere oportet propriam cujuſque temporum anni conditionem, & ſtatum, morbumque ipſum, & quidnam boni commune ſit conſtitutioni cum morbo, quidnam & mali conſtitutio, aut morbus inter ſe commune habeat. Et quisnam morbus diuturnus ſit, & exitium afferat, aut quisnam diuturnus, & ex quo ægri evadunt. Et quiſnam præceps, & exitialis, aut quisnam præceps, & ſalutaris. Hippocr. de Morb. vulg.

JOANNES THOMAS L. GUIDETUS, LECTURIS.

INter aſſidua praxeos exercitia ad rem medicam augendam ſpectantia placuit conſultiſſimo, & oculatiſſimo D. Bianchi tempeſtatum habitudines, morboſque ab illis promotos, Poſt primam Hepaticæ Hiſtoriæ editionem, ſeu ab anno 1711, ſingulis annis contemplari, atque diariis anno-

 tare,

tare, & cuſtodire, more Veterum optimatum, ut præternaturales humorum redundantias, vel alterationes per ſuas cauſſas depromeret, monente Hippocrate de humoribus: *Humores quibus anni temporibus effloreſcant noſcere oportet, & quales in ſingulis morbos efficiant, & quaſnam in unoquoque morbo affectiones pariant.* Hoc inquam utile inſtitutum proſequutus indefeſſus atque Illuſtriſſimus Vir, vulgares morbos plurium annorum disjunctis ſchedulis adumbravit, in primis epidemicam conſtitutionem Biliarem anni 1718, quam ſuper cæteras Obſervationibus refertiſſimam peculiari quâdam, concinnâque capitum ſerie diſtribuere noviſſimæque editioni Hiſtoriæ Hepaticæ præcipuam & ampliorem attexere decreverat: Hanc tamen in pluteis adhuc indigeſtam, conficere ad hos dies neutiquam potuit, gravioribus certè curis diſtractus, atque diſtrictus, præcipuè à ſolemni illo novæ in humanum corpus oſtendendum Methodi invento, quod his diebus tanto omnium hominum applauſu, tantâque litteratorum utilitate in publico Anatomico curſu feliciter tandem aperuit. Per id temporis ego dignis adductus cauſſis ab Eporedienſi provincia in hanc Taurinorum Auguſtam migravi; quare datâ conſuetudinis opportunitate amiciſſimus Doctor publicis, privatiſque rebus anatomicis, & practicis graviter, jugiterque vacans, Schedas ſuas Biliaribus epidemiis aſperſas ab anno 1711. aduſque noviſſimè elapſum 1723. mihi familiariter communicabat, & pro illâ, quæ nos à pubertate devinxit, neceſſitudine hortabatur, ut eas hiſtorico ſtylo in ordinem revocando, deinceps ſucciſivis horis conſcriberem. Exiguum hocce amoris ſymbolum præclariſſimo Viro detrectare non debui: tędebat intereà pretioſa iſthæc nobilioris Operis prælibamina rudi meâ, incomptâque minervâ exarare; cùm maximè haud me lateat, quantum pudoris aucupaverim in præhabita diſſertatione, cujus numeros innumeris erroribus ſcatentes antehac typis editos, atque doctiſſimis cl. Authoris noſtri commentariis interpoſitos, non ſine

moero-

mœrore perſpicio. Quòd ſi nullam de illis veniam ſperare mihi licet, ſaltem liceat, humaniſſimi Lectores, de noviſſimorum obtinenda confidere, ſi Epidemicas hujuſmodi hiſtorias expoſiturus ab Authoris inſtituto, & obſervationibus ne hilum receſſero, quemadmodum fideli calamo me facturum polliceor. Dum itaque hirſutos nævos paſſim offendere vobis obtinget, hos meos eſſe recognoſcite, atque ignoſcite. Utiles verò animadverſiones Authoris ſunto. *Manus quidem ſunt Eſau, Vox autem Jacob.* Dabam Taurini Kal. Febr. 1724.

INTRODUCTIO AD CONSTITUTIONES EPIDEMICAS.

POpularibus morbis nihil eſt familiarius, ſed & iiſdem nil magis incultum. Ferè quotannis graſſantur, & per intervalla recrudeſcunt variis aſpectibus ludentes juxta varias cauſſarum, regionum, & incolarum conditiones, ac temporum viciſſitudines; Medici intereà ſat arti proſpectum exiſtimant ſi monuerint verno tempore ſporadicos excitari morbos; eſtate, & autumno epidemicos ad hyemem deferventes. Vix ideò de eorum principiis, & ſucceſſionum cauſſis, nihil de eiſdem præcavendis ſolliciti, accuratiorem ſpernunt indaginem. Fugit hos aureum Hippocratis ſeculum, quo vulgares ægritudines, etiam peſtilentiales obviæ arcebantur, vigentes delebantur. Hypotheſi locum ceſſit obſervatio, confuſioni hypotheſis; & dum de internis, atque abditioribus morborum cauſſis, quas nemo unquam attinget, diſceptatur, generales magiſque perviæ negliguntur. Cauſſæ in hominum labem potiſſimùm conſpirantes externæ ſunt; ex his excitantur internæ innuente Hippocrate lib. de morbis: *Morbi oriuntur partim quidem ex his, quæ in corpore inſunt pituitâ, & bile, partim verò ex his, quæ extrà obveniunt laboribus, & vulneribus, quin & à calido ſupra modum ca-*

lefaciente,

lefaciente, à frigido ſupra modum refrigerante, & ſicco plus æquo ſiccante, & humido plus æquo humectante. Idem repetit libr. de Affect. *Bilis, & pituita morbos excitant cùm in corpore ſupra modum vel reſiccantur, vel humectantur, vel incaleſcunt, vel refrigerantur. Hæc verò pituitæ, & bili contingunt ex cibis, & potibus, laboribus, vulneribus, odoratu, auditu, viſu, rebus venereis, calore, frigore.*

Miſſis jam ad Chirurgorum praxim vulnerum morbis, ſalacibuſque relictis, ut ſibi ipſis religiosè conſulant, quis effluviorum per aëra volitantium qualitates à magno Sene per *odoratum* indicatas, vibrationes per *auditum*, ſpectra, & luminarium phaſes per *viſum* indigitata perpendit? quis, inquam, inordinatas *frigoris*, & *caloris* intenſiones, tempeſtatum mutationes ventorumque afflatus internoſcere didicit ad firmandas pathologicas diſquiſitiones? Non ſatis eſt medico curiosè perquirere ſolidis ne, an fluidis morborum impreſſiones contingant, ſed ultrò inquirendum unde, & quomodo eædem habeant determinari.

Ad artis ſacraria nobis eſt redeundum, *Doctores practici*, quibus vita hominum demandatur. Illinc genuinæ morborum origines repetendæ, ut eiſdem avertendis aut emendandis reluceant Hippocratici dies.

Quæ in primis ad res hominis naturales, vel morbidas faciunt docente optimo Coo ſunt *Regionum poſitiones*, *ventorum mutationes, & tempeſtatum tranſmutationes, annique conditiones.* lib. 3. de vict. rat. Quodve attinet ad morbos ex tempeſtatum vicibus, vel peculiari earundem conſtitutione dependentes præfatus Senex lib. de Aëre, locis & aquis hæc habet: *Si hyems quidem ſicca, & aquilonia, ver autem pluvium, & auſtrinum fuerit, æſtatem febribus abundare, & lippitudines inducere neceſſe eſt.* Inde rationem adducit: *ac ſiquidem ſub caniculæ exortum aqua, & hiberna tempeſtas ſupervenerit, eteſiæque ſpiraverint, quietis ſpes eſt autumnum ſalubrem fore. Alioqui periculum eſt ne pueri, & mulieres moriantur, minimè verò*

verò ſenes , aut ne qui evaſerint in quartanas tandem incidant, & ex quartanis in aquam inter cutem. At ſi hyems quidem auſtrina , pluvioſa , & placida fuerit ; ver verò aquilonium , ſiccum , & tempeſtoſum , primùm quidem mulieres , quæ prægnantes extiterint , & quibus partus in ver imminet abortionem facturas eſt veriſimile ; quæ verò etiam pepererint adeò imbecillos , ac morboſos fœtus parituras , ut aut ſtatim pereant , aut tenues , debiles , & valetudinarii vivant. Atque hæc quidem mulieribus, reliquis verò inteſtinorum difficultates , & lippitudines ſiccas , nonnulliſque defluxiones à capite in pulmonem ... Si verò æſtas pluvioſa fuerit , & auſtrina, & autumnus ſimiliter , morboſam eſſe hyemem neceſſe eſt , iiſque , qui pituitâ abundant , & quadrageſimum annum exceſſerunt , febres ardentes contingere æquum eſt , bilioſis verò morbos laterales , & pulmonum inflammationes. At ſi æſtas ſicca , & aquilonia fuerit , autumnus verò pluvius , & auſtrinus ſub hyemem capitis dolores, & cerebri ſyderationes fieri par eſt , ac prætereà raucedines, gravedines , & tuſſes , & nonnullis quoque tabes. Quòd ſi aquilonius , & ſiccus fuerit autumnus , ac neque ſub canem , neque ſub arcturum pluvioſus pituitoſis quidem , præcipuéque naturâ humidis , & mulieribus confert , bilioſis verò hoc eſt maximè adverſum. Admodùm enim reſiccantur , iiſque lippitudines aridæ contingunt , & febres acutæ , ac diuturnæ , quibuſdam etiam melancholiæ. In bile namque quidquid eſt humidiſſimum , & aquoſiſſimum conſumitur , quod verò craſſiſſimum , & acerrimum remanet , quod in ſanguine eâdem quoque ratione accidit , unde hi morbi illis contingunt.

Monet Hippocrates epidemicas ægritudines variis per anni tempora aëris affectionibus primitùs imputandas eſſe, non cibo, non potui , non exercitationibus , aliiſve cauſſis hujuſmodi inter non naturales ſimiliter adſcriptis , quæ cæteroqui ſuum ad ſuſcipiendas atmoſphæræ injurias ſymbolum conferre valent. *Ubi complures uno morbo eadem tempeſtate vexantur in id , quod maximè commune eſt , quove omnes utimur*

Xxxx *potiſ-*

potiſſimùm rejicienda cauſa eſt. Id autem eſt, quod in ſpirando trahimus. Quòd enim vivendi cujuſque noſtrûm ratio in cauſa non ſit, jam liquidò conſtat, cùm morbus omnes continenter attingat, & juvenes, & ſenes, & mulieres, & viros, proindeque temulentos, & abſtemios, tam eos, qui mazâ, quàm qui pane victitant, & eos, qui multis, quàm qui paucis exercitationibus utuntur. Non igitur victus rationi aſsignanda cauſa eſt, cùm cujuſvis generis victu utentes eodem morbo corripiantur.

Quod autem rei caput eſt Hippocrates per varias etiam ventorum, aut pluviarum habitudines in quibuſdam tempeſtatum cardinibus, tum ſyderum quorundam exortu, & occaſu iteratis præceptis ſparſim poſitis futuros, vel non futuros deinceps populares morbos per anni tempora prænunciare, eiſque idcircò opportunè proſpicere docet: *De annis autem hoc modo conſideratione adhibitâ quis ſtatuat qualiſnam annus futurus ſit, numne ſalubris, an morboſus. Siquidem ſecundùm rationem in ſyderum ortu, & occaſu ſigna appareant, ſi per autumnum pluat, & hyems ſit moderata, neque admodum blanda, neque præter modum frigida; & vere ac æſtate aquæ tempeſtivæ eveniant, ſic annum ſaluberrimum eſſe, conſentaneum eſt.* De aëre, loc. & aq.

Superiùs etiam addiderat: "quī temporum mutationes, aſtrorumque ortus, & obitus, ut horum quæque eveniant, „ tenuerit, is utique futurum anni ſtatum prævidere pote„ rit." *In genere autem, ad libri principium*: "Qui artem me„ dicam rectâ inveſtigatione conſequi volet, is primùm qui„ dem anni tempora in conſiderationem adhibere debet, „ quid horum quodque poſſit: neque enim quidquam habent „ ſimile, ſed cùm inter ſe plurimum differunt, tum etiam „ propter varias, quæ in eis contingunt mutationes. Dein„ de verò ventos tum calidos, tum frigidos, præcipuè eos, „ qui omnibus ſunt communes, ac deinceps eos, qui cui„ que regioni ſunt familiares .... Qui verò iſta rectè cogno„ verit, is cujuſque temporis impendentis, & anni ſtatum præ-

„ prædicere poterit, & quinam morbi tam æſtate, quàm
„ hyeme in urbe communiter ſint graſſaturi. „

Imò nec perſpectis peregrini aëris, ſeu ventorum rationibus, aut influentiis ex ſolis tempeſtatum vicibus, ſtatuque aëris per eaſdem duntaxat immutato, humores diverſimodè ad delinquendum diſpoſitos interſtinguit, unde communes morbos enaſcituros indigitat: “ Per hyemem verò augetur
„ in homine pituita .... quòd autem hyeme corpus pituitâ
„ repleatur, hinc conſtat quòd per hyemem homines maxi-
„ mè pituitoſa tum expuunt, tum emungunt, hocque anni
„ tempore præcipuè tumores laxi, & albi, & reliqui mor-
„ bi pituitoſi oriuntur. At vere adhuc quidem in corpore
„ viget pituita, ſed ſanguis increſcit, quòd & frigora re-
„ mittant, & imbres ſuccedant. Tuncque ſanguis augetur
„ tum ex imbribus, tum ex dierum calore. Æſtate verò ſan-
„ guis adhuc viget, & bilis in corpore attollitur, & in au-
„ tumnum protenditur. At per autumnum modicus quidem
„ ſanguis gignitur, quòd illius naturæ autumnus adverſatur.
„ Bilis autem æſtate, & autumno in corpore obtinet. quod
„ his indiciis cognoſcas, cùm hac tempeſtate homines ſuâ
„ ſponte bilem evomant, & per medicamentorum potiones
„ bilioſa repurgentur. Id quoque ex febribus, & hominum
„ coloribus patet. .... aſt ineunte hyeme bilis perfrigerata
„ pauca gignitur, & pituita rurſus augetur .... Cùm igitur
„ hæc ita ſe habeant, oportet morbos, qui hyeme augen-
„ tur, æſtate deſinere, & eos, qui æſtate increſcunt, hye-
„ me ceſſare, niſi intra certum dierum circuitum ſolvan-
„ tur .... morborum verò, qui vere oriuntur liberatio ad au-
„ tumnum expectanda eſt, & autumnalium morborum diſ-
„ ceſſum vere fieri neceſſe eſt. Quòd ſi quis hæc anni tem-
„ pora morbus ſuperaverit hunc annum fore ſciendum eſt.
„ Atque ita medicum morbis mederi convenit, adhibitâ ho-
„ rum cujuſque conſideratione. Quod in corpore prævalet
„ pro anni temporis ratione &c: „ *De natura hominis.*

Sunt & alia per libros Hippocratis loca quamplurima; quæ bilem ob ventorum poteſtates tempeſtatibus familiares, vel adventitias delinquentem, morborum in genere, præcipuè febrilium parentem accuſant. Alia non pauca affectiones peculiares ex bile progenitas enunciantia per praxim hanc ſæpiùs referuntur. Nunc textus unicus inſtar omnium vota noſtra confirmet, qui librum de Natura hominis concludit:
„ Febres magna ex parte ex bile oriuntur, quarum genera
„ ſunt quatuor, præter eas, quæ dolores eximios comitan-
„ tur. Earum autem nomina ſunt Continens, Quotidiana,
„ Tertiana, & Quartana. Quę continens appellatur ex co-
„ pioſiſſima, & meraciſſima bile provenit, & per quam bre-
„ vi judicatur: Corpus namque vehementi calore incaleſ-
„ cens, neque unquam refrigeſcens celeriter colliqueſcit.
„ Quotidiana ſecundùm continentem ex plurima bile ortum
„ habet, & præ aliis citiſſimè liberat, at Continente eò lon-
„ gior, quò ex pauciore bile provenit, quódque in ea cor-
„ pus quietem habet, quod in Continente nullo unquam
„ tempore quieſcit. Tertiana verò quotidianâ longior, & à
„ pauciore bile fit, quò que diutiùs in ea, quàm in quoti-
„ diana corpus quieſcit, eò diuturnior hæc febris eſt, quàm
„ quotidiana. At quartanæ in reliquis eandem rationem ob-
„ tinent, ſed tertianis tantò longiores ſunt, quantò minùs
„ bilis calorem exhibentis obtinent, tum quia in his corpus
„ liberaliùs refrigeratur, iiſque ab atrabile is cumulus acce-
„ dit, ut non niſi ægrè depelli poſſint. Bilis enim eorum
„ omnium, quæ in corpore inſunt, cùm ſit glutinoſiſſima,
„ maximè diuturnas ſtationes facit.

Hæc itaque magni Senis oracula, quæ praxis quotidiana poſt tot ſecula confirmat, in annorum conſtitutionibus, quas evulgare ratus ſum, tamquam prolegomena, imò totiùs operis archetypos mihi vertenda decrevi; ut ideò exactè tranſcripſerim; tanta licèt prolixitas in citatis operibus hodierno ſcri-

ſcribendi ſtylo haud conſentanea videatur. Sed quoſnam his utiliores codices in praxim advocarem?

Sed quoniam bilioſas duntaxat epidemias exarare ſtatuimus, ideò prætermiſſis hyemalibus morbis, qui à pituita originem ducunt (non tamen omiſſis brumalibus pręcurſionibus, quatenus in ſuccedentes influunt tempeſtates) à vernis conſtitutionibus, & morbis auſpicabimur, ad æſtivos progrediendo, & autumnales, quibus reverà bilioſæ ægritudines, dictante Hippocrate fiunt, gliſcunt, & diverſimodè ludunt. Speramus intereà lucubrationes has, quæ biliares morbos principaliter tradunt, & praxim non contemnendam Clinicis exhibent, perutiles fore quibuſvis Apollineæ facultatis ſtudioſis, atque medentibus, maximè quia ne dum noſtris, atque amicorum fidis obſervationibus innituntur, ſed etiam Hippocraticis expoſitionibus ad amuſſim reſpondent.

CONSTITUTIO ANNI 1711.

HYems ante ſolſtitium frigida, poſt ſolſtitium frigidior, & nivoſa huic anno præluſit. Ver aquilonium fuit, & pluvioſum; æſtas ſuccedens humida, & vix non frigida; hinc conſtitutio ejus ſub cane, & ante canem temperata imbribus frequenter decidentibus. Vigebant per æſtatem febres intermittentes vix ullæ, hæque irregulares, & ſpuriæ, cæterùm mitiſſimæ, rigoribus, atque æſtuationibus ſolito remiſſioribus ſtipatæ; Febres continuæ familiares magis, eæque potiùs continentes videbantur cum mitioribus ſymptomatibus. Sitis, vomitus, anxietates, dolores capitis, jactationes, fervores, oris amaritudo, vel nidor, aliaque ęſtivarum febrium ſatellitia ab hiſce omnibus ferè exulabant. Autumno perraræ quoque exquiſitæ intermittentes, quæ pręcipuè regulares periodos ducerent, viſæ ſunt. Rariſſimæ ideò quartanæ. Febres tertianæ duplices inordinatæ non verè intermittentes, ſed remittentes, ſive ſubintrantes continuæ prima-

tum obtinebant, & ſtationariam autumnalium indolem oſtendebant per diſtinctos circuitus, rigores, æſtuationes, & ſudores periodicos quotidie repetentes. Ad curationem catharſis optimè inſtituta cum pallidis bilioſorum excretionibus ſummè erat proficua, & interpoſitis alterantibus iterata febrilem commotionem ſedabat. Phlebotomiâ, & febrifugis vix opus fuit. Hinc deducendum febres hujus conſtitutionis fomitem ſuum traxiſſe à bile adhuc fluidâ, & ſolutâ, nec tam facilè à paroxyſmalibus coctionibus in ſpecificas moles congeſtâ, ideòque nec levi negotio à reliquis humoribus criticè ſeparabili, utpotè à leni æſtatis fervore non coctâ, vel coactâ, ſeu in denſioris compoſitionis cohæſiones adactâ, neque ad ſecretionum vias aggeſtâ, prout è converſo in ſequentibus, atque oppoſitis annorum conſtitutionibus facile eſt animadvertere.

CONSTITUTIO ANNI 1712.

PRincipium hyemis ante, & poſt ſolſtitium jugiter nubilum fuit, & frigidum. Ad januarij principium nebulæ adhuc conturnaces in tenuem pluviam liqueſcebant, & ſtatim inter morbos catarrhales varios, putà tuſſes, raucedines, & ptyaliſmos irrepſere febres frequenter ſoporoſæ provectis æquè, ac juvenibus infenſæ cum frigido ad caput decubitu, quem febris quidem imminuta proſequebatur. Ægri interim lentè moriebantur, vel comatoſi, vel cataleptici, vel aphoni. Plurimi ante obitum convulſionibus torquebantur.

Ver ſummè pluvioſum, & humidum uſque ad æſtivum ſolſtitium perrexit, exinde verò æſtas fervidiſſima fuit, *& calido latravit Sirius aſtro.*

Interea per illius, & autumni decurſum civicarum febrium copia defecit, earumque vices expleverunt creberrimæ diarrhϾ, & dyſenteriæ. Soli milites in caſtris, coloni in agris, & artifices ſub dio laborantes, ut fabri murarii æſti-

vis

vis fervoribus aſſiduè expoſiti febres per autumnum paſſi ſunt intermittentes. Enim verò per longam veris humectationem diluta bilis ad torridam illam, viſcidamque conditionem, quæ febribus producendis intermittentibus apta nata eſt adduci per æſtivos, quicunque fuerint, fervores haud potuit in civibus placidè viventibus, potuit tamen in cæteris ſub dio verſatis. Nec tamen inſons omninò fuit urbanis viris æſtus vigens, nam irritatæ, & fluorem adeptæ ſalinæ bilis particulæ, atque ad alvinas vias devolutæ, excretionum profluvia, vel inteſtinorum difficultates attulerunt; quòd autem morborum quorundam æſtivorum, vel autumnalium originem aliquando bilis ſalibus, non integræ ſubſtantiæ tribuere videamur, non hinc animus eſt vitium bilioſi recrementi quà talis prætermittere; cùm non poſſit alterari præter naturam pars ulla ex componentibus bilem, quin bilis ipſa morboſa evadat. Nec aſſentiri poſſumus modernis Hypotheticis, qui non modò humorum ſpecialiter peccantium nomina obliterare, ſed & Humoriſtarum ſententias proſcribere toto contendunt nervo. A verâ praxi, atque à veris medicinæ Parentibus diſcedere pro aucupandâ novatoris gloriolâ piaculum eſto. Morbi omnes, de quibus agere noſtrum fuit inſtitutum bilem vitiatam ubique redolent ſub variis tamen reſpectibus; bile etenim per corpus vagante, aut vigente, vagantur, aut vigent hujuſmodi ægritudines; depulsâ, vel correctâ cedunt illicò. Earundem criſes ſpontaneæ, vel artificiales, perfectæ, vel imperfectæ per urinam, per alvum, per vomitum, per ipſamet ſputa, & ſudores interdum merè bilioſæ exeruntur; ſymptomata itidem ferociora temperantibus, & anodynis obſiſtentia perſæpè vomitu, vel ſeceſſu bilioſo ſedantur. His autem obiter delibatis è diverticulo redeamus in viam.

Præfati itaque morbi verè bilioſi per hujus anni æſtatem, & autumnum, qui ſiccus notabiliter fuit, ideſt per totum octobrem viguere. Succeſſit november borealis, & frigidus, ſub

ſub finem varius ob aſtrorum , & aquilonum alternos afflatus , queis aër ad principium decembris valdè inæqualis thermometra per horas diei in aſcenſum , & deſcenſum ſæpiùs urgebat. Hinc epidemia rheumatica inæqualiter , ſed celeriter per totam Italiam , & ultrà protendebatur ſimillima ei , quæ anno 1709. deſævierat , ſaltem quo ad naturam, & invadendi modum , levior tamen , & brevior ; nam ad decembris medietatem invaleſcens , eodem finiente ſuum attigit apicem. Notatu dignum eſt quod obſervabamus die 25. ejusdem menſis Dominicæ nativitati ſacro : ante Solis ortum aër tepidus erat , ad ejus ortum rigidus flante boreâ ad uſque horam nonam horologii Gallici ; mox auſtralis per horas duas , & dimidiam ; rursùs borealis per horam ; iterùm auſtralis uſque ad primas tenebras , iterúmque per noctem gelidus. Hac inquam die quicunque libero aëri ſe ſe indiſcriminatim commiſerunt quibuslibet horis , præſertim veſpertinis , raucedinem extemplò inierunt cum tuſſi , & ardore tracheæ ; permulti ſævioribus gravabantur catarrhis , ita ut ſequente mane quinquaginta , & ultrà homines mihi cognitos dirâ hac invaſione veſpertinâ repentè correptos ſciverim, qui antehac optimâ fruebantur valetudine. In epidemiæ primordiis multi ęgrotabant , pauci verò interibant , morbo ſimplicem rheumatis conditionem haud excedente ; In progreſſu , & ſtatu penitiores ſupremi , & medii ventris partes invaſit affectio , hinc ferè lethalis. In declinatione conſtitutionis perpauci ægrotabant , ſed utplurimùm ante ſeptimam vitâ periclitabantur ob gravem ad interiora decubitum.

CONSTITUTIO ANNI 1713.

PEractâ aquilonum viciſſitudine humidus vigebat æqualiter , & temperatus auſtrorum afflatus menſe januario cum nivibus conſtanter per dies aliquot decidentibus ; Hinc morbida prægreſſi anni conſtitutio miteſcebat. Nonnulli attamen, præ-

præſertim ſenes, & phlegmatici, vulgò *fluxionarii*, vel aliter valetudinarii adulto hoc menſe, tum & februario per frigoris incrementum catarrhalibus orgaſmis, interdum metaſtaſi correpti ſupremum agebant diem, vel qui fortè evadebant longâ tenebantur tuſſi, aut arthriticâ affectione univerſali vel particulari, adeò ut uno die ad finem februarii ſex ægroti repentinâ iſchiade correpti conſilium noſtrum adierint. Nihil exinde memorabile ad hyemis finem obſervatum eſt, præter variolas, & morbillos non infauſti ominis, ut ut ſiccâ, & violentâ tuſſi cum febre, vel ardente, & ſynochali, vel obſcurè periodicâ angerentur affecti.

Ver æquè temperatum fuit abſque ventorum altercationibus, & abſque pluviis. Æſtas inde ſicca, & aquilonia; quare biliares morbi, tam univerſales quàm particulares ſilere viſi ſunt. Mixtæ potiùs affectiones emergebant lymphatico-ſanguineæ per æſtatis decurſum uſque ad autumni progreſſum. Hujuſmodi erant gutturis deſtillationes, & phlogoſes, tuſſes, pleuritides ſpuriæ, dolores potiùs intercoſtales, capitis gravitates, & dolores; febres ſcarlatinæ, & purpureæ, aut aliter mixtę, juxta ægrotantium ætatem, vel idioſyncraſiam. Itidem rheumatiſmi, & arthritides, pręſertim iſchiades. Genus etiam nervoſum ſpaſmodicis inſultibus, imò & convulſionibus angebatur, pręcipuè in collo ad originem ſpinalium. Ad profligandos hujuſmodi morbos tempeſtati diſſentaneos venę ſectio opportunè celebrata ſolenne erat præſidium, nec nos fallebat eventus, quandoquidem detractâ ſanguinis congruâ quantitate facilè ſolvebantur lentores ſanguineo-pituitoſi, & ad debitas oſcillationes reſtituebantur vaſorum extenſorum perimetra. Reverà bilis quemadmodum in humidioribus veris, vel æſtatis, vel utriuſque conſtitutionibus una cum frigore à borealibus deducto iners, & depreſſa jacet, nec vires exerit ſuas, ut hyeme obſervamus; ita in humidis conſtitutionibus cum adjecto calore diluta tandem acuitur, & alteratæ pituitę commixta mixtas ſimiliter affe-

 ctiones

ctiones procreat; In ſiccâ conſtitutione cum frigore, ut in hoc caſu ſæpè concentratur, & ſub lympharum ſuſceptis affectibus latitat, vel leviter cum iiſdem ſociatur. In ſicca demum, & calidâ, ut in deſcribendâ anni 1718. per propriam virtutem excandeſcit.

CONSTITUTIO ANNI 1714.

BRumales dies præcociter aquilonii, & rigidi extitêre. Ver frigidum, ſiccum, & undequaque ventoſum. Ideò creberrimæ fluxiones ad fauces, ad pectus, ad corporis habitum cum febre, & ſine febre catarrhales. Ad aprilis principium biduo, vel triduo afflantibus intenſis aquilonibus auſtrino ſpiritu vix interceptis peracutæ excitabantur pleuritides; illis ſilentibus ceſſabant & iſtæ. Medio Aprili iterum boreas recruduit ſævior, iterumque pleuritides legitimæ frequentiores, & contumaciores, ita ut die 17. ejuſdem quatuor unâ horâ pleuritici me ad curationem accerſerint. Harum pleræque per ſudorem judicabantur, etiam abſque præviâ venæ ſectione. Sudor, inquam, in earum principio ſpontaneus, quandiù particularis, vel interceptus ſcatebat, inutilis; in progreſſu autem continuus, copioſus, & univerſalis judicatorius fiebat quartâ, vel quintâ die. Per ſputum vix ullæ judicabantur, fortaſſe propter ſummam in humoribus viſciditatem ab aëris ſiccitate contractam. Raro itidem ſolvebantur per venæ ſectiones ut ut iſtę deſumptâ ab acutiſſimis ſymptomatibus indicatione repeterentur in pluribus uſque ad ſeptimam detractionem abſque levamine, imò nec retardato pleuriticorum interitu. Harum pleræque ſolâ catharſi expugnabantur, eâque validâ ne dum ante ſeptimam, ſed quandoque ante quintam, aut quartam. Hâc ad miraculum levabantur ægroti: Fæces excernebantur cretaceo bilioſæ, & ſimul ardentes, argumento pręclaro inductæ ab aëris ſiccitate in humoribus lenteſcentiæ. Cùm etenim verno tempore viven-

ventium fluida ad quamdam turgeſcentiam, ſive rarefactionem naturaliter promota majorem exigant in canalibus diametrum, & in cute perſpirabilitatem, ſi fortè inter hos niſus utrâque fruſtrentur, reliquum eſt ut in oppoſitam conſiſtentiam poſtliminio redigantur, & condenſati, coactique humores, præſertim bilis majorem, quàm anteà ad inhærendum viſciditatem nanciſcantur, & minorem ad iterum rareſcendum aptitudinem, quid quid natura per excitatas commotiones, & febres, quid quid ars per detractas lanceolâ copias, vel implorata diaphoretica præſidia eorum attenuationem moliantur. Id unum ferè aſſequitur febris, ut inductâ viſcidis, preſertim bilioſis effervefcentiâ acrimoniam augeat; id unum ars, ut dato in canalibus ſpatio, vel addito per diaphoretica humoribus acrefactis motu, major fiat à locis ſecretionis ad nobiliores partes impetus, præcipuè ad organa reſpirationis, quibus aër, ut ſuprà frigidus, & ſiccus peculiarem attulit rigiditatem, niſi vel ſponte, vel catharticis adhibitis per alvinas vias deturbentur morboſa recrementa, in primis biliaria, quæ vel, primas vias obducendo, comprimunt præcordia, & pectoris affectionem idiopathicam augent, vel per ductus ſecretorios non eructata ſympathicam confirmant, aut ſtatuunt per anadromen, ut mox dicebamus. Optimo itaque conſilio in morbi principio ſemel, aut iterum inſtitutâ venæ ſectione idiopathicæ affectioni occurrebatur, ſtatimque per cathartica morbidus fomes delebatur. Quo facto evidenter levabantur ægroti; & ad ſeptimam circiter criticis ſudoribus judicabantur. Hoc ritu plurimi ab orci faucibus liberabantur.

Raro viſi ſunt ejecti lumbrici, & quamvis per ſimiles aliquando morbos ſæpiùs excerni videantur, non ideò dicendi ſunt cauſſa pleuritidum, ut multi perperàm hariolabantur, ſed earundem ſocii, quippè his excretis non ſolvitur affectio pleuritica.

Cùm itaque epidemica hujuſmodi conſtitutio ab intensâ

humorum craſſitie, & ab notabili ſolidorum rigiditate proficiſceretur, miteſcere viſa eſt advenientibus longis pluviis, queis humores dilui, ſolida laxari, & acria demulceri potuerunt. Æſtas inde, & autumnus non valdè torridi fuere, ſed inæqualiter vel ad calidum, vel ad humidum deflectentes, hinc triplicis notę morbi ex bilioſo delicto emerſêre, ſcilicet primò febres intermittentes, ſecundò ardentes ſpuriæ, & tertiò dyſenteriæ, ſingulæ tamen haud nimis contumaces, ut conjicere fas ſit ex flore bilis exaltato ardentes ſpurias, ex ſedimento illius intermittentes, ex viſciditate, & acrimoniâ Dyſenterias fuiſſe productas. Primæ per unicam, vel alteram phlebotomiam, & conſueta refrigerantia defervebant; Alteræ per corticem peruvianum cicuratæ ſilebant; poſtremæ velut criticæ paucis erant tractandæ, nam cum ægrorum tolerantia aliquandiu vigebant, ſuâque ſponte terminabantur, vel uſu ipecacuanhæ mox à cruenta effuſione declinabant, & ulteriùs in diarrhœam migrantes ſalubriter deſinebant.

CONSTITUTIO ANNI 1715.

NOn ultra congruum, & climati noſtro reſpondentem frigoris gradum exceſſit hyemalis conſtitutio hujus anni. Ver ſiccum fuit, & æqualiter temperatum, hinc tertianæ legitimæ typum exquiſitè depuratorium ſervantes, benignæ ideo, & breviſſimæ aprilem non prætergreſſæ. Devergente maio calor ingens auſtrorum flatibus ſuccendebatur, ideoque tertianæ ab anteriorum indole deflectentes inſurgebant validæ, diuturnæ, nec remediis facilè cedentes. Ineunte junio ventus ſpirabat frigidus, mox pleureſes; anginæ, rheumatiſmi, genarum fluxiones, odontalgiæ, & catarrhi huic tempeſtati haud conſentanei; quare jure meritò aptari poteſt Hippocratis obſervatio: *Cùm ver hybernum fuerit, & extremæ hyemis frigora ſenſerit, hyberni etiam morbi fient, & tuſſes, & pulmonum inflammationes, & anginæ.* De humoribus.

Sup-

Suppreſſo boreæ afflatu calor invaluit cum auſtralibus ventis, ſimiliterque tertianæ validiores, & contumaces cum aſſiduis capitis doloribus, queis phlebotomi lanceola feliciter proſpiciebat. Per julium æſtus major febres intenſè bilioſas in aliquibus periodicas, in aliis homotonas cum acuto capitis dolore, cutaneis efflorefcentiis, vomitibus, aut diarrhœis bilioſis ſuſcitavit, cæterùm breviores raró ſeptimam, rariſſimè decimam quartam excedentes unicâ ſanguinis detractione, unâque catharſi curabiles. Inter has febres anomali quoque morbi ex pituitæ vitio bili commixto emergebant, quorum fortaſſe cauſſa procatartica fuit prægreſſa junii frigida intemperies; hujusmodi erant gravativi capitis dolores, articulares cruciatus, odontalgiæ &c. Huc pertinere videtur Hippocratis doctrina de internis affectibus: *Cùm pituita, & bilis in corpore mixta fuerit in ventrem defluit, cúmque ibi coacervata fuerit attollitur, ſurſumque ac deorſum velut unda diſcurrit, rigor, & febris prehendit, dolor ad caput decumbit, cúmque ad viſcera pervenerit ſtrangulatum adfert.*

Plurimi per hunc febrium decurſum, præcipuè juvenes vividioris conſtitutionis, aut vinipotæ febre correpti enormibus deflagrationibus ſimul, & graviſſimis virium proſtrationibus prehendebantur cum bilioſis exundationibus undequaque, nempè linguâ croceâ, urinis exquiſitè croceis, croceo pariter extracti ſanguinis ſero immerſos linteos flavedine inquinante, tandem & croceis dejectionibus; hinc facilè poſt unam, aut alteram catharſim in criticos, ſaturatoſque icteros migrabant, qui ſenſim evaneſcebant cum febre ipſâ poſt aliquot imminutos acceſſus finiente. Alii poſt aliquot intermittentis tertianæ, vel duplicis paroxysmos cum dolore acuto, & pulſante ad oculorum radicem febris aſſiduo comite per inſtitutam catharſim (exceptis plethoricis, quibus venæ ſectio erat præmittenda) & ſumptum ad quartam, vel quintam periodum peruvianum corticem convaleſcebant, in exulcerationes perruptâ labiorum crepidine. Plerique repetitis

purgationibus, & excretionibus materiæ exquiſitè bilioſæ in leniores paroxyſmos deducebantur, & brevi in integram apyrexiam, nullo ex febrifugis petito auxilio. Nonnulli ob ſuperadditas cauſſas ex bilioſis in alias diverſi generis febres incidebant, vel mixtas. Operarii nimiis laboribus dediti, & viatores improbis itineribus ſub acuto, & aſſiduo inſolatu fatigati, atque neglectis ſudoribus refrigerati febribus bilioſis per dies aliquot laborabant, mox in anginas, aut pleuritides legitimas, vel mixtas, aut in acutas arthritides incidebant; aſt iteratis venæ ſectionibus, calidiſque potionibus diaphoreticis verſùs undecimam judicabantur. Inter cæteros quidam ſimplici tertianâ captus cum vomitibus in principio, & cardialgiis ad quintum paroxyſmum minùs febricitabat, iterumque minùs in ſexto, ita quòd videretur ſeptimo judicandus, ſed auram captans frigidiuſculam dolorem lateralem accerſivit cum ſpirandi difficultate, tuſſi &c. Per hauſtus blandè diaphoreticos ſudavit, & convaluit. Infantes & pueri ſuos etiam patiebantur bilis errores, atque exceſſus, unde vomitus, & diarrhœæ bilioſæ creberrimæ. In pluribus biliare vitium ad cutim erumpebat per herpeticas puſtulas, vel papulas ardentes, aut mordaces, aut puncticula aggerrima culicum morſibus ſimilia, aut miliares quaſdam aſperitates, aut maculas per univerſum corpus hepaticas, vel ſaltem ephelides febre non productâ; quod etiam in adultis frequenter vidimus.

Hæc, ut monebam, à fine junii ventis auſtralibus perflato, ideoque calidiſſimo, aduſque julii medietatem dicto modo ſequebantur. Tertianæ ſimplices, quæ per hoc tempus ad ſeptimum communiter circuitum producebantur, & ſuper alias febres vulgariter vagabantur, duplicibus tertianis locum præbuerunt poſt aliquot imbres, fortaſſe quia bilis febrifera nonnihil diluta crebrioribus cum ſanguine circuitibus abſolvendis par exinde fuit. Hæ nihilominùs tertianæ duplices citiùs ſolvebantur, quàm ſimplices.

Cæ-

Cæterùm in ſubjectis fervidiori liquidorum conſtitutione præditis febres naſcebantur aſſiduæ typum duplicis tertianæ continuę ſervantes à prolixo rigore plurium horarum ſemel auſpicatæ, & in reliquis circuitibus à ſolo quodam momentaneo horrore repetentes; aliter in denſis conſtitutionibus, queis utplurimùm intermittentes adveniebant, quandoquidem bilis delinquens in primis ſubjectis fluxilior, & tenuior, alioquin accenſa & aſperior fomitem intermittentibus proprium producere non valebat, bene tamen in alteris ob majorem viſciditatem, & ſiccitatem.

Ut autem redeamus ad capitis dolorem jam ſuprà adductum velut ordinarium ſectatorem iſtarum febrium, cùm continuarum, tùm intermittentium, qui nempè acutus, pulſatorius, velut perterebrans frontem potiùs, imò orbitarum fundum inſtar pertinacis hemicraniæ invadebat, quive communiter in plerìſque ſolâ catharſi demulcebatur; ſi plethoricos nonnullos tenſiori fibrâ præditos excipias, queis phlebotomia præmiſſa utilis fuit: Hoc inquam doloris genus hemicraniæ analogum animadvertens conjicio vulgarem hemicraniam produci forſitan poſſe à bilioſo morſu nerveis inteſtinorum, & ſtomachi ſuperficiebus inflicto, à quibus inde per nerveos funes moleſtæ aſcendant irritationes adusque eorum originem, quæ cum plurimis frontis, & oculorum nervis medio intercoſtali communicat. Profectò hemicrania ferè ſolet excitari quo tempore coctior bilis, & copioſior ad duodenum, fortaſſe etiam ad ventriculum exundat, quum nudæ, ideoque irritabiles extant eorundem tunicæ, ſeu ante prandium; quare diluti alicujus alimenti aſſumptio in pluribus ferocientem dolorem minuit; Alii per tempeſtiva jentacula, aut mâtutinas epotationes eandem evadere didicerunt. Ipſemet hemicraniam alias frequenter appellentem bihorio ante meridiem, aquæ calidæ matutino potu cohibebam. Tandem hemicrania morbus ex bilioſorum ſtirpe eſt, ejuſque prodromus plerumque eſt vomitus, vel nauſea, vel etiam cardiogmus.

mus Juvenes potiùs, quàm Senes invadens, ideoque communiter creditur validam ſanitatem ſignificare.

Toto auguſto calor deferbuit, & febres bilioſæ pari ritu otiabantur, ſed ſobolevit nova rurſus catarrhalis affectio, quam aura frigidiuscula fervoribus intermixta, nocturno præſertim tempore gliſcens attulerat. Interceptâ itaque pluribus clanculùm tranſpiratione novæ anginæ, & pleuritides vernalium emulæ occurrebant; tuſſes ſiccæ, deſtillationes, dolores artuum, vel intercoſtalium, aliaque hujuſmodi.

Adventante autumno, & temperatis per imbres ventorum peregrinorum inſidiis, tum emollitâ fluidorum craſi exurgere nihilominùs viſi ſunt bilioſi igniculi copiis lymphaticis intermixti, novum quoddam febrium, & ſymptomatum genus ſtatuentes. Tunc febres continuæ explodentes, vel periodicæ cum orgaſmis compoſitis, impetu ad caput, nocturnis ideò ſubdeliriis, jactationibus, calore ſicco, faucium ariditate, cutis ſquallore, leipothimiis, anginis ſymptomaticis, linguæ fœditate, ſiti, virium & appetitus dejectione vigebant. In quibuſdam ictericis, & quibus viſcerum naturalium, hepatis præſertim infarctus prævii, vel in febribus producti aſſidebant, frequentes narium hæmorrhagiæ in viris, uterinæ in fœminis obſervabantur; circa ſextum morbi diem turbidæ urinæ quales jumentorum ſubjugales dictę, acres, & craſſæ mingebantur, divulſum tamen, & grave ſedimentum deponentes, & clareſcentes; Non tamen has febres malignarum titulo obſignare placuit, nam manifeſta origo bilioſo-lymphatica nomen iisdem mutuare debebat. Reverà ſuperatâ ſeptimâ turbę omnes ſedabantur, præcipuè poſt congruas catharſes bilioſam, mucoſamque excretionem affatim promoventes, aut poſt ſpontaneas hujus notæ diarrhœas. Quòd ſi quædam adhuc reliquiæ ſupereſſent fauſtè ſebrifugis profligabantur. Novæ interim ad ſeptembris finem pluviarum alluviones repetebant, quibus ultrò dilutâ bilis reſinâ, ejuſque acri-

acrimoniâ ſufficienter retusâ lætior, tutiorque ſors febribus, cognatis morbis, eorumque productis præluxit.

Febres ideò ſuperſtites, aut noviter accedentes ad intermittentium claſſes reducebantur cum ſymptomatum lenitate; Dolores capitis paroxyſmales exulabant; urinæ croceo, & lateritio colore depoſito clareſcebant mediocriter coctæ; ceſſarunt bilioſi vomitus in febrium ingreſſu; leviores uno verbo, brevioreſque circuitus, & morbi universùm dociliores methodicis purgantibus, alterantibus, & febrifugis cedebant nullam exigentes phlebotomiam, nec ullum poſt ſe trahentes recidivę fomitem. Rariſſimæ quartanæ in his tantùm, qui malè per æſtatem victus, & ambientis ratione utebantur; vel qui anteactas tertianas neglexerant.

Porrò in æſtivis fervoribus, quos præcipuè calidi ventorum afflatus multiplicant, imbres copioſi, aut repetentes præſto ſunt minuendis, vel avertendis morbis ſtationariis; his nempè diluitur ſuccenſa bilis, & in manſuetos motus compoſita, ſpiculiſque ſuis facilè dedolata turbas inde leviores, minúſque frequentes ſuſcitat. Quare per ejuſmodi conſtitutionem impetus febrium, aliorumque æſtivorum morborum ſæpiùs exuperans, toties per pluviarum adventum reprimebatur; ita ut facto per æſtatem, & autumnum morborum nunc inſurgentium, nunc cedentium, nunc deficientium calculo non ingens Taurinenſem urbem, ejuſque ditionem epidemia vexarit. Aliter eveniſſe percepimus in Pedemontanis quibuſdam, & ulterioribus Italiæ, & extra Italiam regionibus, quas nulla, vel modica mulcebat pluviarum irroratio; bilioſæ etenim affectiones epidemicæ ibi ſæviores pleroſque hominum adortæ per nulla intervalla mitiores, imò ex diutinis ſiccitatibus ferociores factæ remediis quibuſcunque obſiſtebant, vel in pejores degenerabant morbos v. g. arquatos diuturnos, obſtructiones, aſthmata, iſchiades, cachexias, hydropes &c. In dictis, inquam, regionibus ſicciſſimum ambiens infeſtam adeò habitudinem induerat, ut convenientes advenæ

poſt breves moras, velut contagio perciti in febres bilioſas inciderent. De his nonnulla videantur in prodromo morborum biliariorum ad calcem ſecundæ partis Hiſtoriæ Hepaticæ.

Notandum autem pluviam, ſi modica ſit, poſt longos æſtatis fervores ſemel, aut iterum decidentem bilioſas incenſiones, utplurimùm augere potiùs, quàm demulcere, factâ videlicet aſſatæ bilis per levem irrorationem ſubitaneâ, ut ita dicam, calcinatione inſtar calcis per aquam deſuper aſperſam.

September ob pluvias, ut dicebamus miteſcens in frigidum, humidumque octobrem deſinebat; ideoque morboſos tumultus depoſuit bilis præcociter repreſſa ab pituitoſis laticibus in morborum dominatum ſuccedentibus. Hinc per eundem, & per novembrem catarrhales ad caput, pectus, ventrem, & articulos morbi vulgariter emergebant.

Omnes hujusmodi mutationum ſeries, & morborum vices, nec non appoſitæ remediorum claſſes varios indigitant bilis ſtatus ſecundùm diverſas primarum qualitatum, atque ambientis habitudines, nam ſi conſideretur jam vernalis ęther poteſtatum renovationem in cunctis viventium liquidis intendens, vel ideò bilem ſimpliciter cum liquidis aliis ad majores inordinationes excitans, vel quodpiam liquidi ejuſdem biliaris vitiatum per æſtatem præcedentem, nec exantlatum ante hyemem, ideò compreſſum, & concentratum jam ſuſcitans, & impellens; quomodocunque ſit, in ſpecialibus quibuſdam caſibus biliares affectiones jam venient. Conſideretur ulteriùs bilis jam, ut ſuprà verno ęthere excuſſa, atque ęſtate adaucta, & deflagrans, vel nova veteri ſuperaddita (æſtas enim bilem gignit ex Hippocrate) & intempeſtivâ frigiditate compreſſa, aut ſiccitate intenſiùs concreſcens, aliis fluidorum delinquentium copiis intermixta, non ne proprias, aut communes turbas in ſubjectis diſpoſitis excitabit? ſit ardens & fluida jam continuè, vel per intervalla turgeſcet,

cet, & vagabitur; ſit reſinoſa, & cretacea, partes varias fixè obſidebit, & lædet. Ventis aliquando calidis laxata, & promota; frigidis conſtricta, & repercuſſa; pluviis interdùm mitioribus exploſa, affluentibus enervata, ferociam acuet ſuam, vel abſcondet, & deponet. Similiter ab actuoſis irritata, à diluentibus cicurata, per phlebotomiam ab invaſionibus revocata, per purgationem eliminata, febrifugis tandem irretita facillimè concipietur.

Nec ſola bilis verno tempore ad varios affectus morboſos excitatur; multa alia morborum diverſa principia in ſubjectis diſpoſitis per idem tempus expergiſcuntur. Sic plurimæ ineunte Vere naſales, uterinę, hæmorrhoidales, aut pulmonicę erumpunt hæmorrhagiæ; Sepulti per hyemem rheumatici affectus exurgunt; Phthiſes, hydropes, hecticæ tabes in pejus ruunt; paſſiones denique quæcunque hypochondriacæ, ſcorbuticæ, venereæ, maniacæ, ut & cutaneæ eruptiones, vel deſtillationes excutiuntur. Adeò verum eſt viventia omnia ut in macrocoſmo, ita & in microcoſmo per vernum tempus moveri, aut ſopitis jam motibus renovari ac veluti extincta per hyemem activa liquidorum principia, ſeu elateres reviviſcere. Anni tempora morborum reverſiones ciere plerumque ſolent, vel novas afferre ægritudines. *Illud præterea ſpectandum eſt quomodo affecta ſint corpora, cùm ab anni temporibus accipiuntur.* Hippocr. de humorib. Quod præcipuè de verno tempore prædicandum eſſe quotidiana experientia docet.

CONSTITUTIO ANNI 1716.

HYems præceſſit aquilonia, & glacialis cum uberrimis nivibus, adeò ut à fine novembris adusque principium martii triginta ſepties in Pedemontio ninxiſſe obſervatum fuit. Hinc capitis, faucium, & pectoris affectiones variæ, raucedines contumaces, aliique hyemales morbi. Ad principium

januarii flantem prius Vulturnum regelans excepit Auſter humorum compagem, ſolidorumque texturam laxans. Hinc fuſiones, & ſtaſes ſanguinis inflammatoriæ. Ver temperatum fuit favoniis, & ornithiis aliquandiù eventilatum; ſiccum deinceps uſque ad medietatem aprilis; tunc alternis imbribus largè perfuſum, non inſalubre. Vergiliarum exortus auſtrinos afflatus, & æſtus præſeferebat vigentes cum incremento uſque ad julium. Febres ideò exurgebant biliosæ, continuæ, vel intermittentes, vel remittentes non valdè à deſcriptis in ſuperioribus epidemiis diſſimiles. Intermittentes remediis leniter obtemperabant, nec, ſibi ipſis relictæ, ſeptimum excedebant circuitum. Homines durioribus addicti exercitiis, & laboribus, iis præſertim, qui ad ignem, vel ſolem exantlantur, v. g. Piſtores, & fabri murarii, in primis juvenes, vehementiùs ab hiſce febribus corripiebantur cum ſiti intenſâ, exæſtuatione, urinis flammeis, anxietatibus, capitis dolore, totiuſque corporis internis, externiſque ariditatibus; interdum biliosis orgaſmis, etiam ad cutim efflorescentibus. Crebræ in pauperibus, & exercitatis choleræ tam ſiccæ, quàm humidæ; crebriora alvi profluvia, & teneſmi cum, aut ſine febre haud infeliciter deſinentia. His aptari non immeritò viſum eſt Celſi effatum: *alvum fluere ſæpè pro valetudine eſt, dummodò intra ſeptimum quieſcat, & ſit ſine febre; expurgatur enim id, quod noxium latebat in corpore.* Fluxibus hujuſmodi biliosis aliquando urinæ difficultates ſociabantur per ſtimulos biliares ab inteſtino recto ad veſicam propagatos.

Finiente julio, & ineunte auguſto inter auſtros latè peragrantes ſubdoli repetebant euro-boreales flatus veſpere præſertim noctuque frigidi, cum nocturnis ſimiliter, aut matutinis imbribus. Poſt initium Auguſti venti exquiſitè boreales matutini cum pluviis, quibus poſt meridiem intermiſcebantur auſtrales; eapropter intermittentibus, continuiſve febribus, nec non diarrhœis adhuc vagantibus lymphatici accedebant

cedebant affectus, tuſſes contumaces, in pueris convulſivæ, arthritides ſimplices, anginæ, pleuritides ſpuriæ, aſthmata, œdemata, & hydropes. Quæ autem per æſtatem ante eurorum, & borealium afflatum in febribus, aliiſve bilioſis affectibus ab æſtu præcoci excitatis eluxerat placiditas, & facilis morborum reſolutio, aut curatio, aperto, & repetito euro-borealium inſultu in acriorem conditionem, & contumaciam degenerabant. Febres, earumque periodi, & ſymptomata vehementiora, & diuturniora evaſerunt, nec remediis facilè cedebant. Difficillimæ ideo judicationes, eæque, utplurimùm, imperfectæ anſam dabant recurſibus, vel viſcerum infarctibus, tumoribus, & fœdo cutis colori.

A cane ad arcturum, & ęquinoctium autumnale, dum auſtri jam quieſcebant, viceſque eorum ſumpſerant favonii cum aquilonaribus pleuritides aliquot inſuetas [præter ſpurias & incruentas] ſpectabamus, ſiccas, obſcuras cum dolore profundo, quaſi ad centrum diaphragmatis, tunc manifeſto, & acuto, quum ægri ſe ſe in latus alterutrum devolverent; reſpiratione ferè naturali; febre acutâ cum pulſu vix duro; ſputo albo, & viſcido nonnihil cruento. Pleuritides hujuſmodi non ſudore, non ſputo, ſed repetitis duntaxat largis phlebotomiis expugnabantur. Rati fuimus phlogiſticum decubitum ad eam pulmonaris lobi faciem inſidere potuiſſe, quæ lambit diaphragma, & per concavam figuram ſuam ejuſdem convexitati reſpondet, quam ideò caballinum unguem vocant Anatomici.

Notatu dignum eſt quod hoc anno, ęquè ac omnibus elapſis obſervabatur, nempè mulieres popularibus quibuſcunque morbis biliaribus, aut lymphaticis minùs tentati, quàm viri. Reverà fœminę, utpotè humidiori pollentes idioſyncraſiâ, & violentis laboribus non reſiccatę ad quandam menſuram bilis fervores concipiunt, & biliaribus morbis non adeò gravibus ſunt proclives; tum etiam inter privatos domi cancellos vivendi morem ſervantes rigidis, aut aliter infenſis

aëris percuſſionibus non adeò exponuntur, ideóque nec tam facilè in catarrhales, aut alios hujuſmodi affectus incidunt. Muliebria iſthæc in familiaribus epidemiis privilegia noſtro etiam Hippocrati innotuerunt. Sic in ſtatu tertio ſect. 2. lib. 1. de Morbis vulgaribus in epidemia æſtivâ: *Mulieres prætereà multæ ægrotarunt, minùs tamen, quàm viri, nec ita multæ obierunt.* & lib. 6. eorundem Epid. ſect. 7. in epidemiâ catarrhali hyemali: *Cæterùm mulieres non æquè ac viri tuſſi conflictabantur, ſed paucæ etiam febricitarunt, earumque valdè paucæ ad pulmonis inflammationem devenerunt. Eæque grandes natu, & omnes evadebant. Cujus rei cauſam eſſe exiſtimabam quòd non perinde, atque viri in publicum prodirent, & quòd nequaquàm pariter ac viri morbis tentantur.*

CONSTITUTIO ANNI 1717.

HYems initio mitis, vix nivoſa, interdùm auſtrina, poſt ſolſtitium rigidiuſcula, per januarium, & uſque ad æquinoctium lenibus perflata aquilonibus, nonnihil aſperior, & ſicca, vix tamen gelida anni hujus conſtitutionem feliciter auſpicabatur. Ver temperatum ſuccedebat gradatim tepidiuſculum. Ornithiæ leniter, & diutiùs ſpirabant. Æquinoctiales dies ſalubres, & tranquilli. Ortus pleiadum imbribus perfuſus, mox ſerenus, & lætis favoniis ſtipatus. Tardus auſtrorum adventus, hiſque quotidiè ſubſolani, & Boreæ interpoſiti, adeò ut ſolſtitium æſtivum vix ultra veris temperiem poſitum perciperemus. Æſtas itaque breviter, & in remiſſo calida fuit, & inæqualis. Sub cane, & ante canem aquilones ſolitarii ſpirabant cum ſenſibili, præcipuè ad noctem frigiditate; Ad Auguſti medietatem mediocris, ſed brevis. Arcturus humidus, cum auſtrorum ſuſcitatione efferum fervorem recolligente. Frigidus inde, humiduſque autumnus uſque ad vergiliarum occaſum.

Febres vernas perpaucas adnumeravimus, lenes cæterùm, & po-

& potiùs lymphaticas ; cauſones nullos. Duplices tertianæ continuæ per æſtatem viguere, ſed placidæ, & ad ſeptimam, aut nonam per ſudorem facilè diſſlabiles; quod etiam animadvertit Hippocrates lib. de humoribus : *ubi Æſtas Veri ſimilis extiterit ſudores in febribus, eæque faciles, neque peracutæ erunt, neque linguas vehementèr aridas habebunt.* Per breve Auguſti interſtitium nonnihil fervidum febres aliquot bilioſæ exurgebant ex tumultuariis continuis, quas ex quorundam ſymptomatum ſtrepitu malignas vulgus medicorum perperàm nominat. Veruntamen non anxietates, non deliria, non oppreſſiones virium paroxyſmales, non cardialgiæ, ariditates, æſtuationes, non papulatæ, aut puncticulares eruptiones cutaneæ, non centum alia ex Proteiformi perverſæ bilis indole germinata ſymptomata veram malignæ febris naturam conſtituunt ; hæc ſiquidem omnia vel in ſimplicibus tertianis intermittentibus occurrunt, præſertim æſtivis. Quod autem verè malignum eſt intimiores partes etiam majoris uſus clanculùm invadit, & cum minori ſtrepitu conficit, antequàm pateat ; principium quidem, ut cum Antiquis loquar, deleterium vix ſenſile, non extenſum, non conſuetum, remediis obluctans. Cæterùm faciles in dictis febribus curationes, etiam ſubitaneæ, vel per catharſim, aut opportunum febrifugum, vel modicum etiam paregoricum, aut aliud qualecunque alterans, facileſque coctiones. Nec virium nimia à paroxyſmis dejectio malignarum nomen malè arrogatum decernit.

Intermittentes æſtivæ raræ fuerunt, mites, atque facilis ſolutionis; rariores ad autumni limina, ſed contumaces, & fixæ ultra morem ſuperioribus epidemiis obſervatum. Ad medium, & finem autumni contumaciſſimæ, utplurimùm complicatæ. Duplices tertianæ anomalæ frequentiores erant cum ingente rigore, & æſtuatione inæquali diù ſatis protractæ, imò poſt aliquod exilium poſtliminio revertentes ; paroxyſmales capitis dolores mitiores quidem, ſed ſitis ardentior, & anxie-

anxietas major. Urinæ leviter ſaturatæ, frequenter palli-diores, & crudæ. Diarrhœæ, & dyſenteriæ hoc anno rarò viſę ſunt, eæque mitiores, & curatu faciles. Plurimæ lie-nis obſtructiones autumnalem conſtitutionem claudebant. Bi-lis etenim ab æſtiva rarefactione tumens nec à conſtanti im-poſterùm fervore congruenter diſgregata in mucidam, & cre-taceam naturam, facilè idcircò per lentos lienis anfractus irretiendam migraverat. Morbi inſuper regii contumaces non pauci aggerebantur ex nimia inęqualitate caloris, & frigoris. quibus omnibus ſat eſt textus Hippocratis in lib. de Humori-bus: *Pro anni autem temporis varietate ſimiles, aut diſſimiles erunt morbi, qui hoc tempore oriuntur. Quod ſi ſimiliter pro-cedat; aut ejusmodi morbi erunt, aut ad tale quid deducentur, velut ad morbum regium autumnalem, cùm frigus calori, & calor frigori ſuccedit. Si verò æſtas bilioſa extiterit, biliſque in-creſcens intùs remanſerit, etiam aliquantulùm lienoſi erunt.*

CONSTITUTIO ANNI 1718.

POſt hyemem aquiloniam, & ſiccam veris initium tem-peratum fuit. Ad aprilis finem Auſtrales ſpirabant ven-ti borealibus mitioribus aliquando intermixti. Maio, & junio invaleſcebant auſtri utplurimùm ſinceri, quandoque favoniis intercepti. Julius, & auguſtus cum ſeptembris initio auſtra-libus, atque etheſiis jugiter infeſtabantur. Vix tamen auſtro-rum humiditas, & pluviæ exiguę ſub æſtatis finem deciden-tes maximam horum temporum ſiccitatem leniebant. Ve-runtamen in hac noſtrâ Pedemontana regione nulla dari po-teſt certa ventorum exploratio, quâ exactè poſſint uniuſcu-juſque afflatus exactè diſcriminari, cùm ſinguli refringantur, variiſque metamorphoſibus turbentur; hinc aliquando ab au-ſtrali plagâ aquilones, ab aquilonari autem noti ſpirare per-hibentur, aliàs calidus percipitur, qui frigidus ab ortu ſuo ęſſe deberet, & viciſſim. In hac inquam, noſtrâ ditione

ędi-

ædificiorum parietes aquiloni expoſiti eo ferè læduntur modo, ac lædi ſolent Romæ [ex relatu celeberrimi Lanciſii lib. de nativis, & adventitiis Romani cœli qualitatibus] vergentes ad auſtrum. cæterùm per hæc tempora epidemicæ febres indolem tertianę intermittentis eſſentialiter ſervabant, ut ut ſępè continuæ ardentes, vel ſubcontinuæ accidentaliter audirent. Nec defuerunt complicatæ ægritudines, vel ſporadicæ, imò & febres ſymptomaticæ, quæ ad particulares affectus relationem habebant. Hinc & viſæ dyſenteriæ, nec non quædam bilioſi ſcorbuti ſoboles cum phlogoſi vagâ, cutaneis maculis, & gingivarum eroſione &c.

Ineunte ſeptembri criticæ excretiones bilioſæ ad alvum die ſeptimo, quandoque etiam quarto judicatoriæ fiebant præter morem, atque excreta bilis ne dum craſſa, & limoſa, ſed & intensè crocea, atque ardens erat. Emetica quoque proficua, iis præſertim, qui nauſeâ, oris amaritie, & vomituritione urgebantur. Dyſenteriæ, quæ per julium, & auguſtum ſævierant hoc menſe ſedabantur. Icteritiæ frequentes ſuperveniebant, illis potiſſimùm, qui febribus de intermittentium naturâ afficiebantur. Lippitudines quoque bilioſæ inflammatoriæ non raræ.

In ejuſdem menſis progreſſu febres pleræque continuarum naturam induere viſæ ſunt, nullum in acceſſu rigorem, vel horrorem præ ſe ferentes, ſed aſſiduum capitis dolorem, jactationem, laſſitudinem, ſitim, vigilias, linguæ ariditatem, mentis emotionem, & ſimilia malum morem ſimulantia, ſemper tamen ſuam ſervabant periodum. In febribus etiam intermittentibus longa deliria velut paroxyſmalia intercurrebant. Multæ inſuper tertianæ cardiacæ legitimæ, & ſpuriæ. Inter complicatas ægritudines hujus conſtitutionis aliæ quidem febrilem diſtinguebant periodum reſpectu bilioſi ſuſcitabuli, ſed & inſimul phlogiſticum quid exhibebant cum idiopathicâ ſanguinis accenſione, adeò ut etiam poſt notabi-

lem paroxyſmi remiſſionem accederent narium hæmorrhagię, tuſſes &c.

Ægritudines alię pectoris affectionem cum ſanguinis ſputo idiopathicam effingentes, periodicam, bilioſamque febrim unà obſignabant; difficillimum idcircò negotium erat internoſcere an particularis, an univerſalis affectio primaria foret; nam diſtinctus paroxyſmi recurſus quotidianus, ejuſdemque manifeſta remiſſio cum urinis croceis, & lateritiis (quæ urinæ procul dubio pectoris affectui, etiam inflammatorio non competunt) eſſentialem duplicis tertianæ ideam ſignificabant. Dolor initio morbi ad ſcapulas punctorius cum pulſu ferrato, tuſſi, reſpirationis anguſtiâ, & ſanguinis ſputo legitimam indicabant pleuritidem. Mixtum itaque dixiſſes morbum ex duobus æquè primariis, haud alterutro ſymptomatico.

Harum variæ ſpecies inſuper apparebant, nempè febris bilioſa cum hæmophthiſi, vel cardialgiâ, vel dolore epigaſtrii; internoſcebatur tamen in quibuſvis vitium bilis præ reliquis humoribus ex ſiti intensâ, ſummâ oris amaritię, linguâ flavâ, vomitu bilioſo, exulceratione labiorum, atque urinis, ut ſuprà dicebamus, lateritiis.

Febres denique ad extremos ejuſdem ſeptembris dies omnes primariæ bilioſæ, omnes continuæ cum delirio paroxyſmali; in aliquibus cum longo ſopore. Quò ad paroxyſmorum invaſiones in hac conſtitutione res maximè inæqualis fuit, & inſueta; nam in quibuſdam ingruebat acceſſus cum rigore apparenter notabili, attamen ęgrotantes nullum frigoris, ſed caloris ſenſum percipere aſſerebant; quare ſtragulas (ut mos eſt in rigore paroxyſmi) ſuperadditas recuſabant, utpotè ab his horrorem, ſimulque calorem velut ſuffocantem patiebantur, & in progreſſu ſpaſmodicos cruciatus ab anterioribus ad poſteriora, à trunco ad artus, ab hoc artu ad alium vagantes; è contrà qui levioribus utebantur lodicibus ſpaſmodicas haſce ambulantes irritationes cum minori mole-

moleſtiâ ferebant. Aliis paroxyſmus ſine frigore & horrore accedebat, ut ut febris de legitimâ intermittentium tertianarum familiâ foret; in ipſo tamen acceſſu ſitis ingens, oris amaritudo maxima, anorexia, & cardialgia, dolor angens, & ardor intenſus ad epigaſtrium, & ad lumbos, diarrhœa acerrima, quaſi dyſenterica, dolor capitis acutus, lingua arida, & nigra, jectigationes, deliria, & ſimilia ſuperveniebant. In utroque caſu bilem aduſtam, acrioremque culpandam arbitramur, ſervato tamen diſcrimine: nam bilis in primo caſu à propriis incerniculis ad ſolidas partes translata, ipſas occaſione paroxyſmi ſpaſmodicè laceſſebat; in altero autem ad ſecretionis vias, antrumque inteſtinale deturbata, præfatos tumultus, ſævaque excitabat ſymptomata, argumento ſanè præclaro bilioſum hunc febrium fomitem ab excretionibus conſuetis præpeditum haud ſemper in viſcerum anfractibus ſtabulari, ſed quandoque indifferenter deferri ad alias corporis partes, in quibus commotus ſuum ſervat irritandi morem, ſuaſque periodos. Huic ſententiæ circa bilem nunc ad alvum, nunc ad articulos irruentem adaptari videtur Hippocratis textus Coac. Præn. num. 462, ubi magnus ille Præceptor de dyſenterica affectione ſermonem inſtituens, eamque ſupponens, vel bilioſam, vel ſanguineam, innuit à ſuppreſſione ejuſdem prout bilioſæ fieri abſceſſus ad articulos his verbis: *Inteſtinorum difficultas intempeſtivè ſuppreſſa abſceſſum in coſtis, aut viſceribus, aut articulis inducit; Ac fortè bilioſa quidem articulis, ſanguinea verò in coſtis, aut viſceribus, abſceſſum facit.* Hoc autem loco illa vox *abſceſſum* non videtur intelligi ſtrictè pro tumore collecto, ſed pro *abſceſſione*, ideſt translatione materiæ abſcedentis ab una parte in aliam, ut in pluribus aliis locis videre eſt. Nec à ſecretoriis ductibus ad articulos, aliasve partes citiùs transferri queunt bilioſa recrementa, quàm occaſione febrilium apparatuum.

Enimverò parem huic nunquam obſervavimus bilioſarum

febrium epidemiam, quâ ægroti viribus adeò deſtituti forent, & anxii in paroxyſmorum acceſſibus, quaſi verâ laborantes cholerâ. Quòd autem bilis acrior præ cæteris fluidis vera ſit harum febrium conjuncta cauſſa ex hoc evidentiùs liquet; quòd pueri, quibus bilis inertior eſt, lymphaticiſque copiis temperata, non æquè febricitant, vel ſaltem conſaneſcunt citiùs: præter id, quod ab Hippocrate in genere dictum eſt: *Omnes febres à bile fieri, diverſimodè tamen affectâ*, lib. de Nat. hom.

Notabiles fuere paroxyſmales diarrhœæ, queis plerique ægrotantium torquebantur ex motu periodico bilis irritativæ maximè acris ab fervida tempeſtatis conſtitutione torrefactæ. His humectantia, & epiceraſtica frequenter propinata, ut ſerum lactis affatim epotum, proſpiciebant, cicurato bilis hujuſmodi acrioris ſtimulo. Profectò copioſi diluentium hauſtus, non potiunculæ pitiſſatæ eximiam bilis feritatem ſuperare queunt; quandoquidem, ut alibi notavimus (præſertim Conſtit. 1715.) humidum exiguum ferventi, & alkalinæ bili ſuperadditum eam potiùs accendit, quàm extinguat; non ſecùs ac igniculi in calce latitantes per ſimplicem aquæ irrorationem deflagrant, & exploſivi evadunt; per alluvionem ſubiguntur. Hinc à modicis pluviis inter, vel poſt eximios æſtatis ardores decidentibus majores exurgunt bilioſorum morborum ſtrepitus, uti hoc præ cæteris annis obſervavimus ab adventu imbrium ſub finem æſtatis poſt diuturnas quatuor, aut quinque menſium ſiccitates. Ab allatâ fervidæ æſtatis conſtitutione præcoces vegetantium fructus ſuas quoque depravationes acceperunt. Hinc racemis ſeptembri ante pluvias collectis, utpotè præmaturis, non vinum, ſed acetum poſt brevia octiduanæ fermentationis ſpatia hauſerunt incauti œconomi. Qui verò vindemiam ad ulteriora poſt pluvias tempora diſtulerunt, domeſticis rebus ſapienter conſuluerunt.

Notan-

Notandum autem ſæpè accidere ut in unâ plagâ permultæ excitentur febres epidemicæ, in proximâ verò, & attiguâ nullæ, quamvis eadem concurrat rerum non naturalium uſura; unde hoc petendum? an ab univerſali temporum conſtitutione? nequaquàm; tanta enim haud eſt inter ipſas diſtantia, ut non habeat utraque æqualiter affici: an ab intrinſecis cauſſis, & præcipuè à peculiari totius ſanguinis ſtatu, ex cujus diversâ conſtitutione diverſæ quoque ametriæ, hinc & diverſæ febrium rationes ſint repetendæ in colentibus regionem alterutram? Profectò quamvis hujuſmodi cauſſæ alias conferre plurimùm poſſint, ut infrà dicemus, in noſtro tamen problemate non ſatis evincunt; quippe eandem ſupponimus in utrâque plagâ climatis conditionem, atque, ut ita dicam, ipſiſſimum victus regimen, & temperamentorum analogiam. Ergo ab aliqua peculiari cauſſâ procatarticâ, ſive excitativâ, qualis eſſe poteſt miaſma quoddam putidum, vel aliter infenſum, quod videlicet propiùs attingat hanc, quàm illam regionis partem, cujuſmodi ſunt effluvia è locis paluſtribus, vel ſubterraneis emanantia. Quare in Vercellenſi ditione ſatis fœcundâ frequentiſſimæ quotannis exurgunt febres æſtivæ, & autumnales ob lutoſas aquarum ſtagnationes, & ſterquilinia paſſim cumulata ad fermentandum. In Sanbenigni oppido ſingulis omninò æſtatibus, & autumnis familiares itidem ſunt hujuſmodi epidemicæ, vel potiùs endemicæ febres cum obſtructionibus viſcerum; idque ob ſimiles prorſus cauſſas procatarticas, ſive, ut diximus excitativas: & primùm quia ſtramina, & quiſquilias poſt frumenti, aliorumque fructuum triturationem aliis uſibus ſuperflua, vel redundantia per vicos coloni ſpargunt, & ex induſtria humectant, ut putrefiant, præter fimeta ad exteriora domorum cumulata: Secundò; quia oppidum illud inter duo flumina ſitum eſt, Orcum nempè, & Malonem, quorum alterum mœnia lambit, & devergente auguſto immerſæ cannabis fœtidas

tincturas, aliaſque olentes mineralium ablutiones è montibus advehit, & aërem inficit. Porrò epidemicas Taurinenſium febres hoc anno poſt immerſas in Pado cannabes exordium duxiſſe multorum eſt obſervatio. Ejuſdem generis ægritudines epidemicæ per eadem æſtiva, & autumnalia tempora obſervabantur in diverſis locis provinciæ Eporedienſis, præſertim humilioribus versùs oras Balteæ Duriæ, ubi malè ſana agricolarum œconomia de ſaginandis agris ſollicita magis quàm de ſalute tuendâ præfato utitur more.

Hanc effluviorum vim excitativam comprobant binæ obſervationes per ejuſdem æſtatis decurſum habitæ. Quoad primam: Padus, qui mœnia urbis præterfluit, ad eam aquarum penuriam hoc tempore devenit, ut parem viderint nunquam ſeniorum Decani: ob eam rem foveæ permultę ab undarum illiſionibus deſertę in paludes abierunt. Reſiccatis inde ſub dio earum ſtagnis, herbę, piſciumque reliquię in dies fermentatę, & putreſcentes gravem cœperunt redolere mephitim. Quare homines utriuſque ſexus, qui ad fluminis oras habitabant in epidemicas febres inciderunt, periodicas quidem, ſed diuturnas, atque difficiles. Ægrotantium plurimi remediis, & apto regimine deſtituti, in obſtructiones, cachexias, & icteros deciderunt. Qui verò à fluminis littore nonnihil diſtabant, ut ut ejuſdem ſuburbii incolę, ejuſdem conſtitutionis, eodem utentes victu, iiſdemque exercitiis &c. mitiùs valdè, & in minori numero ægrotabant. Obſervationem alteram implent ęgroti plurimi, qui in recentiſſimis amplificatę urbis ædificiis ad portam Secuſianam habitare delegerant; eorum enim ęgritudines non ab aliâ procatarticâ cauſſâ profectas credendum, niſi ab humidis, ſimulque nidoroſis calcarii cæmenti effluviis per ęſtivos fervores emanantibus; nam cæteroquin ædificiorum ſitus ille acclivis eſt, atque ſalubrior quovis alio in toto urbis ambitu. Fortaſſe non tanta fuiſſet, nec tâm generalis febrium epidemia in dictis

dictis habitatoribus, ſi temperatior fuiſſet æſtas, ut aliàs obſervatum.

Huc autem revocare juvat obſervationem peculiarem ab admodùm Rev. D. Georgio Clarentono Rectore Eccleſiæ parochialis Sti Marci trans Padum nobis poſt experimenta plurium annorum communicatam. Obſervabat religioſiſſimus Vir tertianas febres tam ſimplices, quàm duplices excitari, atque aggerrimè graſſari iis æſtatibus, queis ſicca, & calida conſtitutio adeò viget, ut flumina notabiliter exſiccentur; & quâ littòris parte major ſit aquarum receſſus, relictis ſtagnis putreſcentibus, eâ febres potiſſimùm pullulare; quare exurgentibus in Padi ſuburbio per fluminis imminutionem inter æſtivos ardores hujuſmodi epidemicis febribus, quamvis utriuſque ripæ habitatores afficerentur, ſæviùs tamen, & in minori numero affectos obſervabat ſuburbanos ſuos ad montis radicem, ſive ad ripam citeriorem degentes, quàm urbanos ad ulteriorem: quandoquidem fluminis decurſus hanc alvei partem, utpotè decliviorem, ſemper alluit, ſtagnis in oppoſitâ remanentibus. Obſervavit inſuper in fortioribus epidemiis minorem ſemper extitiſſe ægrotantium numerum in ſuburbii parte ſuperiori, quæ extenditur versùs *Montem Calerium*, quàm in inferiori versùs *Stum. Maurum*, quòd ſcilicet illic fluminis undæ, antequàm pontem ſubeant, ripam citeriorem irrigant, hic autem, ideſt infra pontem, ad ulteriorem oppoſitam devolvuntur. Cùm autem conſueta fluminis lentitudo, ejuſque alvei exſiccatio, & paluſtris cacoëthia à ſitu pontis per milliarii diſtantiam aduſque templum nuncupatum *La Madonna del Pilone* continuentur; hinc memoratus ſacerdos narrabat, nullam ferè domum ſuburbii, nullaſve ruſticantium caſas à ponte ad prædictum templum per altitudinem dimidii milliarii à ripâ fluminis ad altiores ſurgentis collis ſedes fuiſſe ægrotantibus vacuas. Ubi igitur obſervandum eſt colonos ſuper hanc altitudinem inhabitantes elatis à flu-

flumine morbiferis effluviis haudquaquàm fuiſſe obnoxios. Ad explicandam autem excitativæ cauſſæ efficaciam ſuſcitabulum aliud determinativum meritò incuſabat ſagaciſſimus Vir, aërem nempè impetuoſum à Secuſiani montis faucibus, vulgò *Comba di Suſa* aſſiduè expirantem adversùs ſuburbium, totamque extenſionem adductam, quo profectò rapta miaſmata ad ſuburbanos, cæteroſque ejuſdem directionis incolas facilè devehuntur, ibidemque ob collis ad ſuburbii tergum exiſtentis ſublimitatem reverberantur, ſufflaminato ipſiuſmet aëris impetentis progreſſu. Ab eadem fermè cauſſâ repetendas arbitramur biliosas ægritudines eodem anno epidemicas ab eruditiſſimo Doctore *Pignono* ſignificatas. Referebat Vir præſtantiſſimus eas menſibus Septembri, & Octobri in quodam agri Cuneenſis tractu ad oras fluminis *Sturæ* tunc æſtivis ardoribus exſiccatæ vulgariter adeò ſæviiſſe, ut habitantium nemo immunis evaſerit. Febres erant de intermittentium genere, quarum plurimæ ab intermiſſione mox deſciſcentes in ſubcontinuas convertebantur, & priuſquàm delerentur in priſtinum morem redibant. Occaſionalem cauſſam laudatus Doctor apricitati illius regionis, utpotè vento à vicinis montibus jugiter impetenti magis expoſitæ tribuebat, quandoquidem habitantes ad humiliorem fluminis ripam minùs ægrotabant, quàm qui alta colebant loca; imò degentes in circuitu prædefiniti tractus, vel in urbe ſervabantur incolumes; quare effluvia à ſtagnis emanantia, vel quævis devecta miaſmata nequaquam culpanda cenſuit; ſed ventoſum aërem, qui corpora ab intenſo æſtatis calore rarefacta jugiter percellens condenſabat. Veruntamen ſi ſola habitus intempeſtiva conſtrictio morbifera fuit, quo potiori jure bilioſas febres vulgares, non verò pleuritides, anginas, articulares affectus, aliaſve ſporadicas ægritudines inferre valuit? arguendum itaque jure meritò à peculiari principio exotico per aërem delato excitatas fuiſſe hujuſmodi epidemicas febres, non ſecùs ac eveniſſe diximus ſuburbanis Padi. Aſt quam-

quamvis febribus epidemicis hujus notæ obnoxii magis fiant habitantes æſtivo tempore prope flumina, vel paludes; haud tamen immunes fuerunt eo anno habitantes apricos, & ſublimiores colles; nam ab intenſiſſimo ſolis ardore diuturno evocati ex intimioribus terræ latebris per apertos hiatus ſulphurei, bituminoſi, vel aliter infeſti habitus ſat aptè naturam febrilis fermenti induerunt; quod evidenter obſervare eſt in locis iis, ubi tellus profundis foditur caveis, atque ædificandi gratiâ pluribus revolvitur modis cum ſalutis detrimento eorum, qui propiùs inhabitant, præſertim æſtivis temporibus.

An autem præter excitativas cauſſas, & quævis determinantia incitabula, adhuc diligenter contemplanda ſit ſanguinis habitudo, velut cauſſa conjuncta evidenter patet; nam per eandem ſiccitatis, & ardoris conſtitutionem æſtivam quidam febricitant, alii nequaquàm; Nonnulli intermittentem, alii continuam, hi ardentem, illi mitiorem concipiunt efferveſcentiam. Præ aliis autem ii, qui exercitiis vehementibus, vel aliter ſanguinis ramoſam ſubſtantiam exaſperantibus utebantur, ſæviùs eo anno febricitabant; Hujuſmodi fuerunt Piſtores, fabri murarii, Tinctores, aliique activioris, & laborioſæ vitæ homines. Qui emiſſario cuipiam naturali, vel morboſo, vel artificiali aſſueverant, ut ſputatores, catarrhoſi, & cauteriis muniti, vel ulceribus affecti, haud epidemicis febribus vexabantur. Egomet antehac tertianæ autumnali obnoxius, poſt ſuſceptum familiare rheumatis pectoralis incommodum illâ immunis evaſi, quamvis cauſſis eam producentibus æquè expoſitus. Hi tandem qui autumno anteacto tertianâ laborarunt, hoc anno immunes fuere, licèt apparenter valetudinarii degerent. Conſequenter ad ineundas febres, etiam populares certa quædam, & proportionata requiritur humorum diſpoſitio, atque morboſus apparatus. Aſt ſi quidem, ut diximus, etiam dato hoc apparatu, non ſemper excitantur febres, niſi ab externo fomite ſuccendantur;

ita ſæpè incitamenti vices gerunt effluvia ab uno infirmo in alium traducta, quamvis hi morbi inter contagioſos non connumerentur, nec debeant meritò connumerari. Intereà obſervamus frequenter non ſolitarias ire febres in numeroſis familiis, quando epidemicæ vigent, ut ut tertianas, ſed ab uno ad aliud ſubjectum ſæpè migrare, præcipuè in pauperum gurguſtiis, ubi plures inſimul cubare aſſueſcunt, inter quos analoga viget ſanguinis idioſyncraſia, & ſuſceptibilitas ad morbos; exemplum præclarum obtulerunt conjuges Piſani menſe octobri. Ægrotare cœpit uxor correpta frigore repentino nocturnis horis. Tunc maritus concumbens optimè ſe habebat, ſed poſt ſemihoram febricitare & ipſe cœpit cum pari frigoris, exinde caloris, & ſudoris ſucceſſione uſque ad abſolutum paroxyſmi terminum. Æqualis in ambobus fuit febris intermiſſio, & alternâ nocte recurrebat utrique paroxyſmus, eâdem ſemper in omnibus circumſtantiis ſervatâ proportione; ſemperque retardato per ſemihoram acceſſu in viro, ut ab initio. Reverà quidpiam ſimile inter ſe ſe quo ad naturale temperamentum ſortiti fuerant. Febris tam in paroxyſmorum extenſione, quàm in ſymptomatum majori, vel minori gravitate, & viciſſitudine valdè inęqualis erat, ſed eandem in utroque ſervabat inæqualitatem. Quare eâdem remediorum methodo, iiſdemque electis diebus regebatur uterque. Poſt univerſalia præſidia ſufficienter celebrata, interpoſitis alterantibus, corticem peruvianum ambobus exhibere ſtatuimus; ſed ante hujus exhibitionem concumbentibus ſeparationem præcepimus, ut clariùs eluceſceret, an interdictâ reciprocorum halituum conſpiratione diſparitas ulla in morbi proceſſu emergeret; nam cæteroqui matura ægrotantium ætas, & ingenua utriuſque aſſeveratio lubrici erroris ſuſpicionem excludebant. Profectò, ſejunctis hoc modo ęgrotantibus, febrilis acceſſus virum corripuit horâ ante meridiem, uxorem verò horâ tertiâ pomeridianâ. Cortex peruvianus utrique ſub forma boli oblatus febrem in viro penitùs

ex-

extinxit, in uxore autem leves adhuc periodos permiſit ſine rigore. Poſt aliquot dies ſolâ utebantur corticis tincturâ cum rhabarbaro in æquis partibus vini, & aq. ſtillat. ſcorſoneræ ad præcavendum ne febris recrudeſceret, quæ utplurimùm poſt dies quindecim ſolet repetere. Hoc regimine vir in integrum fuit reſtitutus, aſt uxor viro ſenior integram victoriam non obtinuit, quamvis leviter febricitaret diſtinctis acceſſibus ad longum tempus. Id obſervaſſe Hippocratem legimus lib. I. de morbis vulg. ſect. 2. *quod verò ad judicia attinet, ea ut ſatis perſpicere licet, aut ſunt inter ſe ſimilia, aut diſſimilia, velut in duobus fratribus apparuit, qui ad theatrum Epigenis habitabant, quibus, cùm eâdem ſimul horâ morbus cœpiſſet, ætate provectiori ſexto die, juniori verò ſeptimo decrevit, reverſus utrique eâdem ſimul horâ dies quinque intermisit, atque ex reversione uterque ſimul in totum die decimo ſeptimo eſt judicatione liberatus.*

Ex hiſce epidemicis febribus tam mixtis, quàm ſimplicibus nulla criſis perfecta apparuit unquam. Venæ ſectiones etiam iteratæ, ſervato ægrotantium delectu proficuæ videbantur, aſt inſuper haud erant procraſtinanda diluentia, & ſubductoria, ut caſſiæ tinctura in ſero lactis, aut ſimili vehiculo largis hauſtibus epota, vel alia cholagoga, queis bilis vitellinæ, & cretaceæ copia excernebatur. Alvinæ itaque dejectiones utiliores fuere; exinde ſuum etiam ad ſalutem ſuffragium ſudores contulerunt. Picrocholi, ſtrigoſi, & laborioſi homines per cathartica ſollicitati in hypercatharſim facilè adigebantur cum immodicâ ſeroſorum expreſſione, cardialgiâ, leipothymiâ, aſphyxiâ, extremorum frigiditate, interno ardore, & vomitu, ad inſtar choleræ, vel lipyriæ. Hinc urinæ mingebantur aliàs crudiſſimæ, aliàs ſaturatiſſimæ juxta diverſas irritationum vices. His diluentia, & paregorica ſemper optima.

Ad ſedandum paroxyſmalem tumultum à bile in viſceribus furente excitatum, vigente hac epidemiâ, nil æquè proficuum

cuum fuit, ac paregoricum v. g. ex diaſcordio, reg. Nicolai &c. in ipſo paroxyſmi furore uſurpatum. Ad hoc perſæpè fuit confugiendum pro impetrandâ citiùs, & tutiùs ſymptomatum, ægrorumque quiete cum admirando levamine. Acida ex malis citriis, limoniis, arantiis, vel oxalide, & ſimilibus deſumpta ad temperandos febriles ardores non ignobilis emolumenti fuerunt, ſed præſertim nitrata.

Cortex peruvianus poſt univerſalia præſidia, etiam ante ſeptimam exhibitus, dum febrilis fomes nondum erat edomitus aliquando profuit, pleriſque tamen incendium adauxit, ſummamque attulit ariditatem univerſalem, ſed præſertim linguæ cum aſperitate, & ſcabritie, cui reſpondebant urinæ ſaturatiores, & flammeæ. Per Clyſteres emollientes, & refrigerantes tunc impoſitos bilioſæ fæces velut ignitæ reddebantur. Febrifuga quædam alia ab aliquibus venditata ex cortic. arantior. lap. pumice, ſal. abſynth. vel ſemine atriplicis in pulverem redactis huc uſque minùs tuta comperimus, nec ideò cortici dicto anteponenda, nec ejus vicibus explendis ſubſtituenda ducimus. Morbo ad declinationem vergente revocatus chinæ chinæ uſus optimè contulit; ab hoc urinæ ſemper uberiores, & concoctę; quibus autem iſtæ poſt aliquot dies recrudeſcebant, hi citò recidivam patiebantur. Complures abſque cortice, aliove febrifugo curati, & aptum ſervantes regimen adhuc relapſi ſunt. Qui peruvianum corticem cum adjectis purgantibus ſumpſerunt, difficiliùs, quàm ſuperioribus annis ad alvum movebantur, potiùs tumebant ventris emphyſemate, emollientibus, & epiceraſticis deprimendo.

Taurinenſis ager, ſed præſertim urbs ipſa quotannis febribus hiſce epidemicis autumnalibus magis, vel minùs infeſtari ſolet, fortaſſe pluribus de cauſſis, & primùm quia humili condita ſolo inter duo flumina, *Padum* & *Duriam* hebetiori fruitur aëre. Secundò propter uſum vini meracioris, vel ſubdulcis, & craſſi. Tertiò propter corruptos halitus à

quiſ-

quisquiliis, & ſordibus in atria, vicos, & plateas projectis, æſtivo potiſſimùm tempore, ut ut avertendis hujuſmodi præjudiciis ſedulam præſtent operam almæ urbis Præfecti per edicta frequenter promulgata, & viros ad hoc officium demandatos. Quartò propter conſuetas terræ motiones pro adſtruendis ædificiis, & urbe amplificandâ, vel erigendis caſtrenſibus propugnaculis. Quintò tandem propter familiarem quandam caliginem, quæ non ſolùm urbi, ejuſque agro impendet, ſed à Pado conſurgens producitur obliquè versùs Lanzii Alpes ad plura milliaria, latitudinem, tamen unius milliarii non excedens, quâ Taurinum peculiariter excipitur à menſe maio ad octobrem ſingulo indeſinenter veſpere uſque ad tertiam, vel quartam noctis, horam. Hæc, inquam, caligo à ſuſpicientibus in urbe non benè percipitur ob ejus raritatem, ſed eminùs proſpicientibus evidens eſt, eamque ſpectant optimè vicini montis incolæ, præcipuè faventibus Lunæ ſplendoribus. Huic profectò tribuendam ducimus Taurinenſis cœli inſalubritatem poſt ſolis occaſum, vulgò *La Serena*, quam cauti homines evadere ſtudent ſe ſe ſub tecta temporiùs recipientes. Ab hâc inſuper, præ cæteris cauſſis, repetendę veniunt morboſæ diſpoſitiones plurimæ catarrhales, & tabidæ, tum etiam præmatura mulierum ſenecta, menſium inordinationes, fluores albi, capillorum defluvia, odonthalgiæ &c.

Denique, ut ſummatim loquar, epidemia iſthæc initium duxit menſe julio poſt vernales tertianas, invaluit menſe auguſto, eodemque finiente ſummum attigit gradum, in quo viguit per integrum ſeptembrem. Circa nonas octobris poſt frequentes pluvias valdè mitior evaſit, & pedetentim in dies terminabatur; ita ut menſe novembri ferè tantùm recidentes ægrotarent, quorum paroxyſmi majorem ſervabant extenſionem, quàm in primariâ ægritudine, nec verâ terminabatur apyrexiâ. Primas hujus epidemiæ impreſſiones ſuſceperunt bilioſi, & graciles menſibus Junio, & Julio. Inter

majores æſtatis ardores affecti ſunt plethorici, joviales, aliique ſanguineo præditi temperamento. Ad autumnum tandem melancholici. Nec defuerunt ſporadicæ ægritudines, præter biliares, aſt in minori numero. Et ſicuti versùs *Padum* plures, & contumaciores graſſabantur febres bilioſæ; ita in ſuperiori urbis parte ad *portam Secuſianam*, ad *caſtrum* &c. plures numerabantur dyſenterici. An fortè effluvia *Padi* ad præcavendas has inteſtinorum difficultates quid contulerunt? Probabile quidem; nam degentes in alterâ urbis parte versùs *Duriam* flumen, vulgò *à porta Palazzo* hoc morbo vix laborarunt. Hujuſmodi autem Dyſenterici per excretiones bilis flavæ, & craſſæ feliciter convaleſcebant; qui verò fæces vireſcentes, vel nigras, vel ſtrigmentoſas, aut ſimpliciter ſeroſas ejiciebant, plerumque interibant, niſi in bilioſas, & craſſas mutatio fieret; & viciſſim hi, quibus excrementa bilioſa, & craſſa in viridia, nigra, vel ſeroſa commutabantur peribant colliquati, vel reſoluti cum inteſtinorum atoniâ, vel necroſi. In primo ordine conſtitutis non fuit opus *ipecacuanhâ*, morbus enim ſpontè judicabatur; in altero adſcriptis nocua; aſt utilis iis, qui mucoſa egerebant; utilior autem quum in principio morbi implorabatur; nec ſolùm hanc in pulverem adhibitam, ſed & levem ejuſdem decoctionem cum tincturâ rhabarbari, & tamarindorum profuiſſe comperimus. Raræ ac fervidiori æſtate in pueris diarrhϾ, plures è contrà æſtate ſuperiori magis temperatâ, quod eſt inſuetum. Febrientes complures per hanc conſtitutionem poſt quartum paroxyſmum convaluere, factâ ad cutim eruptione puſtularum inſtar ſcabiei, quibus affrictis flavus ſcatebat ichor. Cæterùm plerique convaleſcentium hoc anno diutinos languores, anorexias, pallores, vel icteros patiebantur, antequàm in priſtinam redirent ſalutem.

Circa novembris idus conſuetæ febres epidemicæ ab indole ſævâ notabiliter declinabant, quartanis tùm duplicibus, cùm ſimplicibus locum cedentes. Eodem finiente, & ineunte De-

Decembri leves aquilones cum nebulis in ſcenam prodiere morborum hyemalium prodromi. Quare autumnales febres reſiduæ cum aliis morbis, præcipuè catarrhalibus fœderatæ novâ ludebant facie. Hinc angores catarrhales, auræ apoplecticæ cum oris torturâ, & inde decubitu ad pectus lethali, Pleuritides, anginæ non inflammatoriæ, variolæ confluentes, & malignæ, *conſtipationes*, hydropes, tympanitides &c. præter nonnullas febrium autumnalium recidivas, inter quas notabilem Piſani recidentis hiſtoriam infrà recenſebimus. Quartanæ quædam in ſubcontinuas migrabant cum manifeſtâ acutie, & delirio in paroxyſmis, ſiti, ardore, capitis dolore &c. etiam poſt methodicum uſum opiatæ febrifugæ, prout cuidam Recutito accidit, qui ſimplici quartanâ laborans, poſt integram conſuetæ opiatæ, ſive electuarii febrifugi maſſam partitis doſibus per plures dies adhibitam incidit in quartanam ſimplicem continuam pernicioſam cum delirio, & decubitu peſſimo. Ab inſtitutâ phlebotomiâ nonnihil levaminis reportaſſe videbatur, ſed periodus ſubſequens peſſima gravem ad caput anadromen minitabatur, quam revellere curavimus appoſitis ad crura epiſpaſticis. Intereà humectantia, cardiaca, & caſſiæ dilutum ex uſu fuerunt. Horis aliquot ante diem novi paroxyſmi, ſcilicet noctu ſenſuum quædam inſueta ſtupiditas acceſſit, mox comatoſus affectus cum reſolutâ deglutitione, ceu levis apoplexia ſine ſtertore per horas quinque, & ultrà. Per divulſas cucurbitulas, & veſicatorium cervici applicitum excitabatur, & deglutiebat ſal. volat. cornu C. & ſuccini cum ſpir. ſal. armon. in pauca quantitate aq. ceraſor. nigr. & per aliquod temporis taciturnus, veluti ſemifatuus, ſeu aphonus aſſidentes intuebatur. Tandem reſipuit, & repetito corticis peruviani infuſo ceſſarunt ſingula cum febre ſymptomata, ſuperſtite extremâ laſſitudine à morbo, & remediis inductâ. Vir erat maximè melancholicus, non modò ex naturali temperamento, ſed etiam ob adverſas rerum ſuarum viciſſitudines. Huic profectò

fectò in morbi ingraveſcentiâ duplex præſidii genus congruere poterat , hirudines nempè ano affixæ , & emeticum apto tempore exhibitum. Sed Author noſter cl. tardiùs advocabatur. Optimè tamen per ſervatam methodum convaluit.

Piſanus , qui, ut ſuprà allatum eſt, à ſpuria tertiana febre per peruvianum corticem evaſerat, lentè , nec non cum virium notabili imbecillitate, febrilis reverſionis facilè prodromâ , convaleſcebat. Vir 55. annorum , ſtrigoſus , bilioſo-melancholicus , ac mentis turbationibus plurifariàm obnoxius. Poſt ſeptem, aut octo dies à febris ſolutione conferens ſe ad urbis remotiorem regionem, die vehementer aquiloniâ, turbatâ, frigidâque, quendam conveniens amicum hominem , eumque vividè de propriis rebus alloquens , domum fatigatiſſimus redit; atque intenſiſſimo ſtatim rigore corripitur ; poſtmodùm intenſo calore , ſeu forti febrili paroxyſmo , qui totâ ſequenti nocte ferociens , manè quidem remittebatur. Rigor ad veſperas diei ſequentis ſupervenit , vehementiſſimus , & convulſivus, ad quoslibet artus protenſus ; tonicus tamen , atque per repetitos inſultus furens ; enormis præcipuè in tendinibus utriuſque carpi, & ſingularis in inferiori mandibula , quæ identidem ſtrenuè quaſſabatur, & ſubſiliebat , ut qui per hyemem vehementiſſimo corripitur , atque percellitur frigore. Lurida , & dejecta facies , collapſa tempora, oculi concavi. Ad initium paroxyſmi pulſus parvus , immerſus, & tardus: Algor in cute, & frigedo : Lingua ſcabra & nigra: Suppreſſæ urinę , quæ priùs copioſæ fuerant in convaleſcente homine, neque ingratè concoctæ : Supinus , & peſſimus decubitus : Sed inprimis mentis quædam ſingularis alienatio. Quandoquidem interrupta, cum intermixta per vices aphonia , ſe præbuit ratiocinatio. Noſcere res , atque aſſidentes interdum , interdum verò non noſcere videbatur ægrotans. Interrogatus modò alloquebatur , modò verò prorſus tacebat. Reſciſſa pariter videbatur reminiſcentia , ut rerum ſpecies benè interdum comparare , atque

atque percipere valeret; interdum tamen confunderet, aut proſequi ulteriùs non poſſe ipſemet fateretur. Interea cerebroſi ejuſcemodi affectus cauſſa videbatur fortuita: Tunc enim obumbrari ægrotantis judicium percipiebamus, cùm actutùm convulſivi ſæviebant motus, præcipuè fortiorem in inferiori mandibula convulſivam inſultationem major mentis alienatio conſectabatur. Non ideo arduum erat conjicere, mentis, atque memoriæ alterationem à ſolis nervorum concuſſionibus originem deducere; Quæ quidem in externis nervorum propaginibus inchoantes, & ad uſque grandiores nervos, eorumque caudices delatæ, in fibrillis pariter medullaribus cerebri, quæ quidem illorum origines ſunt, inſculptaque ſimulacra ſenſibilium rerum propriis in ſinibus recondunt, genuinam perturbationis inducebant rationem. Cæterùm hujuſmodi ſymptomata morbi naturam redolebant, periodicam videlicet, atque intermittentem: Ad diſtincta enim intervalla ſe invicem excipiebant nervorum concuſſiones cum comite mentis læſione, atque per æqualem miteſcebant circuitum. Novum hunc ſpaſmotici ſymptomatis ſtimulum rigidiori aquilonio aëri tribuere licuit, undè reverà in plurimis cùm externis, tùm internis partibus conſtrictio exorta, atque corrugatio fuerit; ut ex naturalibus præcipuè ſuppreſſis evacuationibus adamuſſim evincebatur. In tanto inſultu famoſiora antiſpaſmotica per cordiales potiones diluta uſurpabantur: Præterea non ad ſpaſmos duntaxat, ſed & ſuppreſſam alvum, & quandam cum dolore ventris emolliendam tenſionem copioſus olei amygdalarum dulcium hauſtus multâ cum utilitate adhibebatur. Debacchatus cum horrendâ convulſivâ ſeditione per quinque, aut ſex horas paroxyſmus, denique deferbuit. Venter emolliebatur; & alvus ab oleo bis per noctem copiosè fluebat. Imminutis ſenſim convulſionibus mens tota reſtituebatur: Reviviſcebat facies; ut mane ægrotantem inviſens ferè à morbo ſolutum offenderim; Cùm vix ſenſibilis inferioris mandibulæ, & artuum intervallata

commotio ſupereſſet, ut potiùs nervorum priùs quaſſatorum, jam verò adhuc debilium, leviuſculi rarique tremores, quàm veri, ut priùs aderant, ſubſultus occurrerent. Prorsùs igitur pacata omnia videbantur. Interea ſequenti veſperaſcente die novus illicò, ſubituſque paroxyſmus invadit cum mediocri ſpaſmoticorum ſymptomatum ſtipatione, ſeu non tam feroci ut in ſuperiori paroxyſmo contigerat: Interpolatæ pariter convulſiones, præcipuè ad inferiorem mandibulam cum mentis & memoriæ correſpondente periodico errore. Poſt binas horas externus calor univerſale gelu excepit, & ſanguis in ipſo paroxyſmi ſtatu majorem adhuc acquirens diametrum, versùs auroram excutere febrilem motum videbatur (quod etiam in primo paroxyſmo accidiſſe memini) ad menſuram ſurgentis caloris firmari animum, & fortiùs à viribus regi convulſiones advertebamus. Tertiâ die recens poſt meridiem paroxyſmus ſed multò acerbior, ideòque cum primo correſpondens ingruebat. Pulſus inter initia omnimodè immerſus, celerrimus inſuper, vagus, & intermittens; Hippocratica facies, inceſſabiles convulſivi ſubſultus, immobilis decubitus, lingua nigra, ſicca, & aſpera; aphonia; univerſale per corporis habitum gelu; Vox ad momentum aliquod elicita, ſed profunda, tremula, convulſa, balbutiens, jamque intelligibile nihil exprimens; integra mentis alienatio; omniſque in ægro recipiendis remediis aut alimentis præcluſus aditus. Jam ergo ad latum digitum morti proximus extabat D. Piſanus, ut mihi intranti (ait præclariſſimus Author) obviantes Domeſtici mortuum illum eſſe, irritamque viſitationem meam enunciarent. Sed ego firmiter aſſero non adhuc mortuis cooptandum eſſe hominem, eumque ſanandi volui adhuc in animo ſpem, mihi patentiori redditâ per tertium hunc paroxyſmum, cum primo correſpondentem genuinâ naturâ morbi, à primigenia febre non diſpari, ut ut vehementius ſymptoma fortuito caſu ſuccreverit. Ægrum accedo, video, concutio, ad aliquem ſenſum revoco: Eccle-

ſiaſticos

ſiaſticos ſtolis & ritualibus libris armatos jamque triſte illud *Proficiſcere* religiosè parantes, nonnihil removeo; juris cyathum afferri jubeo, ipſumque ægro patienter atque per vices ſorbillandum exhibeo (mihi enim uni, quâcumque mentis alienatione teneretur vir, plurimam adhuc propriique officii compotem ſervaverat obſervantiam) cordialis inde miſtura terque quaterque porrigitur; poſteà fotibus, atque frictionibus ſuſcitatur, hinc modico recreatur mero, ut novo infirmi, emicanteque jam pulſu Presbyteris funeri intentis expoſito, eoſdem illo veſpere abdicere à lectulo tutò valerem. Paroxyſmus horis aliquot ſuum tenuit vigorem cum vehementiſſimis convulſionibus, marmoreâ ad externas partes frigiditate, menteque miſerrimè nutante. Sed tandem calor aliquis paulatim emicabat, dilatabatur pulſus, & veluti ſenſim impleri videbatur. Corpus ex cadaveroſo decubitu in aliquos voluntarios motus reſtituitur: Apertior vocis ſonus, manifeſtior ſenſus: Hinc ex novo, tenuique cibo mentis & virium reparatio major, ad mediam noctem valentior. Tunc præſcriptus bolus opportunè offerebatur ex ℥ij Kin-kin. cum ʒß. ſal. ammoniac. & gr. vi. ſal. vol. viper. & ſ. q. confect. alkerm. cum vini potentis hauſtu. Poſt bihorium cyathus propinatur ex tinctura ʒiij ejuſdem peruviani corticis cum quadam rhabarbari doſi in ℔ij vini hiſpanici & totidem aquæ ſcorſoneræ. Horâ ſextâ matutinâ bolus alius exhibetur ex ʒi corticis cum ſ. q. confect. alkermes. Horâ octavâ cibus tenuis. Decimâ repetitur bolus; ad meridiem juſculum cum vino & pane dulciario. Horâ tertiâ pomeridianâ doſis ex memorata febrifugi corticis tinctura. En divini hujuſce opportunè adminiſtrati præſidii poteſtatem. Imminens, atque per quamlibet certè conjecturam lethifer futurus paroxyſmus adeò diffractus eſt, ut neque febris, neque ſymptomatum præcipuè convulſivorum vigeſima præcedentis paroxyſmi accederet pars. Mens firma, atque hilaris, proba facies &c. ſola kinæ-kinæ tinctura ad noctem & ſuccedentem

tem diem iteratò uſurpatur. Quid tandem ? Nullum prorſùs ſequentis paroxyſmi, cum vehementiori neceſſariò correſpondentis, veſtigium: Ideoque febris perfectè judicata eſt. Uſus interea tincturæ corticis ulteriùs protrahebatur. Æger optimè convaluit, ſolùm ob enormes convulſiones diù viribus attritus; quæ demùm & in integrum reſtitutæ ſunt. Cùm igitur tanti radicem mali ab elapſa intermittente febre animo conſtanter deduxerim, ipſumque ab aliorum medicorum placitis minimè deviatus ſpecifico genuino remedio aggreſſus fuerim, tutam palmam aſſequutus ſum; & quamquàm poſt 30. à febris judicatione dies ſeu ad IV. Id. Decembris in duplicem remittentem tertianam inciderit; Hanc tamen nulla ſpaſmotica affectio, ſolus febrilis rigor, at certè fortis, comitatus eſt. Febris hæc poſtrema quinque aut ſex dies emenſa, per repetitas aliquas purgationes citra ullum reditum deleta fuit. Neque lectoribus ingratum ſit, me in hac deſcribenda ægritudine longiùs, quàm fortè inſtituto par eſſe videatur, fuiſſe divagatum. Hoc quidem operæ pretium fore ratus ſum, ut nempè numeris omnibus abſolutam tertianæ legitimæ pernicioſæ febris ideam porrigerem, tùm ut miram peruviani febrifugi aptè uſurpati efficacitatem aperirem.

D. Piſani uxor à memorata febre, KINÆ-KINÆ aliorumque præſidiorum virtuti obſiſtente diù conflictata, hinc gravibus viſcerum obſtructionibus obſeſſa, poſteà cachectica, ac tumida reddita, & veluti in Hydropicam diatheſim vergens, cum lingua perpetuò aſpera, & nigra, paulatim à diuturno morbo evadebat per diuturnos uſus aquæ rhabarbari cum intermixtis amarioribus febrifugis. Vix levis ad finem decembris eaque erratica vigebat febricula: ſed demùm linguâ ad naturalem ſtatum reſtitutâ, maloque habitu, & crudis viſcerum tumoribus emendatis, ad optimam valetudinem profecta eſt.

Ad finem hujus anni recidivi homines in periodicas febres,

bres, peruviano cortice anteà profligatas, quamplurimi excitere. Ingens illicò in his ferè omnibus videbatur acuties excitari cum dolore capitis atrociter pulſativo, ſiti, æſtuationibus, delirio in ingreſſu febris, pulſu duro & celerrimo, undè plena emicaret neceſſitas mittendi ſanguinis ex brachio, & ſalvatella, etiam in gravidis, picrocholis, & imbecillibus. Interea omnes hæ febres utplurimùm ſubcontinuæ præſtitæ, & quamdam mentientes continuitatem, non niſi revocato peruviani corticis uſu comprimebantur.

CONSTITUTIO ANNI 1719.

TOta hyems auſtrina fuit vix levibus aliquot per januarium aquilonibus noctu, & manè inæqualiter, vel alternatim ſpirantibus exaſperata. Frequentiores ad februarium Boreæ auſtris pomeridianis intercepti. Martio leves ornithiæ inchoarunt, aſt itidem auſtris poſt meridiem ſociati, indè per dies aliquot frigidiores. Sicca interim hyemis, & veris conſtitutio viguit. Morbi ab Januarii fine per totum februarium catarrhales plurimi ad guttur, ad tracheam, pectus, dentes, capitis interiora, & exteriora; ad habitum corporis cum febre acutâ, aut non acutâ, vel etiam ſine febre. Menſe martio pleuritides, ſeu potiùs pleuro-pneumoniæ populariter ſæviebant cum febre, & rigore inchoantes. Sputa ſanguineo-pituitoſa copiosè erumpebant cum pectoris anguſtiâ, pulſu maximè duro, & urinis à naturali habitudine non abludentibus. Acuti hujuſmodi morbi non niſi per iteratam quater, vel quinquies phlebotomiam cedebant. Alterius generis pleuritides ferè ſymptomaticæ prodiere non diſſimiles iis, quas anno 1716. pro inſuetis annotavimus, nec niſi tertiò, vel quarto febris die manifeſtabantur abſque ſenſibili dolore punctorio, ſed tantùm obſcuro, & profundo occaſione motus totius corporis ab uno latere in aliud decumbentis. Reſpiratio primo ęgritudinis die vix læſa; Tuſſis ab initio

irrita, & ſicca, vel tantummodò mucoſum quid, ſpumoſumque ſine cruore ad anacatharſim promovebat. Altero die difficilior reſpiratio cum ſputo cruento, ſilente adhuc dolore. Tertio die, qui ſeptimus circiter erat totius morbi, gravior adhuc anhelitus cum obſcuro, & centrali dolore. Pulſus durior, & urinæ perſpicuæ. Moriebantur nonnulli versùs ſeptimam, aut nonam ſymptomatico ſudore madentes, atque improviſo ſtertore correpti, quibus videlicet ſputum difficile, aut febris acutior ab initio fuerat, aut gracilis habitus, vel debilis pulmonum conſtitutio. Evadentes judicabantur ad decimam quartam poſt largas, & repetitas ſanguinis detractiones, & ejecta ſputa mucoſo-ſanguinea; Nullus eis obveniebat purgandi locus; Sudor ferè nunquam judicatorius. Affectiones has velut totidem metaſtaſes ex imperfectâ febris judicatione arbitrabamur, non verò ſyſtrophicas, legitimasve pleuritides, vel peripneumonias. Earum dolorificam, obſcuramque phlegmonis tenſionem in pulmonum areâ versùs pericardium, vel diaphragma ſtatuendam cenſuimus. Hæ profectò affectiones de biliosarum genere non ſunt, ideóque methodo longè diverſâ pertractandæ.

Æſtas ſicciſſima extitit, ac ſupra omnes tranſactos annos fervidiſſima. Hinc creberrimi bilares morbi debacchabantur; in primis tertianæ legitimæ, atque iis intermixtæ ſynochales, cauſones, & ardentes inſuper illegitimæ; crebræ, furenteſque dyſenteriæ, bilioſæ leipyriæ, icteritiæ cum acuta febre. Pervagatæ præcipuè ſunt Maniæ quamplurimæ, à torrida, atque efferata bile profectæ, quorum quidem affectuum in marinis finitimis, præcipuè Genuenſibus plagis pullulaſſe ſegetem audivimus. Peruvianus cortex poſt largum refrigerantium, & diluentium uſum in bilioſis ejuſcemodi ſedandis anomaliis ſummoperè triumphavit.

ADMO-

ADMONITIO PRO ANNO 1720.

PRæclariſſimi Authoris ad finem hujus anni è Taurinenſi patria diſceſſus, atque ad Bononienſem acceptandam, implendamque Cathedram migratus, nec niſi ad finem maii menſis ſequentis anni in hanc urbem reditus, ut miſſam ex parte bilioſæ Epidemiæ anni 1719. fecere hiſtoriam, ita nullas principii, multique progreſſus hujus anni 1720, cœlo huic noſtro accomodatas obſervationes paſſi ſunt. Ut tanto igitur de titulo excuſatum habeant Lectores Epidemicorum hujus anni laudati generis morborum defectum petimus, ac deprecamur. Interea Cl. Biancus poſt reditum ſuum nihil ſingularis momenti fuiſſe hoc anno divagatum, quod Bilis morbos reſpiceret, ab amicis intellexit, niſi quòd hyeme plurimæ ex coagulatione, ut dicitur, malignæ febres ferè de more graſſatæ fuerint; Vere ſporadici acuti medîocri ſtrepitu prodierint morbi. Ad maium menſem à fervidiſſima aëris ex calidis ventis intemperie ingreſſus intermittentium febrium fuiſſe præmaturè advocatos ipſemet jam redux recognovit: Atque hæ febres totâ æſtate, totoque autumno ultra morem contumaciores ſæviebant. Plurimæ ad hyemem aut protrahebantur, aut recidivæ fiebant: Non paucæ febrifugo ſemel iterúmque involutæ, & hoc pacto inconſpicuæ redditæ, vere ſequentis anni reverſæ ſunt.

CONSTITUTIO PLEURITICA ANNI 1721.

VAldè inæqualis, & præpoſtera fuit hujus anni conſtitutio, præſertim vernalis; quandoquidem auſtrinæ hyemi ver boreale, & hybernum ſucceſſit menſe martio; hinc pleuritides excitari cœperunt. Aprili menſe Auſtri, & Boreæ viciſſim intercipiebantur cum ſiccitate. Incunte maio rigor adfuit borealis, & ſucceſſivè imbres copioſi cum vento frigi-

frigido. Ad hujus medietatem diuturnę pluviæ cum eadem ventorum indole, & toto menſe pleuritides peracutæ ſęvire viſæ ſunt. Dolor in ſcapulis ordiebatur ad collum protenſus, mox altero, vel tertio die ad mammas extendebatur, in aliquibus fixus, in aliis vagus, in quibuſdam intermittens. Sanguinis ſputum vel ſincerum, vel mixtum cum febre acûtâ, pulſu duro, quandoque ſerrato, & vibrante. Sudores tam in morbi principio, quàm in progreſſu lenti utplurimùm, atque intercepti, ideóque nil decernentes fortaſſe ob frigidi ambientis repugnantiam; Quippe temperatâ per aliquot intervalla à ſolaribus radiis atmoſphęrâ copioſior ſcatebat ſudor cum ſenſibili ęgrotantium levamine, & rursùs invaleſcente aëris rigiditate reprimebatur. Neminem profectò criticis ſudoribus ſanatum vidimus, niſi poſt longas, atque iteratas effuſiones ad nonam, vel undecimam protractas. Qui cruorem ab initio ſincerum, exinde ad quartam diem, vel ultra, liveſcentem expuebant, hi omnes die ſeptimâ periclitabantur. Nonnulli ante nonam ſtertentes interibant. Qui mixtum catarrho ſanguinem temporiùs ſpuebant, à morbo feliciùs, & brevi judicabantur, non ultra nonam. In aliquibus quinto die per ſputi velut ſuppurati copioſam excretionem à periculo evadebant. Plerique tamen non ſudore, non ſputo, ſed potiùs biliari diarrhœâ ſanabantur, quæ circa quartam ſuperveniebat penè omnibus, cum nauſeâ, interdum vomitu amaro, & bilioſo, periodicis in abdomine æſtuationibus, febre ipsâ periodicâ, & remittente, interdum cum aliquali in acceſſu horripilatione. Quare ſicuti hujuſmodi pleuritides mixtas, ſeu ſanguineo-biliares non infauſto omine judicavimus, ita æquè feliciter ægrotantes penè omnes ante ſeptimam cathartico ſubduximus, quo bilioſæ excretiones affluenter, & cum levamine fiebant. Id ipſum pariter impetrabatur ex Clyſteribus purgantibus ſæpè injectis, vel ex oleo amygdalino affatim epoto. Pleuritici hoc ritu conducti feliciter convaleſcebant, dum reliquos aliter à di-

à diverſis medicis curatos, præſertim iteratis venæ-ſectionibus occumbere frequenter audiebamus.

ÆGROTUS PRIMUS.

FAber lignarius vir ſenex menſe februario pleuritide captus cum acuto dolore, & febre ſanguinem mixtum ſpuebat. Per phlebotomiam bis inſtitutam extractus cruor exquiſitam eſſe affectionem ſignificabat. Ad quartam, & quintam ſputum affluenter ejectum liveſcebat cum ſudatiunculis; ſeptimâ die alvus ſpontè humectata emolliebatur ulteriùs oleo amygdalino frequenter ingeſto. Judicatus eſt die nonâ, & integrè convaluit undecimâ.

ÆGROTUS ALTER.

PLeuriticus annorum 30, qui habitabat ad plateam Sereniſſimi Principis Cariniani ſputabat ſanguineo-flava; ſed ob temerariam frigidæ potationem ſuppreſſo ſputo nullâ arte præpediri potuit quin ſeptimâ die orthopnoicus, & ſtertore oppreſſus interiret. Celticâ lue inquinatus dicebatur.

ÆGROTUS TERTIUS.

JUdæus annorum 24. acertimo ſub mammâ dolore ad dorſum correſpondente angebatur cum febre acutâ, ſiccâ tuſſi, pectoris anguſtiâ, nauſeâ, ſiti, ventris tenſione, & vomitionibus. quartâ die ſoluta eſt alvus cum borborygmis, nauſeâ, & virium labe. quintâ ſanguis è naribus ſtillabat; dolor erat acutior, & tuſſis moleſta cum ſputo ſeroſo, & crudo. Potionatus levabatur ſeptimâ, & judicabatur nonâ. Sudores primis diebus apparentes periodicè repetebant, ſed lenti, & vix ullius momenti. Dejectiones alvinæ ex bile exquiſitè porraceâ, & vomitus ejuſdem conditionis toto morbi

decurſu recurrentes majoris emolumenti fuere. Pleuritidem hanc fuiſſe biliarem quis inficiabitur?

ÆGROTUS QUARTUS.

JUvenis annorum 21. habitans in ædibus Noſocomii Charitatis poſt tertianam febrem cortice peruviano extinctam corripitur dolore punctorio ſub ſiniſtrâ mammâ cum acutâ febre, ſanguinis ſputo ſincero, cum ſudore in principio inutili. Quarto die bilioſa excitatur diarrhœa cum euphoriâ. Pergit ſudor cum febri intenſiſſimâ, facie hippocraticâ, & ſubdelirio nocturno. Quinto die repetit diarrhœa; ſextâ autem febris ardentiſſima. Septimâ ſudores, & ſpumoſa dejectio bilioſorum. Hoc ipſo die ſputum ſanguineo-purulentum emittitur; octavâ, & nonâ ſputum, & lenti ſudores evocari pergunt, cum febris imminutione. Purgatur decimâ, & integrè judicatur undecimâ. Circa decimam quartam œdematoſus tumor in facie, & manibus manifeſtatur, brevi per diureſim diſſipatus.

ÆGROTUS QUINTUS.

PIſtor dolore laterali, & febre affectus aſſiduâ tuſſi, & ſputo materiæ catarrhalis crudæ concutitur. A principio aduſque ſeptimam ſudat per intervalla. Eâdem die tuſſis exacerbatur cum ſputo itidem crudo, & incruento. Paregoricis noctu miteſcunt omnia, manè recrudeſcunt. Purgatur octavâ cum levamine, iterúmque noctu revocatur tuſſis, quæ ſudore ſuperveniente demulcetur; magis tamen per excretiones aliquot alvinas devergente nonâ erumpentes caſtigantur dolor, tuſſis, & febris. Noctu quieſcit. Rursùs decimâ die tuſſis cum pulſu duriuſculo, ſed novus ſudor ſingula recreat. Undecimâ alvi fluxus, ſequente die cathartico adauctus judicatorius evadit.

ÆGROTUS SEXTUS.

VIr propè *Padum* inhabitans ſiccâ pleuritide captus poſt quinas phlebotomias ab extera regione traducebatur ſexto pleuriticæ affectionis die, & ſexta iterata fuit venæ-ſectio; pulſus enim erat ſenſibiliter durus cum ſanguinis ſputo.

Septimâ leni ſudore prehenditur cum aliquali ſymptomatum imminutione. Octavâ per epotum catharticum omnia ſedantur, & nonâ die fuit optimè judicatus.

ÆGROTUS SEPTIMUS.

FIliola quatuor annorum pleuritidem ſemel paſſa denuò corripitur dolore punctorio, ſputo ſanguinis, febre validâ, pulſu duro, & tuſſi. Miſſo ſanguine venter tenditur, & vomitus excitatur. quarto die manna exhibetur, quâ biliaris excretio copioſa promovetur; & quinto convaleſcit infans.

Complures lateralibus doloribus ſimpliciter affecti à primâ invaſione ſudatiunculis madebant ad aliquot dies; tandem per leve catharticum exſiccatis ſudoribus perfectè evadebant.

Alii ſimplici afficiebantur tertianâ cum dolore in febris invaſione punctorio, & tuſſi. Hi ſolâ methodo tertianis congruente, ideſt alterantibus, catharticis, & febrifugis ſanabantur.

ÆGROTUS OCTAVUS.

FAber ferrarius ſputo ſanguinis, febre acutâ cum pulſu duro, reſpiratione difficili, & tuſſi afficitur. Alterâ die dolor ſe prodit ad ſcapulam obſcurus, atque ſepultus, apud Italos *punta coperta*. Aſt tertiâ die exacerbatur. Detracto ſæpiùs ſanguine non minuuntur ſymptomata, nec cedunt ſudori univerſali quotidie repetenti. Sputum ſemper cruentum,

vel ſincerum, vel mixtum. quintâ, & ſextâ dolor identidem acutior cum ſtertore, pulſu vibrante, & leni ſudore univerſali. Stertor tamen aliquando per ſputum ſupprimitur, iterumque exurgit. Septimâ per ſudoris repetitionem levari videtur, aſt ſputum amiſsâ cruoris tincturâ liveſcit. Devergente ſeptimâ per totam octavam reſpiratio elata, & ſuſpirioſa cum adaucto ſtertore, pulſu duro, & celerrimo, febre acutiſſimâ, ſopore, mentis alienatione, ſputo quandoque intensè cruento, & facie hippocraticâ. mortem obiit in ingreſſu nonæ.

ÆGROTUS NONUS.

JUvenis puerpera eodem partus die pleuritide acerbâ corripitur cum lochiorum ſuppreſſione. Miſſo de ſaphenâ ſanguine purgamenta refluunt die tertio; parca tamen. quarto die tuſſis, dolor punctorius, ſputum ſanguinis, & febris acuta vigent. quinto ſudat, & expuit catarrhum ſanguine miſtum. Circa ſeptimum alvino fluxu proritatur cum levamine, ſimulque lochia affluenter erumpunt, & ſputum incruentum emittitur. Oleo amygdalino pectus, & alvus lubricantur. Hinc Puerpera nono die judicationem obtinet ſalutarem.

Adulto Maio ſilebant pleuritides; Conſtitutio tamen adhuc erat frigidiuſcula cum imbribus inordinatis; quare die ejuſdem 25. & 26. thermometra ad gradum 15. ſiſtebant.

ÆGROTUS DECIMUS.

INeunte Junio, auſtriſque jam leviter ſpirantibus cum imbrium imminutione Juvenis annorum 22. febri prehendebatur acutâ cum pulſu duro, dolore ſatis punctorio ad mammam ſiniſtram, & reſpirandi anguſtiâ. Sputum emittebat grandinoſum, nullimodè cruentum, atque è veſtigio liberum. Ter ſanguine detracto dolor evaſit acutior. Alterâ die levis ſudor febrem, & anhelitum leniebat, non tamen reliqua ſymp-

ſymptomata; quæ uſque ad quartam æqualiter ſæviebant. Ad finem quartæ ſuborta biliaris diarrhœa febrim ultrò mitigabat, & dolorem tantiſper leniebat. Ad quintam novus ſudor, & alvi profluvium cum ſputo jugiter gelatinoſo, & incruento. Deſinente quintâ nullus ſudor, ſed copioſa alvi dejectio per totam ſextam cum maximo levamine, & euphoriâ. Ad finem ſextæ adhibito cathartico multa excrevit bilioſa cum morbi, & ſymptomatum notabili imminutione. Incunte ſeptimâ febris, & dolor leviter intendebantur. Novus eo die ſudor ſcatebat cum eruptione acrium eſſerarum, ſed inſimul alvus bilioſa deponebat. Octavâ, nonâ, & decimâ ſudor exiguus cum alvi excretione perrexit, & ſenſim dolor, tuſſiſque miteſcebant. Duodecimâ per repetitum catharticum excernebantur iterùm, iterúmque bilioſa; hinc ad decimam quartam integra judicatio acceſſit.

CONSTITUTIO ANNI 1722.

SIngulare vix quidpiam (ut ad digerendas ipſe meas bilioſarum conſtitutionum ſchedas, ab anatomicis laboribus expeditus, revertar) in ſingulis hujus anni tempeſtatibus quò ad frigoris, aut caloris, imbrium, aut ventorum habitudines contigiſſe viſum eſt. Precedens autumnus in genere temperatus, & placidus fuerat, in ſpecie verò Octobri, ac Novembri menſe tepidis, & frigidulis ventis ſe ſe invicem excipientibus non inſalubri ſucceſſu afflatus. Subſequens hyems temperata pariter, quandoque ſuaviter auſtralis, rariùs, nec niſi ad finem, borealis, vix interdum pluvioſa. Inconſtans ver, plerumque frigidulum. Æſtas non nimis calida, interea admodùm ſicca. Autumnus rursùm temperatus, & amœnus. Vere Pleuritidum quidem frequentia inerat, ſed catarrhalium, aut ſanguineo-catarrhalium, non bilioſarum, quibus diſſimilis, quàm in bilioſis, curandi Methodus conducebat. Ex harumce Pleuritidum genere paucæ aſcendentes, plures verò deſ-

deſcendentes fuerant. Primæ ſiquidem accenſentur hæ, quæ à prima morbi invaſione ad hypochondrium duntaxat alterum, aut utrumque, cum epigaſtrii, vel ſine epigaſtrii conſenſu, dolorificæ, cum vix ſenſili ſpirandi anguſtiâ, parvâ tuſſi, modicâ febre, cæteriſque vix obviis veræ pleuritidis ſymptomatibus ſenſim invaleſcente morbo ad veras coſtas aſcendunt, atque ſub mammis, ſæpè etiam ſub ſcapulis, proprii doloris figentes ſedem omnia tandem ſymptomata legitimæ pleuritidis induunt: Alteræ verò, quæ priùs ſub mammis prodeuntes, maximoque furentes impetu, ſenſim poſtmodùm miteſcunt, & versùs hypochondria deſcendentes diſparere tandem videntur: Id circò Hippocrates primas alteris deteriores, & acutiores, varioque præſidiorum ordine, ſelectuque oppugnandas decrevit.

Æſtate, & autumno tertianæ ſimplices, dupliceſque non paucæ eruperunt, ſed regulares, & breves. Similis indolis & copiæślioſæ, aliorumque generum dyſenteriæ invadebant. Ad finem æſtatis, & autumni principium, uſus febrifugi corticis ſuperiorum annorum fortunam vix aſſequi videbatur: In pleriſque enim ægrotantium ſimplices, aut duplices tertianas febres KINA-KINÆ non difficilè comprimebat, quæ tamen poſt 14 aut 15 dies plerumque continuæ redditæ, revertebantur: Harumque non paucæ ſpontè, ac citra febrifugi uſum rurſùs judicatæ, vix aliquot ſuperatis diebus recrudeſcentes, ad ſimplicis tertianæ naturam, leviorem tamen, mitioremque, quàm inter initia exhibuerint, reſtitutæ videbantur. Et ſanè in continuâ, quæ intermedia fuerat, febrili deflagratione plurimum fomitis abſumptum fuiſſe liquebat. Hujuſmodi verò reverſionum vices ab intermittenti febre in continuam, à continuâ rursùs in intermittentem, rarò ſuperioribus annis contigerant.

Ad autumni medium plurimæ pernicioſæ tertianæ viſæ ſunt; noſtrâque in praxi cæteris ſolemnior extitit, quæ in D. *Philippo de Rubeis* curanda committebatur. Primus hujus febris circui-

circuitus ſummum rigorem protulit cum enormi anxietate, & *Cardiogmo*: ſuccedens calor vix emicabat: Paroxyſmus non in ſudorem profectò, ſed in enormem virium proſtrationem, laſſitudinem, impotentiam arbitrarii motus, faciei pallorem, imò ſquallorem vergebat, ac deſinebat: ſeptem, aut octo horæ febrilis intermiſſionis numerabantur. Altera febrilis inſultus ingreſſio cum perpetuo animi deliquio, ſoporoſo inſuper, ac veluti comatoſo affectu, facieque hyppocraticâ ſe prodidit; Pulſus profundus, immerſus, inæqualis, celerrimus, & veluti formicans: In caloris exitu delirium cum immobili prorsùs decubitu: paucus ad finem ſudor. Febrifugum renuens, in maximum æger ſe vitę diſcrimen conjecit; nam tertius paroxyſmus prolixam ſyncopem cum memoratis aliis ſymptomatibus ſibi comitem addidit, ut mortuum plurimi D. *Philippum*, mortique ſaltem proximum alii crediderint. Sed hic ab inſultus vehementiâ tandem exſurgens, & valentiorum cordialium uſu à veterno excitatus, multoque opere in febris remiſſionem delatus, & demùm propriæ conſcius aleæ, certuſque mortis, in ipſo quarti paroxyſmi adventu imminentis, noſtris aliquandò conſiliis obtemperans, peruvianum corticem cum ſale ammoniaco, ſale volatili viperino, rhabarbaro, atque gentianę extracto ſingulis brevis intermittentiæ horis aſſumebat. Rediit febris, ſed nullo prædictorum ſymptomatum, vix levi horrore ſtipata. Succedens calor æqualis, & brevis aderat; hinc largus ſudor: dormiebat placidè; Plurima per alvum ejiciebat, avidéque veſcebatur æger. Quinta febris non rediit; & proba ſenſim valetudo reſtituta eſt. Poſt menſem erratica quædam irrepebat febricula, cedens aliquando; atque ad vernum ſequentis anni tempus repullulans. Sed hæc tandem, debitè adminiſtratâ epicraſi, deleta eſt: Atque D. *Philippus*, ut ut molli pituitosâ conſtitutione donatus, ab elapſo Vere ad hanc uſque diem incolumi valetudine fruitur.

CONS-

CONSTITUTIO ANNI 1723.

PRęcedens Autumnus placidus, at ſiccus; atque in ipſo tertianæ duplices, & ſimplices, numero, & vehementiâ mediocres: Hyems indè ſicca, ac diuturna, boreali conſtitutione continuò perflata; Hinc longæ tuſſes, raucedines contumaces, rheumata pulmonum, hæmoptyſes, arthritides frigidæ, nec non arthriticę Paralyſes, laterales dolores ſpurii, aſthmata, aliique pituitoſi morbi perhyemabant. Ver pariter frigidum, & boreale; ſed ante æquinoctium brevis, ſubitæque auſtrinæ conſtitutionis dominatus aderat, ventis denuò borealibus interſperſus. Hinc frequentes repentinæ mortes, uberrimæ rheumaticæ ægritudines, & gutturis inflammationes; Puerperarum acutæ febres, & ſtrages, plurimæ etiam in aliis malignæ ac lethales; Senum, atque picrocholorum excidia. His itaque diebus nullus aderat legitimarum tertianarum, aliorumque ex bile morborum ingreſſus. Aprilis pluvioſus; atque in ipſo tertianę aliquot jam emergebant præcedenti autumno compreſſæ, jamque ad vernum tempus recidivæ; Plurium generum Hepatitides addebantur, & in fœminis hyſtericæ paſſiones. Borealis habitudo uſque ad Junium vigebat, licèt Maio menſe calida, & auſtralis intemperies aliquandiu prodierit cum continuis tertianis & ſynochalibus febribus, calidiſque artuum doloribus. Ab Aprilis interea initiis ad uſque Junium imbres ferè aſſidui viſi ſunt. Nullum morbidæ affectionis diſtinctum genus ſuboriebatur, præter lethales apoplexias non paucas, quæ ſenes valetudinarios, aut obeſos, humidos, vinoſos, aut crapulentos homines invadebant, atque, Icteros poſt longas obſtructiones repentè prodeuntes, ventriculi inſuper, & hypochondriorum dolores. Phthiſici, ac hydropici poſtremam diem obibant. Lymphaticæ deſtillationes, viſcidulæ, & interdùm ſalſuginoſę aliquorum guttura, & pulmones prehendebant: Sudores no-

nocturni plurimi, in quibusdam contumaces lienis obſtructiones, vertigines. Principio Junii levis auſtrinus afflatus imbribus intermiſcebatur, valdéque irregulares caloris, frigoris, atque humiditatis viciſſitudines invicem accedebant; hinc novæ raucedines, tuſſes, laterales dolores, hæmoptyſes, præcipuè verò biliares Pleuritides modò ſinceræ, modò etiam lymphatico-biliares, quarum primę per valida cathartica, aut emetica, copioſiſſimis, & ſaturatiſſimis bilioſis ejectis ſordibus, ad decimam quartam diem judicabantur; alteræ verò ad vigeſimam poſt copioſas pariter mixtas dejectiones, & interdum cum leviori ad pectus ſuppurato. Tertianæ aliquæ prodibant, præcipuè quæ fuerant præcedenti autumno ſuppreſſæ, aut imperfectè judicatæ. Ad Junii medietatem diſſipatis imbribus auſtrina illico erumpebat conſtitutio, cum nimiùm præcoci inducto in ambientem aërem fervore. Jamque non ſolùm ardentiores tertianæ, ſed plurimæ febriles continuæ æſtuationes excitabantur: Nonnullæ ſynochales ardentes cum maximâ ſiti, anxietate, & dolore capitis; plurimæ periodicæ cum notabili rigore primùm invadentes, hinc vix leviuſculis, brevibuſque perfrigerationibus propriorum circuituum rationem interſtinguentes. Occurrebant quædam tertianæ ſimplices continuæ cum enormi anxietate, vigiliis, multâque in ægris impatientiâ morbi: crebriores aderant tertianæ duplices continuæ, exquiſitè biliares: Quippe vomitus acerrimæ bilis increbeſcebant, dolores capitis punctorii, hinc dirè lancinantes, ſitis intenſa, lingua ſicca, & flava, oris aſſiduus amaror, cum nauſea, ciborum faſtidio, ac perpetuâ, querulâque anxietate, enormes ſub veſperas, & ad noctem fervores frequenter cum delirio, totius corporis præcipites exſiccationes; ſæpè narium hęmorrhagiæ, capitis quidem dolorem lenientes, ſed morbum haud quaquàm ſolventes; anguſtiæ pectoris, & jactationes cum virium proſtrationibus; nec niſi à bilioſis ſaturatis ejectionibus ſolamina habebantur. Tertianæ aliquæ pernicioſæ obverſa-

 bantur

bantur, quarum aliquæ acutam indolem uſque ad vigeſimam protrahebant, aliæ ad decimam ſeptimam, aut trigeſimam per largos ex bilioſis concoctis quisquiliis alvi fluxus judicabantur. Aderant inſuper ardentiora faciem, aut artus occupantia eryſipelata, quæ quidem catharticis facilè, citóque cedebant. Nonnulli quintâ die ſubito rigore corripiebantur, hinc uberi, univerſali, criticoque, ſed lento poſtmodùm præſtito ſudore perfuſi ad ſeptimam evadebant. Alii toto corpore dolentes, neque in latera decumbere prænimiâ musculorum omnium externorum tenſione, & rigiditate valentes, multum adhuc ad ſeptimum uſque diem conflictabantur. Ad ſolſtitium acriùs intendebatur auſtrinus fervor. Quæ primùm tertianæ ſimplices invadebant, in duplices indè migrabant; quæ duplices inter initia fuerant, continuæ fiebant, licèt valdè remittentes, & periodicæ, cum dolore capitis penè aſſiduo, ſiti, oris amarore, & jactatione, longiſque ad finem acceſſuum ſudoribus. Qui noctu in paroxyſmi fervore delirabant mane imminutâ febre placidiores aderant, menteque conſiſtentes. Iis, qui quintâ, aut ſextâ die in æſtuoſis hiſce febribus validè purgabantur multis, craſſis, ſaturatiſque bilioſis retrimentis, ſtatim omnia non expectatâ morbi judicatione remittebantur. Quæ ad ſolſtitium accendebantur bilioſæ febres, aſſiduum capitis lancinantem dolorem ducebant comitem, atque ſudoribus ut plurimùm ſed inutilibus principio diffluebant. Qui ante ſeptimam hæmorrhagiâ narium videbantur ſublevari, poſt ſeptimam adhuc bilioſa plurima per catharſim excernebant, & integrè ſolvebantur. Qui verò ante ſeptimam purgati ſunt, bilioſa quoque poſt ſeptimam plurima excernebant, iiſque tum bilioſi vomitus aliquandò contingebant, tum frequentiùs cardialgiæ, & cordis anguſtiæ, profectò à bilis morſu æſtimandæ. Colicæ quædam, præſertim in pichrocolis, intermiſcebantur, poſt dies aliquos à bilis ejectionibus ſolutæ. Intereà prompta ſanguinis miſſio tertianas ferventes aliquas inſigniter temperabat, quasdam de-

delebat funditus. Quę continuæ erant febres, eundem in omnibus quò ad ingreſſum, progreſſum, ſymptomata, & judicationem, ſervare ordinem videbantur, ſeu, ut ſuprà, catharticis cholagogis ante ſeptimam mitigabantur, atque vel ad ſeptimam judicabantur, vel uſque ad nonam placidiores protrahebantur. At dominante auſtro creberrimi quidem nimbi advocati ſunt, ſed aër fervens ſupererat: Hinc dilutior bilis in ferociores tertianas erumpebat, in quibus catharſes crocea ſemper, copioſa, fervida, ſpumoſaque purgamenta novebant: In iis inſuper croceæ, & ſaturatiores fluebant urinæ, tum fervidiſſimum tactu abdomen occurrebat. Plurimæ febres peruviano cortice compreſſę ſolito celeriùs, ſeu multùm ante conſuetos quindecim circiter intermiſſionis dies redibant, plerumque duplicatæ, aliæque inſuper primitivæ agminatim excitabantur. Has febres præter alia ſymptomata enormis laſſitudo cum artuum doloribus comitabatur: alios ſolitariæ quidem, ſed ſævæ lumbagines cum nauseâ, & inappetentiâ adoriebantur, bilioſis ex catharſi excretionibus non difficilè cedentes.

Cum verò inter aëris æſtuationes, ſubdolæ quædam ex imbribus factæ perfrigerationes per intervalla irreperent, hinc qui plurimis, largiſque ſudoribus, aut uberi transpirationi aſſueti fuerant, facilè ab occluſis improvisò cutis ſpiraculis conſtipatione corripiebantur; undè rheumata per artus prodibant, tuſſes, raucedines, anginæ calidiores, dolores pectoris, & præcipuè dolores oſſis ſacri, in Iſchiades interdùm degenerantes. Eandem ob cauſam nonnullos lymphaticæ febres corripiebant ſub veſperas, quę ad noctem cum modico calore, multâque dolorificâ laſſitudine ingraveſcebant, atque cum quotidianis æmulabantur: quibus accedebant flatus, doloriferæ ventris tenſiones cum frequentibus *borborigmis*, & largâ flatuum ad inferiora eruptione.

Ad Junii finem auſtralis iterum conſtitutio dominabatur. Qui tertianis duplicibus continuis febribus laborantes, ad

ſeptimam morbi concoctiones non attingebant, octavâ & nonâ graviſſimas pectoris anguſtias cum ventris tenſionibus patiebantur: iiſdem deprimebatur pulſus, vigiliæ aderant, & aſſiduæ jactationes; lingua biliari cruſtâ perpetuò infecta, crebræ alvi dejectiones veluti diarrhœam affectantes, ſed tenues, & crudæ. Noctu delirabant, atque per totum œſophagum ad uſque ventriculum, intenſiſſimo velut flammeo ardoris ſenſu vexabantur. In aliquibus noctu fauces, & œſophagus adeò exſiccabantur, ut neque liquores deglutire valerent. iis venter inflabatur, reſpirationem idcircò opprimens cum inexorabili laſſitudine: Cúmque copioſæ, ſed tenues, & crudæ bilioſæ excretiones mederi ancipitem fecerint de fortiori cathartico, aut etiam emetico propinando, tandem in aliquibus eadem præcociùs non adhibuiſſe pœnitebat; ut etiam ad decimam morbi diem emetico firmiori jam animo exhibuerim cum fauſto eventu; nimirùm ventre illicò detumeſcente, copioſiſſimis craſſæ bilis, & ſummè croceæ ſuccedentibus excretionibus: hinc quies, & febris remiſſio. Ceſſante cathartici ſtimulo crudæ iterum duntaxat materiæ, tenues, & pallidæ ſecedebant: In iis ſi quidpiam per vomitum prodibat, amariſſimum erat.

Hæc autem protrahebantur ultra ſeptimam in quibus morbus initio ſiccus fuerat; ut ſanè in multis contingebat. Bilis enim hujusmodi eſt, ut quò diutiùs comprimitur, eò tandem vehementiùs erumpat, atque diſplodat. Ita in aliis tempeſtatibus vernis, quæ ſub initio calidæ fuerant, & tales ſervabantur, creſcente ſenſim calore, bilis non adeò deflagrabat.

In hujuſmodi creberrimè ſævientibus tertianis cùm nimiùm efferata eſſet, atque exaltata bilis adhibitum febrifugum non tam citò, nec adeò liberè eas comprimere poterat, ut in aliis temporum vicibus; ſed ut ut longis, atque repetitis præmiſſis univerſalibus catharticis, atque præparantibus, tardè ſuum in aliquibus munus præſtabat; in quibusdam nonniſi

dupli-

duplicatis doſibus exhibitum ſubveniebat; in aliis irritum prorſus extabat, donec per repetitos paroxyſmos ſatis bilioſus humor deflagraret: In nonnullis verò per corticem compreſſis febribus adhuc poſt dies aliquot à ceſſatione febris, ſubiti amariſſimæ bilis vomitus excitabantur cum virium, & appetentiæ reſtitutione, quæ quidem priùs, licèt deletâ jam febre, valdè adhuc languebant.

Hos inter *Carolus Miglior* ætatis 50 annorum, carnoſus, & melancholicus, decumbebat cum febre tertianâ duplici continuâ, ſed valdè periodicâ, atque manifeſtè biliosâ; ut ex ventris tenſione, nauſeâ, cruſtâ linguæ flaviſſimâ, ſiti, anxietate continuâ, & clamosâ, corporis habitu ſubflavo compertum aderat: ſed bilioſus febrilis humor diu, ſummâque contumaciâ crudus perſtabat. Principio pauca bilioſa, ſimulque tenuia excreverat; hinc cruda & pallida veluti per diarrhœam continuò ejiciebat: ſolo catharticorum ſtimulo bilioſa crocea movebantur, quo non inducto, rursùs cruda, & tenuia ac velut ſeroſa deturbabat. Uſque ad duodecimam, imò & decimam quartam contumax morbi cruditas perſiſtebat, ut vix per Clyſteres bilioſum aliquid educeretur. Ad octavam venter turgebat cum ſummâ pectoris anguſtiâ, & moleſtiſſimâ tuſſi, ſed ſympathicâ: Cathartico forti multa bilioſa excernebantur, venter deprimebatur cum leviori ſpirandi anguſtiâ; ſed ad nonam hic iterum tumeſcebat cum ſubdelirio, præcipuè nocturno, ingenti aurium ſonitu, & aliquâ mentis ſtupiditate: Per novum catharticum emetico ſociatum bilioſa ad inferiora ſubducens, ſublevabatur æger: ſed undecimâ major abdominis inflatio, & durities vigebat cum ſævâ tuſſi interdum humidâ, & plurimâ pectoris anguſtiâ, perpetua inſuper anxietas, virium enormis proſtratio. Multam olei amygdalini per intervalla doſim aſſumpſit, unde aliquot, ſed crudæ excretiones. Interea febris ſuis viribus conſiſtebat, cum aliquâ interdum levi periodica perfrigeratione: Paucæ, & tenues erant urinæ, lingua flavâ continuò

tinuò cruſtâ ſuffuſa. Ad duodecimam exhibitâ cathartici ſimulque vomitorii potione, adhuc bilioſa plurima ejiciebat per ſedes, numquam per vomitum, (cruda enim ſemper extabat bilis, & validioris impetus neſcia) *ſimulque piſa jam ante* 20. *dies comeſta*, *integraque excernebantur.* Venter tandem viſus eſt detumeſcere, febris imminui, ceſſare delirium; & licèt crudus adhuc foret morbus, interea ex quammaxima (quod quidem alternis ut plurimùm diebus habebatur) excretâ bilis peccantis copiâ tanta vis morbo ſubtrahebatur, ut in neceſſariam iſte declinationem vergeret. Liberè, deletâ tuſſi, reſpirabat æger; copioſæ ſimulque ictericæ erumpebant urinæ; mentis autem hebetudo uſque ad decimam octavam perſiſtebat. Vigeſimâ die purgationem adhuc ſuſcepit: mixta excrevit ſed cocta: integrè tandem ſanus evaſit.

Ad Julii principia conſtitutio frigidula revertebatur, identidem pluvioſa, atque circa decimam ejusdem menſis diem tota bilis in diſpoſitis hominibus disploſiſſe ſatis, aut deflagraſſe videbatur; ut paucæ tertianæ, aliæque bilioſæ febres denuò excitarentur, veteribus jam deferveſcentibus: fortè ſolùm compreſſa fuerat bilis; nam paulò pòſt nonnullæ tertianæ febres, jam plenè deflagratę, & ſine febrifugi uſu extinctæ, vividiùs renaſcebantur.

Ad Julii medietatem tempus denuò nebuloſum inerat, hinc nimboſum, ac flantibus boreis frigidum. Sani homines ob imminutam tranſpirationem viribus magis conſtabant, ad motum aliaque officia agiliores. Sed rursùs laterales dolores, & gutturis affectus invadebant, febres ex *conſtipatione* variæ, eæque anomalæ; morbi plurimi in chronicam migrabant diuturnitatem; hydropes, & contumaces viſcerum obſtructiones; Rheumatiſmi, dolores pectoris, tuſſes. Excitabantur hoc tempore renales dolores atroces ex mucoſo potiùs principio, cùm moleſtiſſimis, atque creberrimis vomitibus: Acerbæ inſuper, atque contumaces odontalgiæ per plurium ora exſpatiabantur.

Circa

Circa finem Julii adhuc tertianæ tum ſimplices tum duplices, cum paroxyſmis ſibi invicem de tertio in tertium quoad intenſionem, atque extenſionem reſpondentibus, exſurgebant: Febres aliquæ continuę acutæ, ſed pariter biliares: Diarrhœæ in infantibus plurimæ; rariſſimæ verò dyſenterię; eæque facilè per leve catharticum judicatæ: Synochales trium, aut quatuor dierum, & ardentes ſpuriæ cum dolore capitis, & artuum, quæ unâ ſanguinis miſſione, propinatoque cathartico, non difficilè, ſine ſudore, aut cum levi ſudore, ſolvebantur. In cauſariis, & ſenibus, præcipuè mulieribus, apoplexiæ non fortes, cum levi, neque inſanabili, ſuccedente indè emiplegiâ, & linguæ paralyſi.

Cùm verò à pluvioſa conſtitutione Padus aquis hâc æſtate uberiùs turgeſceret, idcirco licèt ad finem Julii acerrimus debaccharetur calor, incolæ ſuburbii hujus fluminis vix illas tertianas experti ſunt, quibus tam epidemico more ſuperioribus æſtatibus conflictabantur: In his enim, ut ut minor calor vigeret, tamen ſicciſſimâ dominante conſtitutione, ſiccabatur (ut alibi dictum eſt) hîc illic fluminis alveus, undè memorata aliàs paluſtria effluvia; hinc febres &c.

Versùs medium Auguſti auſtrorum afflatus, vexabat; hinc calor intenſus. Creberrimæ erumpebant tertianæ ingentem in ſanguine fervorem, ac *turgeſcentiam* inducentes; undè dolores capitis, anxietates, vigiliæ &c. Hinc febres hujusmodi, præter catharſim, etiam phlebotomiâ erant principio excipiendæ: quas indè diutiùs protractas febrifugum non difficilè delebat. Superveniebant dyſenteriæ, teneſmi, diarrhœæ contumaces. Senes ex inteſtini ſphacelo à dyſenteriâ moriebantur. Ad finem hujus menſis frigidula denuò ſpirabat conſtitutio, cum multis imbribus, humidoque cœlo. Anginæ, tuſſes, odontalgiæ creberrimæ cum tumoribus ad alterutram genam: Rheumatici affectus hâc tempeſtate non ſolùm Taurini, ſed in omnibus Pedemontii provinciis deſæviebant, ut Amici mihi retulerunt. Teneſmi: Tertianæ

du-

duplices remittentes (à diluta ex pluviis bile) ſine rigore aut ulla perfrigeratione in paroxyſmorum ingreſſu. In his, aliiſque ſuperioribus bilioſis epidemiis tantâ ſæpe nauſeâ, ciborum, omniumque rerum averſione obſeſſos homines comperi, ut non tantùm alimentarias ſubſtantias ipſis per clyſteres frequenter injicere neceſſum fuerit, ſed & remedia tum febrifuga; tum etiam motus varios juxta morbi neceſſitatem excitantia. Ita pro ſudore in hiſce ægrotis, & acutis quandoque febribus opportunè, largéque promovendo non rarò uſus ſum ebullitione Gratiolæ ſeu Gratiæ-Dei in aqua comm. additâ, cùm liquidum in ſiphone excipitur, ſpiritus vini camphor. mediocri quantitate: Calidumque ſatis enema immittendum imperabam. Mirum quàm fauſtam hocce præſidii genus ſalutarium ſudorum eruptionem eliciat.

Principium Septembris placidiſſimum extitit. Paucæ febres, eæque ut plurimùm tertianæ duplices, per *ſubintrantiam*, ut dicitur, continuæ. Viri ut plurimùm in hâc, aliiſque conſtitutionibus ab hiſce tertianis prehendebantur: mulieres enim naturâ humidiores difficiliùs ad hunc veluti torridæ bilis ſtatum perveniunt. Dyſenteriæ interea graſſabantur non paucæ, teneſmi, & diarrhœæ vehementes, ac contumaces; plurimi, iique pertinaciſſimi, interdum & lethales, gutturales tumores: Lentæ nonnullæ, atque diuturnæ parotides. Ad 7. 8. & 10. Septembris, intermixti auſtrinis flatibus boreales venti irrepebant: Hinc anginæ cum febre, odontalgiæ &c.

In hiſce bilioſis febribus, atque in earum fervidiori ſtatu ſæpè urinæ prodibant ſaturatiſſimæ, ſummè croceæ, & lateritiæ, per aliquot dies perſeverantes: ſed exhibitis validis catharticis, eorumque vi copioſis croceæ, & ſaturatiſſimæ bilis dejectionibus impetratis, ſtatim urinæ clariores fiebant, illâque tincturæ habitudine exuebantur. Quod certè noſtram de urinarum à bile tincturâ confirmat hypotheſim. In genere ad fi-

ad finem hujus æſtatis innumeri ex diuturno; aut etiam rapido univerſali hydrope moriebantur.

Diſploſis, atque deletis jam penè omnibus ante æquinoctium tertianis, dyſenteriis, aliiſque æſtivis morbis, circa æquinoctium pauciſſimæ vigebant ægritudines, atque univerſalis ridebat ſanitas, non ſine multis gregariorum Medicorum querelis; annotabam tamen, in recentiori urbis regione, in quâ quidem longiùs à Pado, atque in eminentiori, magiſque aprico loco poſitâ, noviſſimè conſtructæ ædes ſubtiliori aëre potiuntur, febres hujusmodi bilioſas crebriores, & vehementiores hoc tempore fuiſſe, quàm in regione ad Padum vergente. Elabente Septembri uberrimi imbres cadebant. Tuſſes plurimæ, colicæ rheumaticæ affectiones in mulieribus plurimæ, cum ſubitis acerrimis vomitibus; quæ tamen poſt paucas horas, vel abſque remediis, evaneſcebant. Nullæ hujuſmodi in viris affectiones; in quibus ex adverſo tertianæ furebant, non verò in fœminis.

Octobris principio, & progreſſu dolores laterales cum ſuffocativo ad pectus catarrho, & mors veluti ſubita. Plurimos etiam vel fortes, & ętate valentes legitima ſubitanea mors ſuſtulit. Medio octobri tertianæ aliquæ, ſed raræ; ſpaſmodici affectus præcipuè ventriculi, cùm artuum conſenſu: *Conſtipationes* aliquæ, Rheumatiſmi nonnulli. Sed in genere minimus ægritudinum numerus. Ad finem hujus menſis aliquot adhuc æſtivarum tertianarum, præcipuè poſt uſus corticis redeuntium, reliquiæ; recentes etiam nonnullæ. Febres continuæ plures; acutæ aliquæ, imò & malignæ cum methaſtaſi ad caput, & nece. Variolarum in pueris præludia: Arthritici affectus. Cúmque frigida proluderet conſtitutio hyemalem propè redolens, bilioſi morbi aliquando coerceri ac ſupprimi, atque hyemalibus ſeroſis, & catarrhalibus locum jam cedere videbantur.

November caliginoſus, & humidus. Principium Decembris frigidum, hinc nonnihil auſtrale, & pluvioſum, mox

rigidulum; versùs finem ad plures dies micabant auſtri cum conſtanti ſerenitate. Decembri menſe tertianæ duplices febres adoriebantur, tum mali moris, & petechiales, plurimæ: rheumatici affectus, morbilli, variolæ invaleſcentes; puerperarum acutæ febres miliares funeſtæ.

APPENDIX CONSTITUTIONIS
Anni 1724. ad uſque Vernum ejus tempus.

PRincipio anni 1724. die nempè 2. Januarii deſiere auſtri, leni ſuccedente boreâ, hinc aliquantùm frigida conſtitutio, die 3ª. frigidior, ſemper tamen cum ſerenitate; ſed proſequente menſe, indéque & ſequenti februario, auſtrinus plerumque dominatus extitit, ut vernum tempus præmaturè emerſiſſe, atque hyemis tenuiſſe locum viſum ſit. Hinc bilis non ſatis compreſſa in periodicas febres cum diſtinctis invaſionibus, atque rigoribus non difficilè erumpebat: Sed cùm nec ſatis ſoluta fuerit, atque ad coctiones, debitaſque ſecretiones, aliaſque habitudines diſpoſita, febres hujuſmodi contumaciſſimam indolem exhibebant, nec quibuslibet opportunè adminiſtratis præſidiis cedentem, nec peruviano aptè adhibito cortici ut aliàs, obtemperantem: ut hinc ad finem Februarii & ſuccedentes menſes, febres ejuſcemodi diuturnas ad 40 & 50 dies, atque ulteriùs protractas, acutis interea ingreſſibus vix deſtitutas, vel in juvenibus, ac vegetis maribus, & fœminis, cuilibet obluctantes remedio, neque ullam maturitatem patientes, quotidie datum fuerit perſpicere: Harum plurimæ vix tandem evadebant, diuturno relicto cum longo virium, & concoctionum languore cauſario ſtatu: Aliæ in tabem, aut hydropem degenerabant.

Ad Martii principium uſque ad 12 diem finiebat hyemem aut potiùs renovabat, ſicca, & frigida aquilonia conſtitutio aſperrima, undè multa glacies, & exceſſus frigoris, qui certè neque ad penitiora elabentis hyemis tempora fuerat ullo modo per-

perceptus. Nec ſine gravi viventium pernicie tanta novitas extitit. ſtatim tuſſes populabantur, anginæ, pleuritides ab impeditâ tranſpiratione, ſed catarrhales, hæque à pulmonalium, aliorumque ſolidorum rigiditate, corrugatione, criſpatâque diatheſi, per validum frigidi tranſmiſſi aëris ſtimulum inductâ; aliique rheumatici affectus ad collum, artus, imò & interiores partes, ac viſcera. Plurimos dolores ad mammam, & ſcapulam vexabant cùm ſpirandi anguſtiâ, febre, tuſſi, & ſputo ſanguineo. Sed ſputum hocce celebratâ miſſione ſanguinis poſt binos plerùmque dies evaneſcebat, remittebatur febris, aliquâ vix tuſſi ſuperſtite, neque ad quartam uſque diem protrahebatur dolor: ut illud magis firmaretur indicium, affectus hujusmodi, Pleuritidem genuinam mentientes, non quidem fuiſſe ſyſtrophicos, ſed ex ſolâ pulmonicarum ſuperficierum à ſubito ictu rigidiſſimi aëris ſtimulantis, & laceſſentis contractione, & *criſpaturâ*, ut dicitur, procreatos; undè ab aliquibus, qui preſſi magis aut contracti fuerint, ſanguiferis canalibus aliqua ſanguinis per tuſſim ejecti præſtita fuiſſet expreſſio. Ita contigiſſe vidimus in Advena ad ędes D. Franciſci De Naſis: in Dom^a. Antonia Senta: In Dom. della Valle: in D^o. Joſepho Perini, aliiſque plurimis curæ noſtræ commiſſis. In hac autem Thoracis affectuum conſtitutione, ſuper alias omnes, perniciòſiſſimi uſus erant catharticæ purgationes, ob ſtimuli nimirum facultatem augendis ſolidorum rigiditatibus aptiſſimam. Opem omnem attulit emollientium laxantium, atque oleoſorum copioſæ, tepidæque potationes. Se comites his morbis addebant mali moris variolæ, frequenter confluentes, quarum quidem improbitas plurimos, præſertim ætate provectiores, plerumque ante maturitatem, de medio ſuſtulit.

In hac Vernâ ſporadicorum Morborum conſtitutione, quæ plurimas tertianas duplices, continuas, atque remittentes, ſynochas fortes, ſcarlatinas, aliaſque febres, præcipuè anomalas rheumaticos pulmonum affectus, ventriculi dolores,

eryſipelata, calidas ad faciem, collum, & artus diſtillationes, Tympanites, aſthmata cùm ſicca, tùm humida, contumaces denique capitis dolores, attulit, mirum dictu, quantùm hujusmodi morbi, ſupra alios omnes ſuperiorum quarumcunque, & præcipuè vernarum tempeſtatum eventus, miſſio ſanguinis ſubvenerit: ſive id frigidę perflantis aëris habitudini tribuendum ſit, quæ cutaneam tranſpirationem valde minuit, dum interea, qui verno tempore ſolent excitari liquidorum inteſtini, ſive, ut vocant Williſianę ſcholæ, fermentativi motus, ad majus in propriis canalibus ſpatium nituntur; ſive ad eorundem morborum naturam referendum ſit. Verumtamen id certum eſt, non tantùm catarrhales febres, aut peculiares affectus plus, minúsve inflammatorios, Rheumatiſmos inſuper, tum puerorum morbos magis, aut minùs acutos cum acidis à ſtomacho ſpirantibus halitibus, communiter verminoſæ ægritudini adſcriptis; ſed ipſasmet hyſtericas, & hypochondriacas paſſiones, aliaque morborum genera, at potiſſimùm morbillos, & variolas, quæ modò graſſantur, à ſanguinis miſſionibus, vel inter eruptionum initia interdum urgente affectu celebratis, feliciſſimo eventu judicari contigiſſe: adeò ut à variolis, vel deterioribus ægrotantes convaluerint, quibus tempeſtivè miſſio ſanguinis inſtituta, aut etiam juxta morbi vehementiam reiterata fuit; dum è contrà poſtremam plerumque diem obire contigit iis, qui phlebotomiam non ſuſceperunt. Raró hactenus animadverti diſſolutum, nigricantem, & cum innatante velut oleo ſanguinem, quemadmodum in aliis ſolet conſtitutionibus adnotari. Aprili eductus ſanguis, perpetuò ad tomenti ſuperficiem ſtriis, atque areis plerumque flavis, & ſubatris varius apparebat, multamque à ſe ſe turbidi; & albicantis; inſtar chylaceæ ſubſtantię, ſeri copiam exprimebat; ſuperiori verò menſe gelatinoſam, universè albidam, flavam, aut viridem ſuperficiem plerumque obtulit. Quò purior, & floridior extat, qui ab ægrotantium venis educitur ſanguis, eò minùs

Phle-

Phlebotomia prodeſſe ſolet : Oppoſitum autem in miſſione corrupti , ut loquuntur , & putridi ad oculum ſanguinis experimur ; licèt id ipſum non ritè circulationis legibus reſpondere videatur , quibus innixi recentiores affirmant , ſanguinem in vaſis reſiduum , eâdem, quâ gaudet extractus, habitudine donari. Falluntur tamen. Sed hanc , ſicut & ſimiles cæteras diſquiſitiones maximi in praxeos adminiſtratione momenti hic loci pertractare non eſt animus , atque opportunis aliis meis ſtudiis ſervatas facio , quemadmodum etiam præſentis anni 1724. conſtitutionem ; cùm præſertim ob frigidam , quæ adhuc Aprilis medietatem tenet, aëris habitudinem, compreſſa nimiùm Bilis nondum pro conſuetis gignendis morbis deflagraverit ; ſimulque tertianæ , alięque periodicæ febres , ſimilium in anteactâ æſtate , & autumno morborum progenies , crudam , coactam , nec adhuc exaltatam bilem præferentes , non ſolùm diuturnæ admodùm ſint , verùm etiam remediorum omnis generis adminiſtrationi , præcipuè cujuſcumque ſpeciei febrifugis , ipſi quoque peruviano cortici ut ſuprà , pertinaciter reſiſtant.

Medio Aprili borealis adhuc aderat conſtitutio , dum totâ penè hyeme auſtralis viguerit : Hinc novæ tuſſes , gutturis diſtillationes , uvulæ tumores , odontalgiæ , mandibularum dolores , catarrhales febres , nulli adhuc intereà biliares morbi. Atqui à medietate ad finem Aprilis invaleſcens ſolis acceſſus jam plurimam viventibus , cum augeſcente in dies liquidorum , & habitus corporis rarefactione , perſpirationem conciliabat : ſed ſubdolæ adhuc frigidulæ intermixtæ auræ afflatus internis hiſce Verni temporis motibus extrinſecùs vim faciens , fugientes è cute halituum undas in plurimis ad internas ſuperficies non difficilè repercutiebat ; hinc mirum , quantæ his diebus homines invaſerint raucedines , coryzæ , gutturales diſtillationes , tuſſes humidæ , aut ſiccæ ; oculorum , & aurium dolores , pſeudo-morbilloſæ eruptiones , & ſimiles à ſubitis cutaneis retroceſſibus affectiones.

Poſtremis Aprilis diebus boreali quolibet deleto tandem afflatu calor vehementer grandeſcebat, ut ſenſim ablegatis catarrhalibus morbis, vix variolarum jam in genere non adeò deteriorum, ac morbillorum veſtigiis perſiſtentibus primos bilioſorum morborum nuncios præſtolabamur.

Ineunte Maio, cùm calidus ſimulque turbidus eſſet aër, atque tempeſtuoſis jactatus nimbibus, incredibile, quanta morborum inopinata genera erumperent, omnia quidem irregulari, inſuetoque curſu jactata verſipellis indolis Pleuritides priùs vix ſpaſmodicę, hinc inflammatoriæ, mox ſubitò evaneſcentes, cum ſuperſtite acutiſſimâ apertâ febre, atque inanibus ſudoribus: Harum plurimæ ex decubitu ad caput, & delirio versùs ſeptimam lethales erant: nonnullæ in præcipitem vergebant tabem, præcipuè ſi incautè inter initia catharticis excipiebantur. Variolæ anomalæ curſus ſæviſſimæ, ſimulque eodem tempore æquali ferocia graſſantes, (quod raro contingit) morbillorum, aliarumque ad cutem acutarum, rubentium & aſperarum effluentiarum copiæ. Puerperæ adhuc graviſſimè habebant: Plurimæ emoriebantur. Rheumatici dolores in fortes, & difficiles febres, hemiplegiæ verò ſtatim in lethales apoplexias deſinentes. ſtrumoſi celeres, & acuti tumores: Homotonæ febres: Nonnullæ Pleuritides ſiccæ tandem per hæmoptyſin (quod quidem & inſolitum.) paulatim judicatæ: Maniæ plurimę, aliæque amentiæ ſubortę ſunt: Pectoris creberrima rheumata cum febre præſertim nocturnâ, atque præceps in phthiſicam indolem ex tuſſibus, & febriculis progreſſus. Tertianæ duplices continuę non ſine aliquâ pectoris irritatione debacchabantur, ſummamque contumaciam ſervabant. Acutæ pariter in pueris, & infantibus febres, frequenter mortiferæ. In morbis omnibus, qui ad ſalutem vergebat, vel levioribus, aut etiam intermittentibus febribus, incredibilis aderat pertinacia, atque remediis omnibus obluctatio: Tum hyemales morbi, ſoliti ad vernum tempus ſolutionem, atque judicationem ſuſcipere,

cipere, immaniores evadebant. Plurimi præcipitanter ruebant in interitum. Vertigines etiam tenebricoſæ non paucos invadebant. Laterales ad coſtas, atque intercoſtales muſculos dolores vel aliquando deleti, identidem cum erraticis febribus revertebantur. Pleuritides in obſcuros atque improviſos abſceſſus faceſſentes, multam ægrorum medicorumque ſpem ſeptimâ aut nonâ die breviſſimo novæ febris curriculo jugulabant. Dolores inſuper aderant lumbares, epigaſtrici, atque totius ventris creberrimi, ſub noctem ingraveſcentes quaquaverſum acuti. Gibboſa ad ſummam fiebant cœmeteria: atraque luctus viduorum conjugum, aliorumve propinquorum ſigna ubicumque per urbem obverſabantur. Sed denique certior, firmiorque illuxit hujus menſis progreſſus, citóque ſynochales bilioſæ genuinæ febres erumpere viſæ ſunt, quibus jam non modicùm ſubveniebant cathartica. Accedebant Diarrhœæ bilioſæ, longiuſculę quidem, ſed repetitis interea purgantibus, undè bilioſa plurima nonnihil viſcida ſubducebantur, aliquando cedentes: Jamque biliarem indolem induebant pleuritides, quę quidem à valido purgante ante quartam, aut ſextam exceptæ, poſt ſeptimam, aut nonam feliciter decernebantur; tuſſi, ſputo, dolore purgantis virtute ſedatis, aut deletis, vix aliquâ ſuperſtite pectoris anguſtiâ; rebelles ex adverſo, & diſcrimine plenæ, ſi purgans poſt fuit. Ita his diebus Dominum de *Champagne* 15. aut 16. annorum adoleſcentem pleuritide, & acutâ febre correptum, calore acerrimo, pulſu admodùm duro, punctorio ſub mamma dolore, quàm maximâ ſpirandi difficultate, tuſſi ut plurimùm inani, interdum cum modico ſinceri ſanguinis ſputo, vigiliis, & aſſiduâ jactatione ad uſque quintam morbi diem vexatum catharſis hâc die inſtituta repentè ſublevabat; atque ad uſque ſeptimam ejuſdem propinati remedii vis plurima ſemper bilioſa deturbans, priſtinæ ad nonam incolumitati ægrotantem feliciter reddidit. Tertianæ horum dierum excitatæ febres diuturnæ

turnæ non ſunt, quæ quidem unius, aut alterius purgantis operi non difficilè obſequuntur.

Atque hîc denique à bilioſis plurium annorum Conſtitutionibus manum, & operam ſubducens, videor meam ſatis fidem liberaſſe in illis edendis obſervationibus, quas quidem fueram jam ab anno 1711. in Præfatione primæ editionis hujus Hiſtoriæ pollicitus: Cùm nempè *de Morbis vernis, æſtivis, autumnalibus, & hyemalibus ſub Taurinenſi cœlo vigentibus, eorum curationibus, aliiſque ad dictæ urbis medicinam ſpectantibus*, verba me aliquandò facturum enunciavi: Ex hâc enim Hepatis, & Bilioſorum morborum abſolutâ Hiſtoriâ hæc omnia abundè ſatis elicere, paſſim dignoſcere, atque invicem diſtinguere cuicumque Medentium licebit.

JACO-